SAMVELIS PVFENDORFII

DE

OFFICIO
HOMINIS ET CIVIS

secundum Legem naturalem

LIBRI DVO,

cum

IOANNIS BARBEYRAC

Notis, & Examine

CENSVRAE LEIBNITIANAE,

in calce operis subiunctae.

Ex Gallico in Latinum sermonem transtulit

SEBASTIANUS MASSON.

Editio tertia,

emendata & locupletata

a

CHRISTOPH. FRID. AYRMANNO.

Cum Priuil. Augustiss. Polon. Reg. & Elect. Sax.

Antonii Franci Peregrini



GIESSAE,

Sumtibus I. PHILIPPI KRIEGERI

[illegible]
[illegible]

CHRISTOPH. FRID. AYRMANNI,

Professoris Histor. ac Philos. primarii in Academia Giessena,

PRAEFATIO.

VNiuersa *Morum doctrina*, mea quidem sententia, ad duas summas virtutes, seu mentis habitus, referri potest, *Iustitiam* & *Prudentiam*; ita tamen vt posterius vocabulum in strictiori sensu ccipiatur, nec, vt vulgo solet fieri, omnem de via & moribus disciplinam denotet, prius autem aulo latius ad reliquas etiam virtutes, exceptis is quae ad prudentiam pertinent, extendatur. c *Iustitiam* quidem dico, quae ad naturam rerum actionum humanarum, iure ac lege certo moo definitam, respicit, vniceque iusti, siue recti & onesti, ratione habita, quaedam necessario agena vel omittenda in vniuersum praescribit, appliitionem vero ad casus singulos aeque, ac cetera ec praecepta nec prohibita, tanquam permissa ac

ac licita, prudenti cuiusuis arbitrio relinquit. *Prudentiam* vero dico, quae ad circumstantias potissimum rerum & actionum humanarum respicit, & secundum illas, prout decus, & praesens vitae humanae vtilitas, siue aequum bonumque postulat, deliberatione instituta, vniuersales iustitiae regulas ad singulos casus applicat, in licitis vero ac permissis, quid in vniuersum aeque ac casibus singulis agere aut omittere magis minusue deceat & conueniat, tanquam medium ad finem propositum obtinendum maxime idoneum, inuenit, deligit, dubioque sublato consulit ac suadet.

Iustitiae igitur est, honesta & iusta, id est naturae ac legi congrua, praecipere, turpia & illicita vetare, licita ac permissa libera cuiuis relinquere; *prudentiae* vero est, deliberatione in dubio casu secundum varias circumstantias instituta, consilium capere, decora, bona & vtilia vitae indagare, deligere ac suadere, indecora, mala & noxia declinare, dissuadere ac reiicere. Quod si consilium in legem conuersum sit, eius obseruatio iam non amplius prudentiae est, sed iustitiae: quod quidem in plerisque hominum inuentis & institutis, variis sancitis legibus, solenne est. Quid vero praeter leges, praecepta, deliberationes & consilia, ad regendam proxime vitam moresque requiratur, non video.

Ac in ceteris etiam, praeter morum doctrinam, *artibus ac scientiis*, quas pro eo ac par est, ad decus & vtilitatem vitae conferre volumus, *analogum* quiddam *iustitiae* ac *prudentiae* deprehendimus, cum in comparando perfecto earum habitu, primo

no certas nobis & exploratas ideas, principia ac regulas formamus, ex quibus, ceu legibus quibusdam, quid in illis ſtatuendum & agendum ſit, in vniuerſum definiatur; in praxi vero deinde & vario quem ſpectamus vſu, ad circumſtantias potiſſimum reſpicimus, & quid ſecundum illas magis minuſue deceat conueniatque, praeuia prudenti deliberatione inuenimus ac decernimus. Quale quid cum non ſine acumine ingenii, ſufficienti experientia, & idoneo doctrinae apparatu aſſequamur; hinc neceſſe omnino eſt, vt maxima mortalium pars, cum in vita & moribus, tum in artibus & ſcientiis, aliorum peritiorum prudentiorumque conſiliis & placitis innitatur. Qui vero & ſibi & aliis ſemper in omnibus recte queat conſulere, & quod vitae vtile ac decorum eſt perſpicere atque inuenire, hunc merito ſummum ſapientiae gradum attigiſſe cenſemus.

Prouti autem veteres *Doctrinam morum* in *Ethicam & Politicam* diuiſerunt, non potuit non ſumma enaſci regularum iuſtitiae ac prudentiae confuſio. Quam primum tollere radicitus conati ſunt Romanorum Iurisconſulti, conſtituta peculiari *Iuris ſcientia*, non leuiter tamen etiam a Stoicorum Philoſophorum diſciplina adiuti. Ex quorum fontibus doctrina ſua deriuata *Cicero*, ipſe diuini humanique Iuris peritiſſimus, aureum *de Officiis* librum compoſuit, & fauſto omine ad poſteritatem tranſmiſit. Nouam vero rurſus confuſionem & obſcuritatem induxerunt barbara, quae ruinam Romani in occidente imperii ſecuta ſunt, ſecula, donec cum Iurisprudentia Romana inſtau-

)(3 ratis

ratis elegantioribus litteris, excellentia enascerentur ingenia, seruiliter inhaerere veterum inuentis receptisque vulgo opinionibus nescia, quorum ope & morum doctrina sensim nitori suo restituta, & magis magisque perfecta est. Quae inter *Grotio* inprimis ea mansit gloria, ut in praestantissimo *de Iure belli & pacis* libro, primus genuina Iuris naturae & gentium fundamenta eleganter ac perspicue exposuisse censeretur. Quem deinde magna contentione secuti sunt alii, non eandem tamen semper viam & ordinem amplexi.

Si quid mihi hac de re videatur dicere fas est, existimo omnem *Morum doctrinam* primo distribui commode posse in *vniuersalem & particularem*, quarum illa omnes in vniuersum homines, quibusuis locis & temporibus existentes considerat, haec partem tantum certis locis & temporibus definitam; illa Philosophiae est species toti hominum generi proficua, haec peculiaris disciplina certo inprimis hominum generi necessaria; illa vna & simplex est, haec varia & multiplex, ac reuera infinita; illa ratione potissimum nititur, haec vsu & experientia, altera tamen alterius ope omnino indiget. Porro *Philosophiam morum* dispertior in *generalem & specialem*, & priorem rursus duplicem facio, *Ethicam generalem*, quae communes de hominis voluntate, moribus, affectibus, virtutibus, vitiis, & vita vniuersa doctrinas continet; & *Politicam generalem*, quae communem status ciuilis varii generis, ac reliquorum quae eodem ordinarie referuntur vitae statuum naturam, cunctaque huc pertinentia instituta explicat. Specialem vero

ro duplicem item ſtatuo, quarum alteram *Philoſophiam iuſti & honeſti*, alteram *decori & vtilis* voco, illam vulgo *Iurisprudentiae naturalis* ſiue *vniuerſalis* nomine ſatis cognitam, hanc *Prudentiae vniuerſalis* nomine non incommode denotandam. Vtrique enim ex parte tantum *Ethicae* & *Politicae ſpecialis* nomen congruit; quanquam vulgo decori & vtilis doctrina propria *Politicae* cenſeatur. Denique *particularis morum doctrina* triplex conſtitui poterit, quarum prima erit *Politica particularis*, in ſenſu ſtrictiori accepta, quae ſtatum peculiarem certae ciuitatis, v.c. Romanae, Germanicae, &c. veteris, nouae, publicum priuatumque, cum inſtitutis & moribus omnium & ſingulorum in ea viventium, aliisque eodem pertinentibus explicat; altera *Iurisprudentia particularis*, & tertia *Prudentia particularis*, vtraque ad easdem ciuitates reſtricta, quarum poſterior etiam *Politicae particulari* in ſenſu vocabuli laxiori accenſetur.

Primus autem merito putatur *Samuel Pufendorfius*, vir excellenti ingenio, & ſolida ac eleganti doctrina praeditus, diu deſideratum *Iurisprudentiae vniuerſalis Syſtema*, iuſta adornatum methodo, & a corruptis, ineptis ac ſuperfluis ſuperiorum temporum traditionibus purgatum, euulgauit ſub *Iuris naturae & gentium* titulo *Londini Scanorum* anno 1672. magnam ob id in Profeſſorio munere celebritatem adeptus, ac poſtremo ad ſummas in aulis dignitates, quin & Liberi Baronis honores euectus, defunctus a. 1694. Sed id ipſum multos ei aemulos, obtrectatores & aduerſarios excitauit: quibus tamen compluribus ſcriptis

mascule restitit, & pleraque dogmata sua aequis rerum arbitris satis superque comprobauit. Qua de controuersia conferri meretur *Historia paullo plenior Iuris nat. Thomasiana pag.* 90. *seqq.* Vt vero ad vsus inprimis academicos accommodatiorem redderet Iurisprudentiam vniuersalem, ex maiore isthoc opere *Epitomen* confecit, & *ibidem* a. 1673. minore forma euulgauit. Quem libellum cum ipse sub limam reuocare consultum haud putaret, tametsi deinceps maius opus secundis curis plenius emendatiusque ediderit; sub initium praesentis seculi celeberrimus Giessensium Professor *Immanuel Weberus*, communicato prius cum ipso & amicis eius consilio, nonnulla in suis editionibus correxit ac suppleuit, quem ideo optimo iure & alii nonnulli secuti sunt.

Ceterum *libellus* hic *de officio hominis & ciuis*, praecipua simul vniuersae morum doctrinae principia & fundamenta facili ac perspicua methodo exposita comprehendens, discentiumque studiis & praelectionibus academicis aptissimus, tum eleganti & veterum aemula Latina dictione compositus, & cum Ciceroniana de Officiis commentatione, quam imitari voluisse auctor videtur, omnino comparandus, rara cum eiusdem *Monzambano* fortuna vsus est; adeo vt pridem variae eius & creberrime repetitae editiones numerari desierint, saepiusque etiam in peregrinas translatus linguas, variaque ornatus veste in publicum prodierit. Inprimis autem commendandae *doctorum virorum in eum notae & obseruationes*, aut libro adiectae, aut seorsim excusae, quibus aucto-

auctoris dogmata aut illustrantur & confirmantur, aut aliquando non immerito taxantur, emendantur & supplentur. Quo in censu mihi nunc succurrunt lucubrationes *Titii*, *Hochstetteri*, *Proelei*, *Weberi*, *Kemmerichii*, *Treueri*, *Lehmanni*, *Ottonis*. Ac prae ceteris multum tribuo editioni ad primam auctoris emendatae, quam supplementis & obseruationibus in academicae iuuentutis vsum auxit & illustrauit *Gerschomus Carmichaël*, Philosophiae in Glasguensi academia Professor, editam *Edimburgi* a. 1724. & recusam *Basileae* a. 1739. in qua etiam aliqua occurrunt, quibus *Leibnitii* quibusdam in opusculo Pufendorfiano desideratis satisfacere studuit. Tum quoque magnus ille *Thomasius*, vt ex Pufendorfii fontibus sua largiter hausit, ita vicissim nouum ei subinde splendorem attulit.

Sed inter praecipuos Pufendorfianae doctrinae fautores, illustratores ac patronos merito referendus est Vir Iurisconsultissimus clarissimusque *Ioannes Barbeyracius*, quem anno 1674. Gallia exterorum bono in lucem extulit, ab initio seculi huius doctoris academici munere functum Berolini, Lausanae, ac postremo ab anno 1717. Groningae. Is cum mira polleret linguae patriae peritia, vt *Pufendorfium* orbi notiorem redderet, cum adhuc Berolini esset, aggressus est operis *de Iure naturae & gentium* maioris *versionem Gallicam*, eamque doctissimis *notis* illustratam euulgauit *Amstelodami* a. 1706. in 4. Hinc libellum quoque *de officio hominis & ciuis* ex editione Weberiana in *linguam Gallicam* transtulit, *notisque* explanatum edidit

dit *ibidem* a. 1707. in 8. Lectu digna est quam praemisit *praefatio*, qua vt vtilitatem breuiarii huiusmodi in amplissima Iuris naturalis doctrina demonstraret, probat sententiam *Isaaci Barrowi* Angli, qui habitus mentis nihil aliud esse docuit, quam speciem memoriae. Nisi enim praecepta moralia crebra repetitione & exercitio iugi infigantur memoriae, fore vt sensim eorum obliviscamur, ac postremo habitus euanescat. Ad hoc vero prorsus necessarium *breuiarium* perspicuum & apte dispositum, & in quo praecipua moralis doctrinae capita paucis verbis comprehensa sint, vt vno quasi adspectu fundamenta & nexus praecipuarum vastissimae scientiae veritatum ad animum reuocari queant. Quale quidem inter veterum ad nos transmissa scripta perperam quaeratur, cum artificium systematis iusti componendi superiori demum seculo inuentum sit. Inter omnia autem scripta moralia recentiori hac aetate elucubrata, non facile reperiri *systema* magis perspicuum, solidum, plenum & bene dispositum, quam praesentem Pufendorfii libellum; qui in summa etiam exactior censendus sit ipso eiusdem auctoris maiore de Iure naturae & gentium opere.

Gallica haec *compendii Pufendorfiani editio* altero statim post anno recusa est minus eleganter & accurate *Luxemburgi* Hinc auctor ipse a. 1715. *Amstelodami* eam *tertium* euulgauit, & *quartum* a. 1718. cum iam cathedrae Iuridicae in academia Groningensi praefectus esset, emendatiorem longe & notis auctiorem, in quibus nonnullorum hor-

hortatu ſubiecit exempla regularum applicationi proficua, paſſimque & ipſum auctorem correxit. Tum quoque poſtremae editioni ſubiunxit *Epiſtolam Leibnitianam*, Gallice item verſam, & copioſis meditationibus acriter ſubinde caſtigatam. Quam cum viuo adhuc *Leibnitio*, magni tum nominis inter eruditos viro, ſed eodem fere tempore fato functo, compoſuiſſet, ac typographo tradidiſſet, lepide ſimul ac modeſte finxit, auctorem ſibi eius ignotum eſſe, ideoque pro *Anonymi* foetu eam venditauit, exemplo ad poſteritatem memorando. Quod in praefatione & notis ingenue faſſus eſt, nec male ſuſpicatus, arcanas ſubfuiſſe cauſas, cur Leibnitius Pufendorfio conterraneo ſuo, variis oblatis occaſionibus, ſe iuſto iniquiorem praebuerit. *Quintam* denique *editionem* ſplendidam prorſus & elegantem, & paulo ampliori forma emiſit *ibidem* a. 1735. quamplurimis etiam notis auctiorem, & paſſim prioribus politiorem; cui in calce adiectae ſunt plenae bonae frugis *orationes* eius *duae de permiſſione & beneficio legum*. In qua etiam hinc inde reſpondet ad dubia ipſi ab aliis eruditis viris mota; quorum tamen pleraque, quod nec ſuam nec Pufendorfii mentem ſatis iſti aſſecuti ſint, id quod ſibi ob diuturnum in ſcriptis eius explanandis ſtudium merito quaſi peculiare vindicat, ſicco praeterire pede maluit, quam vitilitigiis, a quibus alioquin ob ingraueſcentem aetatem alienior ſit, tempus perdere. Quale quid etiam in praefatione reponit Doctori cuidam adoleſcenti *Balthaſari Branchu*, qui *Obſeruationibus ad Ius Romanum Lugduni Bat.* a. 1721. edi-

editis adiunxerat *Leibnitium contra Barbeyracium vindicatum.*

Nec tamen ob *notas* ſolum commendanda eſt haec *Pufendorfiani compendii editio,* ſed vel maxime ob *verſionem Gallicam* ipſam, quae paſſim commentarii vicem explet. Id quod etiam de *Gallicis* eius *maioris operis*, & *Grotiani* item *de Iure belli & pacis verſionibus & editionibus* tenendum eſt. Addo quod easdem ita compoſuerit, vt perpetuum ſimul *in compendium* iſtud *commentarium* praeſtarent; vnde & in hoc explicando paſſim ad vtrumque iſtud opus maius prouocat. Vt propterea omnes doctrinae Pufendorfianae aeque ac Barbeyracianae ſectatores admiratoresque neceſſe omnino habeant, *tres iſtos libros* vna ſibi comparare, locupletem *Iurisprudentiae vniuerſalis theſaurum* in crebra eorum lectione & comparatione certo certius inuenturi. Ac *maius* quidem *opus Pufendorfii Gallicum ſecundis curis* politius auctiusque prodiit *Amſtelodami* a. 1712. *tertia vice* auctore inſcio parum emendate recuſum in Gallia, quamuis titulus Amſtelodamum mentiatur; quo de nonnulla queſtus eſt in praefatione compendii Pufendorfiani. *Quinta* denique & locupletiſſima *editio,* ab ipſo auctore procurata, excuſa eſt *Amſtelodami* a. 1734. in 4. Neſcio vero an in *Latina* eiusdem *operis maioris editione*, cum *notis Hertii*, a mendis repurgata, quam poſt primam *Francofurti ad Moenum* a. 1706. excuſam, prodiiſſe lego *Amſtelodami* a. 1715. partes aliquae *Barbeyracii* interceſſerint, quoniam eam intueri haud licuit, *Germanicae* quidem *verſioni*, quae *Francofurti* a.

1711.

1711. prodiit, tam *Hertii*, quam *Barbeyracii* selectae notae accessere. *Grotii* vero opus cedro dignum *de Iure belli & pacis*, post editiones Gronovianas, *Latine* euulgauit *Barbeyracius Amstelodami* a. 1720. in 8. *Gallice* vero *versum* & *notis* illustratum *ibidem* edidit a. 1724. in 4. & luculentius ni fallor a. 1736.

Sed nec cetera cultissimi doctissimique *Barbeyracii scripta* praetereunda sunt, vt integrior ex illis *doctrinae moralis apparatus* comparari queat, ea praesertim ad quae in *notis* passim lectores solet ablegare. Qualia sunt sub hisce titulis euulgata: *Traité du Jeu, Amst.* 1709. *in* 8. *Voll.* 2. & ex auctiore editione *ib.* 1737. *Voll.* 3. cuius libri etiam Germanica extat versio. Item: *Traité de la Morale des Peres de l Eglise, ibid.* 1728. *in* 4. cum quo libro *praefatio maiori Pufendorfii operi* praemissa conferenda est, & inspicienda quoque *praefatio editionis quintae compendii Pufendorfiani.* Item: *Defense du Droit de la Compagnie Hollandoise des Indes orientales, Hagae Com. a.* 1725. *in* 4. Tum quae ex *Noodtio* atque aliunde transtulit, aut ipse sparsim prius edidit, sub titulo: *Recueil de Discours sur diverses matieres importantes traduits ou composez par J. Barbeyrac, Amst. a.* 1731. *in* 8. *Voll.* 2. Oratio quoque eius *de Magistratu forte peccante, e pulpitis sacris non traducendo*, Latine occurrit in *Kromeyeri Instructione de elencho morali homiletico, Erfordiae a.* 1722. *in* 8. & seorsim recusa *Tubingae* a. 1724. Versiones enim Gallicas concionum *Tillotsoni* Angli, similiaque plura lubens praetermitto.

Tam-

Tametsi vero lucubrationes Barbeyracianae non rectius, quam in Gallica legantur lingua, & sic insigne pretium prae quibusuis earundem in alias linguas translationibus retineant: non damnandus tamen protinus erit omnino labor, si qui in gratiam eorum, qui ignari sermonis Gallici, aut saltem in Germanorum academiis Latino adsuetiores sunt, Latine etiam loquentem auctorem inducant. Ac *compendium* quidem *Pufendorfianum ex instituto & cum notis Barbeyracii Latine* euulgare aggressus est Vir clarissimus *Sebastianus Masson*, Monsbellicardensis, cui lingua Gallica vernacula fuit, praeter quam tamen etiam Latinam, Italicam & Germanicam probe calluit, insigni praeterea doctrinae pariter ac formae morumque elegantia conspicuus. Is cum in *aula Darmstadina* aliquandiu versatus esset, anno 1720. ad *Giessensem* missus *academiam*, splendidissimaeque *Iuris naturae & gentium*, *Ethicae item ac Politicae Professioni* admotus est, cum & ego breui post in primo aetatis flore e Saxonia accerserer, proximumque ab ipso locum obtinerem. Vnde inter nos facile arcta coaluit amicitia, donec me subinde aduersa valetudo a crebro hominum remoueret corsortio, illum alia incommoda & amicis & academiae paullatim subtraherent, mortalibus tandem ereptum sub finem anni 1739. circiter quinquagenarium, & ab an. 1732. *Professoris honorarii & Consiliarii in Sanctioribus Principis Commissionibus* titulo gauisum. Cum enim ab initio statim ad maiora eniteretur, scriptis & exercitationibus academicis inclarescere noluit. Ac istud quoque laudi eius imputandum

dum duco, quod *gener* in hac academia factus eſt ſummi quondam in Iure & ciuili ſcientia *Hertii*, cuius in maius Pufendorfii opus notas ſupra allegaui.

Maſſonus igitur quam dixi *nouam compendii Pufendorfiani editionem* Bibliopolae noſtratis rogatu adornauit, *primo* euulgatam *Gieſſae a.* 1728. & *ſecunda vice a.* 1731, ita quidem vt auctoris *textum* ex *editione Weberiana* repeteret, ſed in eo *more Barbeyracii*, qui & Carmichaëli placuit, *praecipua momenta Italicis litteris & verſibus nouis* diſtingueret, *ſummaria* vero & *citationes maioris operis* aeque ac *notas* ipſius in ſermonem Latinum transferret, atque illas in marginibus adderet, has ſubiiceret textui, & *indicem* item Latine redditum in calce ſubiungeret. Denique ſeorſim addidit ſub *Anonymi* item titulo *Epiſtolam Latinam Leibnitii de principiis operis Pufendorfiani de officio hominis & ciuis*, a *Boehmero* primum editam, hinc *Aulae librorum nouae Lipſiae a.* 1711. *editae P. XI. pag.* 837. *ſqq. inſertam*, & editionibus *Pagenſtecheri* & *Weberi* ſubnexam; additis illi & translatis item *animaduerſionibus Gallicis*. In praefixa duabus hiſce editionibus *praefatione Maſſonus* pro modeſtia ſua demonſtrauit, ſe ad laborem hunc ſuſcipiendum haudquaquam *liuore* quodam *academico*, aut inclareſcendi cupiditate adductum eſſe, ſed inprimis etiam motum *praeſtantia obſeruationum Barbeyracii*, quae eximiam Pufendorfio lucem affundant. *Plena,* ait, *iudicii, ſagacitatis, elegantiae, vſus, ſunt omnia: & in iis quoque, in quibus non omnes forte conſentientes habuerit, copia abundat ſalis & ingenii. Neque ad illuſtranda,*

ſtranda, vindicandaue a peruerſis quibuscunque interpretationibus principia, quibus hoc ſyſtema ſuperſtruitur, conferre quicquam magis poterat, quam animaduerſiones, quas vir laudatiſſimus infenſae Anonymi cuiusdam, iam quidem omnibus noti, cenſurae pari ſoliditate ac modeſtia adpoſuit. Idem deinde docet, vſum ſe *editione verſionis Gallicae de a. 1723.* quae mihi quidem haud innotuit. Denique de *Latina* ſua *verſione* haec adiicit: *Hoc adſerere auſim, ſi non omnis ſtili nitor conſpiciatur, quod nec facile verſiones patiuntur, ſaltem expreſſum eſſe perſpicue ac fideliter auctoris ſenſum, neque fortaſſis hoc nomine quicquam deficere.* Verbo & illud commemorandum eſt, *ſecundam Maſſoni editionem* a *prima* haudquaquam differre, aut meliorem eſſe, quod aliquibus perſuaſum eſſe memini. Quicquid ſit, emtores liber reperit, & hoc ſatis erat ad probandum, impenſum ei laborem haud fruſtraneum fuiſſe. An vero Vir optimus ſemper Barbeyracio & doctioribus aliis ex aſſe ſatisfecerit, de hoc liberum per me erit cuiuis iudicium.

Sane Bibliopola, cum varia in *duabus prioribus editionibus* deſiderari audiuiſſet, & *tertiam* pridem *meliorem* parauiſſet, iam praerepto praematura morte *Maſſono*, mihi conſilium ſuum aperuit, opemque meam implorauit; tametſi ſciret, Latinae quidem linguae facultate me illi nullo modo cedere, Gallicae tamen ſcientia & copia vix ac ne vix quidem comparandum eſſe. Quid agerem, non diu haeſitaui: tentaui negotium, idque facilius opinione ſucceſſit. Nouam tamen plane verſionem fabricare me Bibliopola vetuit, quod

for-

fortaſſis aeque facile ſucceſſurum erat. Retexui igitur veterem, emendaui, ſuppleui, & ex *nouiſſima editione Gallica* plurima de nouo tranſtuli, ac in exprimenda auctoris ſententia ſumma fide verſari ſtudui; tum quoque *textum Latinum* accurate recenſui, & inſolentiorem interpunctionem mutaui: vt propterea paſſim *noua* omnino *haec tertia editio*, & ſi hoc propoſitum fuiſſet mea, dici mereatur; prouti his, qui cum hac priores editiones conferre voluerint, in omnibus fere lineis apparebit. Neque vero me liuor, aut vanae gloriae aucupium, ad hunc laborem impulit, ſed publica vtilitas, non niſi ex accurata & perſpicua verſione expectanda. Quam ſi non ſemper in praeſenti editione aſſecutus fuero, in poſterum volente Deo retexere denuo feſtinatius ſcripta haud grauabor. Scribebam *Gieſſae Haſſorum*, d. 10. Sept. anno 1749.

SAM. PVFENDORFII

De

Officio hominis & ciuis

Titulorum Elenchus.

Præfatio Auctoris.

NI receptus plerisque eruditis mos legis propemodum vim induisset, superuacuum videri poterat, circa rationem huius (a) scripti aliquid praefari; cum res ipsa satis loquatur, me nihil aliud egisse, quam vt tironibus praecipua Iuris Naturalis capita brevi, &, vt arbitror, perspicuo compendio exponerem: ne, si citra cognitionem velut elementarem in diffusa eius disciplinae spatia sese immiserint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur. Simul & illud publico expedire visum est, eiusmodi doctrina morali studiosae iuuentutis animos imbui, cuius vsus manifestus in vita ciuili spectaretur. Et licet alias semper inglorium iudicauerim, aliorum diffusiora scripta, & multo magis propria in compendium redigere: tamen

Consilium Auctoris.

(a) Edidit illud sub initium anni 1673. *Londini Scanorum*, altero anno post euulgatum Opus maius, cuius hoc est compendium.

men cum ſuperiorum auctoritas accederet, a cordatis vitio mihi verſum iri non arbitror, quod iſthoc laboris vnice iuuentutis vtilitati dare voluerim; cuius merito tantus eſſe fauor debet, vt in eiusdem gratiam ſuſcepta opera, etiam ingenii & ſplendoris non capax, nemine indigna ſit iudicanda.

Ceterum quin eiusmodi principia ad vniuerſam iuris diſciplinam magis idonea ſint, quam *cuiusuis iuris ciuilis elementa*, nemo cui ſanum ſinciput, abnuet.

Atque haec in praeſens ſufficere poterant, ni quidam monuiſſent, non abs re fore, aliqua praemittere, quae ad indolem Iuris Naturalis in vniuerſum intelligendam, eiusdemque limites accuratius deſignandos facerent. Quod eo lubentius ſuſcepi, quia hoc modo praetextus adimitur hominibus importune curioſis, febriculoſam ſuam cenſuram extendendi ad hancce diſciplinam, quae ſaepe velut interiecta ab ipſorum prouincia disiungitur.

§. I.

§. I. Manifestum igitur est, ex tribus velut fontibus homines cognitionem officii sui, & quid in hac vita sibi tanquam honestum sit agendum, tanquam turpe omittendum, haurire: ex *lumine rationis*, ex *legibus ciuilibus*, & ex *peculiari reuelatione* diuini Numinis. Ex primo fluunt officia *hominis* communissima, praecipue quae ipsum cum aliis hominibus sociabilem reddunt: ex altero officia hominis, quatenus peculiari & definitae *ciuitati subiectus* degit: ex tertio officia hominis *Christiani*. Quot sint disciplinae, in quibus docentur officia hominum.

Inde & tres separatae disciplinae proueniunt: quarum prima est *Iuris Naturalis*, omnibus gentibus communis: altera *Iuris Ciuilis* singularum ciuitatum, quae tam multiplex est, aut esse potest, quot numero sunt ciuitates, in quas genus humanum discessit: tertia *Theologia Moralis* habetur, illi parti Theologiae contradistincta, qua credenda exponuntur.

§. II. Singulae harum disciplinarum modum sua dogmata probandi adhibent, Discrimen generale inter Ius

Naturale, Ius Ciuile, & Theologiam Moralem.

bent, suo principio respondentem. In *Iure Naturali* aliquid faciendum adseritur, quia per rectam rationem idem ad socialitatem inter homines necessarium colligitur. Praeceptorum *Iuris Ciuilis* vltima ratio est, quia legislator ita constituit. *Theologus Moralis* in eo vltimo adquiescit, quia Deus in scripturis sacris ita iussit.

Praecepta vnius harum disciplinarum non repugnant praeceptis alterius.

§. III. Quemadmodum autem disciplina *Iuris Ciuilis Ius Naturale* (1), tanquam generalem magis disciplinam praesupponit: ita si quid Iure Ciuili continetur, de quo Ius Naturale silet, non ideo hoc illi repugnare censendum est. Simili modo si in *Theologia Morali* aliqua tradantur ex reuelatione diuina profluentia, ad quae ratio nostra iam non pertingit, quaeque adeo & Ius Naturale ignorat: imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam istarum disciplinarum somniare. Vice versa, si quae

§. III. (1) Videantur quae tradit Auctor sub nomine IVLII RONDINI, praefat. ad ERID. SCAND. in Postscripto.

quae in disciplina Iuris Naturalis praesupponantur ex eo, quod per rationem inuestigari potest: illa propterea iis, quae sacrae litterae super eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur; sed tantum abstrahendo concipiuntur. Sic v. g. in disciplina Iuris Naturalis, abstrahendo ab illa cognitione, quae ex sacra scriptura hauritur, formatur *conditio primi hominis* vtcunque in mundum proiecti, quatenus sola ratiocinatio adsequi potest: ista opponere iis, quae super eadem conditione diuinae litterae tradunt, hic vero est succus nigrae loliginis, haec est aerugo mera.

Enimuero vti Iuri quidem Ciuili & Naturali facile inter se conueniet: ita inter *Ius Naturale* & *Theologiam Moralem* fines regere, ac quibus potissimum partibus illa differant, definire, paulo operosius videtur. Qua super re paucis sententiam meam exponam; non quidem pro auctoritate Papali, ac si ab omni errore priuilegio aliquo mihi cautum foret; neque qui ex somniis di-

vinitus immissis, aut irrationabili aliquo instinctu, singularis cuiusdam illuminationis fiducia animetur: sed tanquam talis, cui spartam sibi commissam pro modulo ingenii exornare cordi sit. Ita tamen, vt, quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora suggerentes lubenter audire, & citra pertinaciam prius placita emendare sum paratus: sic floccifaciam Midae aemulos censores, rerum ad se nihil spectantium arbitria proterue inuolantes, totamque ardelionum nationem; cuius characterem lepidissime *Phaedrus* repraesentat (2): *trepide*, inquit, *concursans, occupata in otio, gratis anhelans, multa agendo nihil agens, sibi molesta, & aliis odiosissima.*

Momenta discriminis inter *Ius Naturale* & *Theologiam Moralem.*

1. Diuersitas principi-

§. IV. Primum igitur discrimen, quo istae disciplinae inuicem separantur, resultat ex *diuerso fonte*, vnde sua dogmata vtraque deriuat: de quo iamiam aliquid tetigimus. Ex quo consequitur, si aliqua sint, quae diuinis litteris agere aut omittere iubeamur, quorum necessitatem

(2) PHAEDR. *lib.* II. *fab.* V. *vers.* 1. & *seqq.*

ſitatem tamen ratio ſibi relicta perſpi- cere nequit, illa extra Ius Naturale eſſe, & ad Theologiam Moralem pro- prie ſpectare. pii fundamentalis dogmatum.

§. V. Praeterea in *Theologia* lex con- ſideratur, prout innexam habet *diuinam promiſſionem*, & quandam rationem *foe- deris inter Deum & homines*: abs qua con- ſideratione Jus Naturale abſtrahit; quippe cum iſta a peculiari Dei reue- latione proficiſcatur, quam ſola ratio inuenire nequit. 2. Diuerſitas modi, quo leges vtrobique ſunt propoſitae.

§. VI. Illud porro diſcrimen longe maximum eſt, quod finis diſciplinae *Iuris Naturalis* tantum ambitu *huius vitae* includatur; (1) adeoque ea ho- 3. Diuerſitas finis.

 minem

§. VI. (1) Verum quidem eſt, revelationem extra omnem dubitationem poſuiſſe, euidentemque omnino reddidiſſe immortalitatem animae æque ac poenas & praemia alterius cuiuſdam poſt hanc vitae: validiſſimumque ac proprium, quod Theologia Moralis ſubdit, incitamentum eſſe ſpem aeternae beatitudinis, iis omnibus propoſitae, quibus praecepta Euangelii obſeruare cordi fuerit. At non ideo decet ex Iure Naturali omnem cauſam impulſiuam, ex conſideratione futurae vitae depromtam, excludere. Nam ſaltem hoc ſolo rationis lumine adſequi homo valet, veroſimillimum eſſe, Deum eos in altera vita puniturum, qui violata naturæ lege, in hac vita

minem formet, prout hanc vitam cum aliis *sociabilem* exigere debeat. Ast *Theologia Moralis* hominem *Christianum* informat, cui propositum esse debet, non hanc solum vitam honeste transigere; sed qui fructum pietatis post hancce vitam maxime exspectat; quique adeo πολίτευμα *suum in coelis habet*, heic autem viatoris duntaxat aut peregrini instar gerit. Quanquam enim animus hominis non solum (2) ardenti

vita vindictam humanam & diuinam effugerint: contrariam vero huic opinionem multo minus esse verosimilem. Iam vero omnes rectae rationis & prudentiae regulae persuadent, ne quis pro obtinendo breui quopiam ac transitorio commodo aut oblectatione, se in possibile aeternae infelicitatis periculum coniiciat. Vt propterea metus poenarum alterius cuiusdam vitae percommode *sanctionem* naturalis legis ingredi queat. Videantur dicta ad IVS NATVRAE ET GENTIVM, *Lib.* II. *Cap.* III. §. 21. & ad *Epistolam censoriam Anonymi* in fine subiunctam §. 6.

(2) Quod post verba, *non solum*, non sequitur, *sed etiam*, quod eis respondeat, coniicio Auctori quidem in animo fuisse, rationem illam hic adiicere, quam nota superiori memini; omissis vero typographorum negligentia verbis, quae eandem exhibebant, ipsum deinde hoc non animadvertisse, aut etiam occasione id corrigendi caruisse; quandoquidem

ti cum affectu immortalitati velut immineat, suique destructionem vehementer auersetur; atque inde apud plerosque gentilium inoleuerit persuasio de animae a corpore separatae duratione, & quod tunc bonis bene, malis male sit futurum: eiusmodi tamen circa haec persuasio, in qua animus hominis plane & firmiter adquiescere possit, ex solo Dei verbo hauritur. Inde & Iuris Naturalis scita (3) ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod vltra hancce vitam sese non extendit; quae ipsa multis in partibus praue ad forum diuinum adplicantur, circa quod Theologiae maxime curae est.

§. VII. Ex quo & illud fluit, vt, quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur, ad ea autem, quae intra pectus latitant, nec

4. Diuersitas obiecti.

A 5

dem praeter priorem Editionem ceterae, quae eo superstite prodierunt, omnes ipso nec praesente, nec iubente confectae sunt.

(3) Vide quae adnotaui ad *Epistolam censoriam Anonymi* §. 7. *sq.*

nec aliquem effectum aut signum foras producunt, non penetret, adeoque nec circa eadem sit solicitum; *Ius Naturale* magnam partem circa formandas hominis *exteriores actiones* versetur. Ast *Theologiae Morali* non sufficit, exteriores hominis mores vtcunque ad decus composuisse; sed in eo maxime laborat, vt animus eiusque motus interni ad placitum Numinis fingantur: & illas ipsas actiones improbat, quae extrinsecus quidem recte se videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quae ratio etiam videtur, quare in diuinis litteris haut ita frequenter agatur de illis actionibus, quae poenis fori humani sunt sancitae, aut circa quas ibidem ius dicitur, quam de illis, quae, vti *Seneca* loquitur, sunt (1) extra *publicas tabulas*; vti mani-

§. VII. (1) *Quam angustà innocentia est, ad legem bonum esse! quanto latius officiorum patet, quam iuris regula! quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt!* (id est Leges XII. Tabb.) de Ira *Lib.* II. *Cap.* XXVII.

manifeſte adparet iis, qui praecepta & virtutes ibidem inculcatas accurate inſpexerint. Etſi, cum & illae ipſae virtutes Chriſtianae animos hominum ad ſocialitatem quam maxime diſponant, Theologia quoque Moralis honeſtatem vitae ciuilis efficaciſſime promoueat. Vti & vice verſa, ſi aliquem videas, qui turbulentum & importunum vitae ciuilis membrum ſe gerat, tuto iudices licet, religionem Chriſtianam intra labra tantum ipſi haerere, cor nondum penetraſſe.

§. VIII. Atque ex hiſce non ſolum genuini limites, qui Ius Naturale, prout a nobis illud traditur, a Theologia Morali ſeparant, manifeſte, puto, adparent; ſed etiam quod Ius Naturale nequaquam dogmatibus verae Theologiae repugnet; ſed tantum a quibusdam eius dogmatibus, quae per ſolam rationem inueſtigari nequeunt, abſtrahat.

In Iure Naturali conſiderari homo debet, qualis eſt poſt lapſum.

Vnde & illud patet, neceſſarium eſſe, vt in diſciplina Iuris Naturalis *homo* nunc conſideretur, *prout ipſius natura* *eſt*

est corrupta, adeoque prout est animal, multis prauis cupidinibus scatens. Nam etsi nemo hodie tam stupidus sit, quin in seipso inordinatos ac in deuia tendentes adfectus deprehendat: tamen nisi diuinae litterae praelucerent, nemini iam constare posset, illam adfectuum rebellionem per culpam primi hominis prouenisse. Et consequenter cum Ius Naturale ad ea non abeat, quo ratio pertingere nequit, incongruum foret, idem ex natura hominis integra velle producere. Praesertim cum & pleraque praecepta ipsius *Decalogi*, prout verbis negatiuis concepta sunt, naturam hominis corruptam manifeste praesupponant. Sic v. g. primum praeceptum vtique praesupponere videtur hominem ad *idololatriam* aut πολυθεότητα credendam procliuem. Si enim ponas hominem integra adhuc natura praeditum, in quo liquida Dei erat cognitio, & qui subinde velut familiari eius conuersatione fruebatur non video, quomodo tali in mentem venire potuerit, aliquod sibi fingere

quod

quod loco veri Dei, aut cum eo colere vellet; aut credere in eo Numen inesse, quod ipse finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negatiuis iniungi, *ne Deos alienos coleret*; sed sufficiebat eidem simplex & adfirmatiuum praeceptum: *Diliges, honorabis & coles Deum, quem vniuersi hujus, & tuum quoque Creatorem nosti.* Idem circa secundum praeceptum obtinet. Nam quare negatiuo praecepto vetaretur Deum *blasphemare*, qui liquido ipsius Maiestatem & beneficia intelligebat, & quem nullae prauae cupidines agitabant, cuiusque animus statu sibi a Deo adsignato placide adquiescebat? Quomodo hunc tanta insania subire poterat? Quin hic adfirmatiuo tantum praecepto monendus erat, vt nomen Dei glorificaret. Aliter tamen dicendum videtur de tertio, vt & quarto praecepto: quae cum adfirmatiua sint, neque necessario corruptam naturam praesupponant, in vtroque statu locum inuenire possunt. Sed circa reliqua praecepta, proximum spectantia, res aeque est manifestissima. Homi-

Homini enim, qualis initio a Deo conditus erat, sufficiebat simpliciter iniunxisse, vt proximum suum diligeret, ad quod & natura procliuis erat: ast quomodo eidem poterat praecipi, *ne occideret*, quando nondum mors cadebat in hominem, quae per peccatum in mundum introiuit? Verum nunc negatiuo praecepto quam maxime opus est, vbi pro dilectione tanta odia inter homines grassantur, vt etiam magna eorum seges detur, qui ex mera inuidia, aut libidine alterius fortunam inuadendi, alios non innocentes solum, sed & amicos & de ipsis bene meritos, subuersum ire non dubitent; & quidem, vt horridum & inconsultum turbulenti animi impetum sub conscientiae vocabulo, si Diis placet, venditare non erubescant. Sic quid opus erit expresse *adulteria* vetare inter eos coniuges, qui tam ardenti & sincero amore sese amplecterentur? aut quid *furta* vetare intererat, cum nulla adhuc auaritia, nulla penuria foret, & nemo quid sibi proprium putaret, quo alteri

prodesse

prodeſſe poſſet ? Aut quid neceſſum erat *falſa teſtimonia* interdicere, cum nondum exiſterent, qui exinde famam ſibi atque gloriam aucuparentur, ſi alterum foeda atque inficeta calumnia adſpergere poſſent ? Sic vt non inepte huc adplicaueris illud Taciti: (1) *Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine poena aut coërcitionibus agebant: & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

§. IX. Atque haec ipſa probe intellecta viam pandere poſſunt ad amouendam eam dubitationem: *num* igitur *lex naturalis diuerſa fuerit in ſtatu naturae integrae, an vero eadem?* Vbi paucis reſponderi poteſt, ſumma legis capita in vtroque ſtatu eſſe eadem; ſed multa praecepta particularia propter diuerſitatem conditionis humanae variare; ſeu potius eandem ſummam legis per diuerſa, non tamen contraria, praecepta ſeſe explicare, prout diuerſo ſeſe modo

An Ius Naturale diuerſum fuerit in ſtatu integritatis?

§. VIII. (1) *Annal. Lib.* III, *Cap.* XXVI. *num.* 1. 2.

modo habuit homo, cui illa lex obſervanda.

Summam legis Saluator noſter ad duo capita redegit: *dilige Deum*, & *dilige proximum.* Ad hæc capita referri poteſt vniuerſa lex naturalis, tam in integro, quam in corrupto ſtatu hominum; niſi quod in ſtatu integro nullum aut modicum videatur diſcrimen fuiſſe inter Ius Naturale & Theologiam Moralem. Nam & ſocialitas, quam nos pro fundámento Iuri Naturali ſubſtrauimus, commode in dilectionem proximi reſolui poteſt. Sed quando ad praecepta particularia deſcenditur, ſane diſcrimen non leue emergit, tam circa praecepta adfirmatiua, quam negatiua.

Et quidem ad adfirmatiua praecepta quod attinet, eorum non pauca iam in iſthoc ſtatu dantur, quibus in primaeuo ſtatu locus non fuiſſe videtur; idque partim quia illa praeſupponunt tale inſtitutum, quod an in feliciſſimam hominum conditionem cadat, non conſtat; partim quia ſine miſeria & morte, quae

quae ab illo ſtatu exulabat, non intelliguntur. V. g. iam inter praecepta legis naturalis eſt, *ne quis alterum in emtione venditione decipiat; ne falſa vlna, menſura aut pondere vtatur; vt pecuniam creditam conuento tempore reſtituat.* Aſt illud nondum ad liquidum eſt perductum, an, ſi peccati expers genus humanum perſtitiſſet, eiusmodi commercia, qualia nunc agitantur, exercenda fuerint, & an aliquis vſus pecuniae tunc futurus fuerit. Sic ſi tales ciuitates, quales nunc ſunt, in ſtatu innocentiae locum non habuerunt, locus quoque ibidem non fuit praeceptis, quae id genus ciuitatum, iisque contentum imperium praeſupponunt. Iam quoque Iure Naturali iubemur, *ſuccurrere egenis, ſubuenire iniqua calamitate oppreſſis, curam habere viduarum orphanorumque:* atqui haec fruſtra praecipiuntur iis, qui miſeriae, egeſtati, mortique non ſunt obnoxii. Ad *condonandas iniurias, pacemque conciliandam* pronos eſſe nos iam iubet lex naturalis: quae fruſtranea eſt inter eos, qui in leges ſocialitatis non peccant.

Atque id ipſum manifeſte quoque perſpicitur in praeceptis negatiuis, ad ius iam naturale, non poſitiuum, ſpectantibus. Etſi enim quoduis praeceptum adfirmatiuum virtualiter contineat interdictum omnis oppoſiti; v.g. qui iubetur diligere proximum, eo ipſo vetatur inferre illi omnia, quae dilectioni repugnant: tamen vt expreſſis praeceptis negatiuis illa ſanciantur, ſuperfluum videtur, vbi nullae prauae cupidines ad talia patranda propellunt. Ad quod illuſtrandum accommodari poteſt, quod *Solon* (*a*) parricidarum poenam lege publica ſancire noluit, quod tantum ſcelus in aliquem filium cadere non arbitraretur. Cui ſimile eſt, quod *Franc. Lopez. de Gomara, Hiſt. Gen. Ind. Occident.* cap. 207. refert de *populis Nicaraguae*: apud illos nullam fuiſſe ſtatutam poenam in eum, qui Regulum (*Cacique* ipſi vocant) occidiſſet; quod nullus, aiebant, ſit ſubditus, qui excogitare aut patrare tam dirum facinus velit.

(*a*) *Diogen. Laërt.* Lib. I. §. 59. *Edit. Amſtel.*

Vereor ne putidum videatur, iſthaec

tam

tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum hoc exempli addam. Sunt alicuius informationi commissi duo pueri, sed dispari plane indole. Vnus modestus est verecundusque, & magno litterarum amore flagrans: alter dissolutus, petulans, foedas potius libidines, quam libros amans. Summa officii vtrique eadem, litteras addiscere; sed peculiaria praecepta disparia. Priori enim sufficit iniunxisse, quae studia, quo tempore, quaue ratione tractare debeat, alteri praeter haec acerrima sub comminatione vetandum, ne circumcursitet, ne alea ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis aliena vitula aret, ne pergraecetur, ne scorta consectetur. Eadem si quis prioris indolis puero operose declamare instituat, hic εὐφημεῖν ipsum iubebit, & cuiuis potius quam sibi ista canere, qui talium nulla cupidine tangatur.

Ex quo manifestum arbitror esse, longe aliam fore Iuris Naturalis faciem, si quis statum hominis integrum velit

praesupponere: simulque cum tam liquido limites huius disciplinae, quibus a Theologia Morali seiungitur, designati sint, non deteriore hancce disciplinam conditione futuram, quam Iurisprudentiam ciuilem, Medicinam, Scientiam naturalem, aut Mathesin; in quas si aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, sine populi suffragiis censuram sibi vindicans, non dubitant ipsi occinere, quod quondam *Apelles Megabyzo* (a) de arte pictoria nescio quid disserere adgredienti: *quaeso*, aiebat, *tace, ne pueri, qui melidem terunt, te irrideant, loqui orsum de rebus, quas non didicisti.* Sed cum bonis quidem cordatisque viris facile nobis conueniet: maleuolos autem ineruditosque obtrectatores satius fuerit inuidiae suae excruciandos commendare: siquidem vtique constat, aeternaque positum lege est, vt Aethiops cutem non mutet.

(a) *Plutar. de adulat. & amici discrimine.* *Alii hoc melius *Zeuxi* adtribuunt. Vid. *Aeliani* V. H. Lib. II. Cap. II.

DE

DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

Secundum

LEGEM NATURALEM.

Liber Primus.

CAPUT I.

DE ACTIONIBUS HUMANIS IN GENERE, EARUMQUE PRINCIPIIS ET IMPUTATIONE.

§. I.

OFficium nobis heic vocatur (1) *actio hominis, pro ratione obligationis ad praescriptum legum recte attemperata.* Ad quod intelligendum, necessarium est praemittere, tum de na- Quid heic intelligatur per *officii vocabulum.*

 tura

§. I. (1) Veteres *Stoici* actiones humanas, de quibus hic agitur, etiam vocabulo Graeco, Καθῆκον, & Latino, *officium*, exprimere solebant, quibus respondet vox Gallica, *devoir*. Utrumque istorum vocabulorum *conveniens* quiddam denotabat, hoc est

tura *actionis humanae*, tum de *legibus* in vniuersum.

Quid sit *actio humana*.

§. II. Per *humanam actionem* intelligimus non quemuis (1) motum, a facultatibus hominis procedentem; sed illum duntaxat, (*a*) qui prouenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi prae brutis Creator O. M. at-

(*a*) Vid. I. N. & G. lib. I. cap. V. §. I. 2.

est id, quod *conuenit* (i. e. decet) *facere*, aut *non facere*. Et *conuenientia* secundum istos Philosophos consistit in hoc, ut *rationi consentanee agamus*. Ita enim *Officium* definiebant, ut tradit CICERO: *Quod autem ratione actum sit, id OFFICIVM adpellamus*. De fin. bon. & mal. l. 3. c. 17. Videatur etiam DIOGENES LAERT. Lib. VII. §. 107. Verum haec definitio nimis generalis & vaga est. Possumus enim contra rationem agere, nec tamen propterea facere, quod moraliter malum sit. Nam quicunque certo proposito fine, media non adhibet necessaria, quae eo ducant, manifeste in rationis leges impingit: interim si nulla adest *obligatio*, quae ipsum cogat finem istum necessario procurare, proprie dicendo haud *peccat*, nihil *inhonestum* & *turpe* committit, nec quod eum *poenae* siue animaduersioni cuidam obnoxium reddat.

§. II. (1) Excludit heic Auctor non solum operationes facultatum pure corporearum, atque absolute necessariarum; quales sunt *concoctio ciborum in ventriculo*, *circulatio sanguinis*, *spirituum animalium motus &c.* sed etiam operationes earum facultatum, quae, etiamsi vnice ad mentem referantur, vel ad mentem & corpus simul, nihilominus necessario agunt: vti sunt *intellectus purus*, *facultas sentiendi*, *imaginatio*, *memoria*. Excludit quoque eos facultatum

M. attribuit; nempe, (2) *qui velut praelucente intellectu, ac decernente voluntate suscipitur.*

De intellectu & voluntate, ceu principiis summis actionum humanarum.

§. III. Datum quippe est homini, (*a*) vt non solum varias res, quae in hoc uniuerso occurrunt, possit cognoscere, eas inter se conferre, & harum occasione nouas sibi notiones formare; sed vt etiam possit prospicere, quid acturus sit, ac ad id exequendum sese mouere, idemque ad certam normam, certumque finem conformare, & quid inde proventurum sit, colligere; quin & quae per-acta iam sunt, an ad regulam congruant, iudicare. Sed nec omnes hominis facultates sese perpetuo, aut modo vniformi mouent; verum aliquae istarum intrinseco hominis impulsu excitantur, excitataeque temperantur & diriguntur. Denique nec in omnia ob ecta promiscue homo fertur: sed quaedam adpetit, quaedam auersatur. Saepe

(*a*) I.N. & G. lib. I. cap. I. §. 2. & cap. III. §. 1.

tatum nostrarum motus, qui licet vt plurimum a nobis dependeant, excitantur tamen interdum nobis haud participantibus; quale quid cernitur in *somnambulis*, *deliris* ac *phreneticis*.

(2) Intelliguntur hic non solum *motus exteriores*, qui producunt actiones sensibiles, sed etiam *motus pure interni*: quamuis vsitatius consideratio posteriorum pertineat potius ad *doctrinam morum*, in sensu speciali acceptam, & distinctam a *Iure Naturae*, in quo præsens liber occupatur. Vid. Autoris *praefatio* §. 7. & annotata ad *Censuram Anonymi* §. 7.

quoque, licet obiectum agendi adsit, motum suspendit; & pluribus obiectis praesentibus vnum eligit, caetera respuit.

Intellectus naturaliter rectus est in rebus moralibus.

(a) Vid. ad hunc & quatuor sequentes Paragraphos I. N. & G. lib. I. cap. III.

§. IV. Circa facultatem (a) ergo comprehendendi & (1) diiudicandi res, quae *intellectus* vocabulo venit, id ante omnia pro certo habendum est: (2) cuilibet homini matura aetate & mente integra tantum superesse naturalis velut luminis, vt adhibita cultura ac debita meditatione, possit recte comprehendere saltem generalia illa praecepta & principia, quae ad vitam hancce honeste & tranquille exigendam faciunt; simulque iudicare, ista vtique indoli humanae congruere. Hoc

§. IV. (1) Confundit heic Auctor actus vtriusque facultatis. Etenim adquiescentia illa mentis in conuenientia, & consensu, quam sibi inter duas aut plures ideas videtur deprehendere, reuera est actus voluntatis: iam vero in hoc consistit, proprie loquendo, *iudicium.* Haec recentiorum Philosophorum obseruatio non solum facit ad proprietates & actus facultatum nostrarum melius discernendas: sed etiam, si bene animum aduertas, ad constituendum solidius imputationis actionum humanarum fundamentum, ac dignoscendam liquidius erroris aut ignorantiae vincibilis indolem, non parum confert. Vide infra §. IX. *not.* 1. & dicta ad I. N. & G. lib. I. cap. III. §. 2. not. 1. Editionis nouae.

(2) Hoc manifeste adparet exemplo *Gentilium*: & disertis verbis illud comprobant sacrae litterae. Ita enim Apostolus: *Cum gentes, quae legem* (scriptam aut reuelatam, qualis est Mosis) *non habent, NATVRA*;

Hoc enim nisi saltem intra sphaeram fori humani admittatur, quibusuis suis delictis homines ignorantiam inuincibilem obtendere possent; cum nemo in foro humano argui possit violasse regulam, quam capere supra ipsius vires est.

§. V. Intellectus hominis, quando de eo, quod agendum vel omittendum est, recte informatus fuerit, (1) & quidem ita, vt sententiae *Quid sit conscientia recta & probabilis.*

B 5

TVRALITER ea, quae legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, (i. e. quod cum male egerint, propria ipsos damnet conscientia, atque e contrario, cum bene egerint, internam inde laetitiam experiantur; ex quo intelligitur, illos vtique ideas boni & mali habere.) Epist. ad *Rom. cap. II*, 14. *seqq.* Conf. etiam *Apolog.* Auctoris §. 21. Quodsi gentilium sapientissimi perspicacissimique, in varios errores crassiores interdum, quoad argumentum morum doctrinam concernens, inciderunt, ex hoc id solummodo probatur, quod homines ratione sua abuti, & attentione necessaria destitui possint.

§. V. (1) Debuisset Auctor definitionem tradere *conscientiae*. Non leuis hic est defectus. Ad quem resarciendum dico, quod *conscientia* sit *iudicium, quod quilibet gerit de propriis actionibus, comparatis cum ideis, quas tenet de certa norma, quae* lex *dicitur, ita vt intra semetipsum colligat, illas cum his aut conuenire, aut non conuenire.* Dixi, *comparatis cum ideis, quas de lege tenet*, non vero *cum ipsa lege*:

tentiae suae certas & indubias rationes norit reddere,

lege: quoniam lex actionum nostrarum norma esse nequit, nisi in quantum cognoscitur. Ex quo tamen propterea non sequitur, licere vnicuique ad peragendum aliquid sese determinare, statim atque illud lege permissum esse existimat, aut praeceptum, quacunque id sibi ratione in animum induxerit. Sed ecce duas regulas facillimas, quas vel simplicior quisque in quolibet peculiari negotio sequi potest ac debet: I. *Antequam ad sequendos conscientiae motus se quis determinet, sedulo exploret, an ea perspicacia iisque subsidiis instructus sit, quae exposcit praesentis causae diiudicatio*. Haec enim si desint, (at hoc ipsum sensus communis quemlibet vltro docuerit) citra inexcusabilem, periculosissimamque temeritatem nihil decidi, multoque minus suscipi poterit. Quod dictum tot hominibus velim, qui circa controuersias Religionis, aut difficiliora problemata Moralia vel Politica, aut intricatiores lites &c. has vel illas amplecti partes sustinent. II. *Etsi in vniuersum quidem perspicacia ac subsidia ad praesentis causae diiudicationem necessaria suppetant; dispiciendum tamen porro est, an iis quis reuera vsus fuerit, ita vt confidenter & sine prolixiori examine id, quod suggerit conscientia, aggredi possit.* Sic e. g. in mercatura, aliisue ciuilis vitae negotiis, sexcentis tranquillo animo solet indulgeri technis ac fraudibus, quarum vltro se proderet turpitudo, si liquidissima alias in vniuersum cognita principia tantisper ad animum revocarentur. Sic qui insectando religionis nomine innocentes & praeconio dignos homines, inservire religioni, & promouere sibi diuinam videntur gloriam, non aliam ob causam, quam quod bona fide ductum sequuntur conscientiae, si serio id cogitarent,

reddere, solet vocari (2) *conscientia recta.* Sed vbi quis veram quidem sententiam circa agenda vel omittenda fouet, quam tamen ipse per rationes demonstrare nequeat, sed eandem ex vitae ciuilis tenore, ex assuetudine, aut superiorum auctoritate hauserit; neque tamen ipsi suppetat ratio, quae contrarium magis persuadeat, solet vocari *conscientia probabilis.* Qua maxima pars mortalium regitur: quippe

tarent, nullo negotio perspicerent, nihil aduersum magis verae pietati, humanitati, legibusque indubiis plane iustitiae, sese committere posse.

(2) Prout hanc conscientiae speciem definit Auctor, vocanda melius *conscientia demonstratiua* fuisset: quippe cum *rectitudo* conscientiae, secundum maxime naturalem vocis sensum, simplicem eiusdem conuenientiam cum lege inuoluat, & *conscientia probabilis* itidem, secundum Auctorem, per se cum lege congruat. In quo nihilominus falsa nititur hypothesi: etenim cum quis nudis innititur probabilitatibus, praesertim aeque leuibus atque illae sunt, queis in rebus moralibus adquiescere maxima mortalium pars sueuit; quemadmodum non nisi fere ex accidenti fit, vt ad veram quis delabatur sententiam; ita falli eum saepius, quam recta incedere via, naturae consentaneum est. Sed testatur etiam experientia, praeter communia & pauciora principia, vulgus hominum innumeris imbutum esse falsis principiis, veris numero longe superioribus. Vide de cetero *notam* sequentem, qua accuratior variarum conscientiae specierum definitio traditur.

quippe cum paucis rerum cognoscere causas concessum sit (3).

De *conscientia dubia.* §. VI. Solet tamen quibusdam non raro euenire circa casus potissimum singulares, vt ex vtraque parte sese offerant rationes, nec illi ita polleant iudicio, vt vtrae praeponderent, liquido discernere queant. (1) Id quod

(3) Quandoquidem diuisiones conscientiae, quas heic habet Auctor, imperfectae satis sunt, parumque accuratae, & nihilominus haec materia maximi est momenti; tradere hic studebo generalem diuisionem, iis non solum, quas instituit Auctor, sed & quas in primis duabus editionibus notarum mearum ad Opus maius de *Iure Naturae & Gentium* Lib. I. Cap. III. §. 5. ipse proposueram, pleniorem exactioremque. I ergo distinguendum existimo inter iudicium mentis, quod fert ante actionem, & quod fert post actionem. Id quod satis commode *conscientia antecedens* & *conscientia subsequens* appellatur. Interdum non nisi posterius se prodit iudicium; quando, quod vsu venire saepius solet, ad actionem aliquam sine praeuio examine, aut saltem cogitatione, futurane sit bona, an mala, acceditur. Quando vero ratione vnius eiusdemque actionis *ambo* producta sunt *iudicia*, haec aliquando inuicem *conformia* deprehenduntur; id quod accidit, cum contra proprias quis notitias egit; quippe tunc vehementius is post patratam actionem se inculpat: paucis existentibus, qui aut tam breui tempore id perspicaciae consequantur, vt quod turpe censuerant ante, id iam legitimum esse sibi persuadeant, aut qui tam cito sententiam suam circa factum reuera legi aduersum reuocent. Nonnunquam tamen etiam *diuersa*

quod vocari ſueuit *conſcientia dubia.* De qua haec eſt regula: *quamdiu in ancipiti haeret iudicium, bonum quid ſit, an malum, actio erit ſuſpendenda.* Nam nondum diſcuſſa dubitatione ad agendum ſeſe determinare, propoſitum peccandi, aut ſaltem neglectum legis inuoluit.

§. VII.

---

diuerſa ſunt illa iudicia; id quod euenit, vel cum citra plenam & integram deliberationem, ſiue ex adfectu, ſiue ex praecipitantia, adeoque indole ac conſequentiis actionis non rite perſpectis, ad eandem quis ſeſe determinauit: vel cum, plena licet adhibita deliberatione, praeuio tamen examine admodum leui quis ſe determinauit. Viuidius enim multo ferit animum idea peracti negotii, quam adhuc peragendi, & ſic poſt factum ſuccedente meditatione, examen demum aut inchoatur, aut perficitur. II. Non attingit heic Auctor iudicium actionem ſubſequens; ſed ſingulae eius diuiſiones ſolum antecedens iudicium reſpiciunt. Mea itaque ſententia, diuerſi actus aut modificationes anticipati huius iudicii, pro ratione diuerſorum ſtatuum, in quibus tunc mens conſtituta eſt, hi ſunt. *Conſcientia* eſt vel *deciſiua*, vel *dubia*, pro gradu perſuaſionis, quem quis attigit, ratione actionis patrandae qualitatis. Quando deciſiue & confidenter quis pronuntiat, hoc vel illud cum lege congruere, vel eidem aduerſari, tunc *conſcientia* eſt *deciſiua*: quae rurſus in *demonſtratiuam* & *probabilem* debet diuidi. *Conſcientia demonſtratiua* eſt, quae nititur rationibus demonſtratiuis, quantum quidem rerum moralium indoles patitur: adeoque ſemper *recta*, aut conformis legi eſt. *Conſcientia probabilis* vero eſt, quae nititur tantum rationibus veri-

De errore vincibili & inuincibili. §. VII. Saepe etiam intellectus hominis pro vero falsum adprehendit; & tunc in *errore* versari dicitur.

Qui

verisimilibus: adeoque aut *recta* est, aut *erronea*; prout opinio illa in se ipsa cum lege aut conuenire, aut non conuenire deprehenditur. Quando quis contra *conscientiae decisiuae* motus agit; si quis se ci ra vllam repugnantiam haesitationemque determinat, tunc est *conscientia mala*; quae ingentem arguit hominis *malitiam*, tametsi forte lapsus quis fuerit iudicio: quale quid in eiusmodi rebus euenire potest, de quibus non nisi ex verisimilibus rationibus firmiter persuasi sumus: sin vero impetu iucundi alicuius adfectus, vel metu grauis mali quis subactus est, tunc *peccatum* est *imbecillitatis* vel *infirmitatis*. Quod si vice versa quis motibus *conscientiae decisiuae* obtemperat, si lubenti nec dubio animo se determinat, tunc est *conscientia bona*; etiamsi forte erretur, ceu adparet exemplo *Pauli*, *Actor Cap. XXIII*, 1. si quis vero cum quadam renitentia agit, atque ita vt abstinere mallet negotio, tunc, quamuis actio in se bona sit, talis nihilominus propter accedentem minus congruam dispositionem non reputatur. III. Fundamenta *conscientiae probabilis*, vere talis, sunt *auctoritas* & *exemplum*, subnixa confuso quodam iudicio de *conuenientia naturali* in rebus, quae materiam officiis subministrant; nec non aliquando *rationibus vulgaribus*, quae ex natura rerum depromtae videntur. Cum autem singula haecce fundamenta non ita solida sunt, vt locus sit absolute illis adquiescendi, *non aliter illis contenti debemus esse, quam cum secus facere haud possumus; & qui tali reguntur conscientia, his omni studio contendendum, ut gradus verisimilitudinis opinionum suarum magis magisque inten-*

Qui *error vincibilis* solet adpellari, quando quis adhibita attentione & diligentia debita cauere poterat, ne in eum incideret; *inuincibilis* autem, quando quis etiam adhibita omni diligen-

intendatur, *ipsique ad conscientiam demonstratiuam, quam proxime potest*, *pertingant*. IV. *Conscientia dubia*, quam *decisiuae* opposui, est vel *irresoluta*, (siue haesitans) vel *scrupolosa*. *Conscientia irresoluta* est, quando vtra pars amplectenda sit nescimus, ob rationes vtrinque sese offerentes, si non perfecte aequi valoris, tamen ad minimum tales, vt neutrobique quicquam ita validum deprehendamus, cui certum firmumque iudicium valeamus superstruere. Et heic locum habet regula, quam tradit Auctor § 6. de *conscientia dubia*, quae illa ipsa est, quam *irresolutam* voco, ad distinctionem eius a *conscientia scrupulosa*, cuius ipse non meminit. *Scrupulosa* autem haec *conscientia* leuissimis aut inanibus quibusdam difficultatibus animo subortis gignitur, ut interea ab altera parte nulla praegnans adpareat dubitandi ratio. Cum vero scrupulus vt plurimum non nisi a falsa aliqua conscientiae teneritudine, aut etiam crassa superstitione oriatur, eo liberari mox, instituto rei serio examine, haud ita difficile fuerit.

§. VI. (1) Dom. CARMICHAEL, *Professor Philos. Glasguensis*, qui post priorem Versionis meae editionem, euulgauit *Edinburgi* Autorem cum Notis suis, dicit hic exceptionem esse faciendam a regula proposita, qualem iam GROTIVS posuerit de I. B. & P. lib. II. cap. XXIII. § 2. n. 3. & quae concernat casus, quibus quis necessitate compellitur ad rerum duarum unam vel alteram faciendam, cum tamen de

diligentia, quam vitae communis ratio fert, iſtum euitare non poterat. Qualis error tamen ſaltem inter eos, queis rationis lumen excolere, & vitam ad honeſtatem componere cordi eſt, non circa communia viuendi praecepta, (1) ſed duntaxat circa ſingularia negotia

de vtroque ſeorſum ſumto, an hoc ſit rectum, ex aequo dubitetur; ita vt, ſecundum eum, aliquando minus ab re vtrumuis fiat, quam vtrumque omittatur: tunc igitur minus periculoſum eſſe eligendum. Optaſſem adhibitum eſſe a Viro erudito exemplum, ex quo mens eius facilius intelligeretur. In omnibus enim, quae mente poſſum concipere, videtur mihi ipſa agendi neceſſitas, qua conſtringimur, comitata eſſe ratione aliqua, quae dubitationem tollat, adeoque hic minime veram exceptionem faciat. Fingamus principem legitimum alterius duorum, quae a ſubditorum aliquo exigit, arbitrium ipſi relinquere, cum tamen vtrumque ita comparatum ſit, vt de vno aeque ac altero, an rectum ſit, dubitet. Verum quidem eſt, ſubditum in hoc caſu debere eligere illud, in quo minus periculoſus error videatur: ſed quidni potius tunc vtrumque omittat? Obſtat hic manifeſta obligatio, qua ad parendum ſuperioribus ſuis compellitur. Non eſt itaque ſolutus ab hac obligatione per nudam dubitationem; & ſi ſuperior, praeſciſſa electione & arbitrio, abſolute iuſſerit duorum alterum fieri, quod decebat omittere, ſi liberam ipſi facultatem permiſiſſet, parendum ex aequo erit. Videantur dicta a me ad GROTIVM c. l. cap. XXVI. §. 4. *not.* 12, 16, 19. &c.

§. VII. (1) Videtur heic Auctor *errorem inuincibilem* reſtringere ad meras res *facti*: verum & ratione *iuris*

gotia incidere sueuit. Nam & naturalis iuris praecepta generalia plana sunt: & qui le-

C ges

---

iuris locum habet quoad res certas, & respectu certarum personarum, ad minimum certis temporibus. Equidem generalissima Naturalis Iuris effata, vt & illa, quae ex iis per immediatas, aut non adeo remotas conclusiones manifeste fluunt, reuera ita sunt comparata, vt homo rationis compos circa talia in errore inuincibili versari nequeat, saltem inter parumper moratas gentes: quod si enim forte reperiuntur gentes ferae & barbarae, quae educationis vitio ita obrutuere, vt manifesta eiusmodi principia formare sibi, aut intelligere non valeant; hae certe propius ad bruta, quam ad homines accedunt, Deoque decet permittere, in quanam classe veniant collocandae. Verum quod attinet ad quaestiones, quae non nisi longa ratiocinationum & conclusionum serie decidi possunt, iis, qui arte ratiocinandi non pollent, quique sibi habitum plures eodem tempore abstractas ideas, earumque inter se nexus considerandi, principiumque aliquod ad cunctas conclusiones suas perducendi non compararunt; iis, inquam, cum de talibus quaestionibus iudicare pertendunt, vix errorem inuincibilem licet effugere; & si qua verum inueniunt, id tamen non nisi casu accidit. Tales vero sunt homines innumeri, qui educatione destituti, cito nimis eiusmodi vitae conditionem amplexi sunt, quae prohibet, quominus animum cum fructu valeant excolere, carentes ceteroquin eorum ope, a quibus iis notitiis rite imbuantur, quae ipsorum quidem captum non superant, sed ad quas tamen percipiendas manuductione & magistro opus habent. Tales etiam sunt, qui praediti alioquin dotibus & subsidiis necessariis, quorum ope vel subtilissimas quae-

ges positiuas fert, id ante omnia agere solet & debet, vt illae subiectis innotescant. Vnde citra

---

quaestiones decidere valeant, nondum tamen satis exercuerunt facultates suas, aut tantum perspicaciae adquisiuerunt, vt post sufficiens examen se determinare queant. Verum etiamsi errores, in quos vtrique prolabuntur, inuincibiles sint, quamdiu in ea conditione manent; non ideo tamen plane sunt excusabiles; atque id sedulo obseruandum est. Ista enim doctrinae ac peritiae inopia, quam in se facile agnoscere poterant, mouere ipsos ad suspendendum iudicium debuisset. Quod quidem sine ullo potest fieri periculo, quamdiu nihil est, quod consensum velut extorqueat: dum e contrario, qui audacius rem decidere sustinent, manifesto se exponunt periculo erroris, & quae inde sequuntur incommodis. Ita vero nisi praegnans & indispensabilis ratio formare in praesens qualecunque, ac, vt ita loquar, prouisionale iudicium cogat; patet eiusmodi homines se inexcusabilis temeritatis reos reddere, maxime si eiusmodi suum secuti iudicium ad aliquam actionem se determineat. Ceterum ratione *conscientiae erroneae* quatuor existunt quaestiones magni momenti; de quibus tradere nonnulla haud abs re fuerit. I. Quaeritur, *an is, qui errat, obligatus sit motus suae conscientiae sequi?* Respondeo, utique, siue inuincibilis sit error, siue vincibilis: statim enim atque firmiter quis persuasus est, ceu supponimus, aliquid praescriptum esse lege, vel prohibitum, directe obsequium Legislatori debitum violat, si contra hanc persuasionem, quamuis male fundatam, agat. II. At non inde sequitur, agentem ex conscientia erronea semper esse *excusabilem*: hoc enim locum non habet, *nisi inuincibilis error fuerit*. Ita, si error

citra supinam negligentiam heic error non nascitur. Sed in singularibus negotiis facile

C 2 est,

error est vincibilis, ex vtraque peccatur parte, siue, quod quis agit tanquam praeceptum, prohibitum sit, siue e contrario vere praeceptum sit, quod quis tanquam prohibitum omittit. Nam si quis falso persuasus est, quod res aliqua indifferens praecepta sit aut prohibita, tunc non peccat, nisi quando agit contra claram conscientiae lucem. III. ***An quis de principio*** (seu causa) ***errorum alterius in casu conscientiae iudicare valeat?*** Ad hanc quaestionem respondeo, non absolute impossibile esse homini, scire, an quis versetur in errore ***malae fidei***, hoc est, an habeat, aut possit habere fortes suspiciones de eo, quod credit, vel potius ipse sibi illudat, ita vt de eo, quod credere videtur, haud adeo solide firmiterque persuasus sit. Verum ad ferendum tuto eiusmodi iudicium, euidentissima requiruntur documenta, & raro contingit, ut talia suppetant. Frequentissimus, meo iudicio, casus, quo id locum habeat, hic est, cum qui Religionis causa alios persequuntur, ac profitentur, se ad id vi conscientiae obligatos esse, moribus alioqui suis ac vita produnt, parum sibi virtutem ac Religionem curae cordique esse. Referri huc potest error, apud *Graecos* & *Romanos* olim adeo vsitatus, eorum, qui parentibus licitum esse existimabant, infantes exponere: vt & alter haud leuior error *Iudaeorum* tempore CHRISTI, qui eo nomine grauiter eos redarguit *Matth. Cap. XV,* 4. 5. Vix enim concipere licet, homines tam perspicua, tamque expressa *Mosis* lege de necessitate parentes honorandi adiuuandique instructos, bona fide deinde persuaderi potuisse, se per temerarium aliquod, aut potius impium votum, ab eiusmodi obligatione ac officio dispensatos esse. Vt vero quis norit, ***an error hominis bona fide errantis vincibilis***

est, vt error inuito & praeter culpam obrepat circa obiectum, aliasque actionis (2) circumstantias.

§. VIII.

cibilis sit, *aut inuincibilis*, confidenter adsero, exceptis generalissimis naturalis Iuris principiis, & veritatibus eiusmodi, de quibus inter *Christianos*, in plures licet sectas diuisos, omni aeuo conuenit, reliqua omnia ita esse comparata, vt homo, aut citra temeritatem vlla ratione de principio ignorantiae vel errorum alterius iudicare nequeat; aut, si in genere adserere quidem possit, esse quasdam circumstantias, quae hunc vel illum errorem vincibilem reddant, ipsi tamen perquam difficile sit, certi quid respectu huius vel illius personae in specie eo nomine determinate; neque etiam vt hoc fiat vnquam necessarium est. IV. Postrema quaestio est: *An vi iudicii, quod fert aliquis de ignorantia vel erroribus alterius in casu conscientiae, actionem aliquam possit suscipere aduersus eos, quos versari in eiusmodi ignorantia vel erroribus credit?* Et respondeo, qualiscunque demum error sit, dummodo errans eo ad faciendum aut docendum quicquam legibus societatis humanae in vniuersum, vel peculiariter societatis ciuilis manifeste contrarium, non adducitur, nullam dari aduersus eum legitimam actionem aliam, nisi vt sollicitudo ex caritate profecta adhibeatur, ad ipsum amica & solida institutione ad veritatem retrahendum. Quod autem illi qui aliquid societati noxium faciunt aut docent, puniri possunt, non ideo fit, quod in errore versantur, tametsi quoque mala fide errent; sed quia fas est, eiusmodi homines, ex quocunque agant principio, coërcere. Solius autem Dei est, proprie &, directe errorem aut ignorantiam vincibilem punire, quoniam solus est, qui eam recte valeat cognoscere. Videantur dicta ad I. N. & G. *Lib. I. Cap III*, §. 11, *not.* 1. (2)

§. VIII. Vbi vero simpliciter cognitio abest, vocatur *ignorantia*. (1) De *ignorantia* eiusque variis speciebus.

Quae duplici modo consideratur: vno, *prout ad actionem aliquid confert*; altero, *prout*

 inuito

(2) Tales sunt *modus*, *finis*, *instrumentum*, *qualitas* actionis, quae suscipitur &c. Sic e. g. potest quis alterum non deliberato animo interficere, aut quia hostis reputatur, aut exhibito ipsi veneno, quod pro salubri potu habetur. At homicidium vel veneficium licita esse, nemo sibi innoxie persuaserit. Dabo hic regulas nonnullas de diuersis casibus, quibus *error facti* locum habet. I. Cum quis errat applicando male actionem sua natura bonam, ea propterea non desinit talis esse coram Deo, etiamsi nobis quidem inopinantibus inde malum eueniat; ut si quis liberalis sit in ignotum, qui homo nequam deprehenditur, & liberalitate illa abutitur. II Cum quis e contrario bene applicat actionem in se malam, propterea tamen a peccato haud immunis est. Ex. c. credit aliquis, alterius esse rem, quae ipsius vere erat; nihilominus eam arripit, & suam facit: is sane verum committit furtum coram tribunali conscientiae, quamvis in foro humano pro fure haud habeatur. III. Qui sibi malum praefigendo finem, casu producit effectum bonum, non propterea minoris culpae reus euadit: pro bono autem, cui praeter opinionem ansam dedit, nullam plane meretur gratiam; ut si quis hostem interfecturus, medeatur vomicae, quam in corpore gerebat. IV. Si quis male applicat actionem licitam natura sua, excusari meretur, dummodo adhibuerit omnes praecautiones necessarias; vt si quis se exerceat sagittas aut ignitos globulos eiaculando, idque in loco publico huic exercitio destinato, & postquam omnia diligenter circumspexerit, decenterque dehortatus

inuito, aut non citra culpam oborta fuit. Priori respectu ignorantia solet diuidi in *efficacem* & *concomitantem.* Illa est, quae, si abfuisset (2), praesens actio non fuisset suscepta. Haec est, quae licet abfuisset, nihilominus actio suscepta fuisset. Posteriori respectu ignorantia est *voluntaria*, vel *inuoluntaria.* Illa est, quam quis vel vltro *affectauit*, reiectis veri cognoscendi mediis; vel debita *diligentia non adhibita* obrepere sibi passus est. Haec est, quando quis ignorat, quae nec scire poterat, nec tenebatur.

---

hortatus fuerit eos, quos putauit consistere posse in loco, quo collineat, nihilominus vulnerat aut occidit aliquem, incautius ibi commorantem.

§. VIII. (1) *Error* & *ignorantia* fere semper inuicem sunt coniuncta: siue autem iuncta fiat, sive minus, eundem tamen producunt effectum, & sequuntur easdem regulas, ratione imputationis eius, quod per illa agitur aut omittitur. Vid. dicta ad *I. N & G. Lib. I. cap. II.* §. 11. editionis nouae.

(2) Vt ignorantia vere *efficax* fiat, omnique iustae imputationis effectu liberare valeat, requiritur, vt illa cognitio, qua quis caret, & quam nullo modo potuit sibi comparare, necessarium cum natura rei, aut cum agentis intentione, debito tempore concepta, conuenientibusque indiciis significata, nexum habeat. Alioquin enim, vtut inuoluntaria ignorantia sit, cum in praesens tamen negotium non influat, nec impediat, quominus vere quis quoad essentiam rei consenserit, non definit ille ad rationem actionis suae reddendam teneri. Vide I. N. & G. *Lib. I. cap. III.* §. 10. *not.* 2. nec non quae infra *Cap. IX.* §. 12. dicentur.

nebatur. Et haec iterum duplex eſt. Vel enim quis in praeſens quidem ignorantiam exuere non potuit, vt tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur; vel non ſolum in

centur, vbi exemplum proponitur *ignorantiae eſſentialis* aut *accidentalis* (ſic enim eam melius adpellaveris, quam *efficacem* aut *concomitantem*) in cauſis licitis vel indifferentibus. Dabo hic aliud quoad rem illicitam. Ducit quis in matrimonium vxorem alterius, reputans illam eſſe virginem, aut neſcius viuere adhuc maritum: haec ignorantia ſane ipſam rei naturam adtingit, adeoque eſſentialis eſt. Si is nullam rationem habuerit ſuſpicandi, illam feminam, quam duxit, maritatam fuiſſe, atque in hoc neceſſariam inueſtigationem inſtituerit, omnino excuſabilis eſt; tametſi forſitan eius adfectus ita vehemens fuerit, vt illam ducere quocunque etiam pretio cupiuiſſet: haec enim diſpoſitio, quantumuis vitioſa, neque ad actionem, neque ad ignorantiam, quam inuincibilem ſupponimus, quicquam contulit. Quod ſi vero vel minima ipſi haeſerit ſuſpicio, foeminam illam, quam ducturus erat, marito vere iunctam fuiſſe, aut etiam laborem inueſtigandi ea praetermiſerit, ex quibus intelligere aut ſuſpicari facile, quod ignorabat, potuiſſet; tenetur vtique rationem reddere ſuae ignorantiae eiusque effectuum, licet forte, pro conſcientia ſua ſatis tenera, eiusmodi connubium fuiſſet detrectaturus, ſi feminam illam alterius eſſe ſciuiſſet. Adiiciam quoque exemplum *ignorantiae accidentalis.* Afficit quiſpiam alterum contumelia & verberibus, quis ſit ignorans, aut pro alio eum habens; & nihilominus iniuriam committit poena dignam, ſiue potuerit, ſiue non potuerit ſcire, cui eam intulerit, etiam ſi commiſſurus eandem non fuiſſet,

praesens ignorantiam vincere nequit, sed & (3) in culpa non est, quare ad talem conditionem sit deuolutus.

De indole & variis actibus *voluntatis*.

(*a*) Vid. ad hunc & sequentes septem paragraphos I. N. & G. lib. I. c. IV.

§. IX. Altera (*a*) facultas, quae in homine prae brutis peculiariter cernitur, *voluntas* vocatur: per quam velut intrinseco impulsu ad agendum sese homo mouet, & eligit, quod sibi maxime arridet; auersatur, quod sibi non conuenire videtur. Habet igitur homo a voluntate, tum vt *sponte* agat, i. e. vt non per intrinsecam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis suae ipse auctor sit; tum vt *libere* agat, i. e. vt vno obiecto proposito possit agere vel non agere, idemque eligere vel respuere; aut pluribus obiectis propositis, vnum eligere, cetera respuere. (1)

Porro

fuisset, si ipsum cognouisset. Etenim permissum haud est, cuiquam facere iniuriam, et praeualet, quod *principale* est, iniuriam eum cuiquam facere voluisse, vt JCti Romani loquuntur, qui ideo in hoc casu etiam *actionem iniuriarum* concedunt, *DIGEST.* L. 18. §. 3. *de Iniur.*

(3) Sola haec posterior ignorantiae species proprie inuoluntaria est, aptaque nos omnino excusare; cum nostrum utique fuerit cauere, ne in alteram incideremus.

§. IX. (1) Duae sunt *voluntatis* determinationes, quarum primam omittit Auctor, ad quam tamen attendere haud parum refert. Altera est *determinatio ad cogitandum aut iudicandum simpliciter*: altera, *determinatio ad agendum aut non agendum secundum cogita-*

Porro cum actionum humanarum quaedam propter se suscipiantur, quaedam quatenus ad aliud consequendum inseruiunt; id est, quaedam rationem *finis*, quaedam *mediorum* habeant: circa *finem* quidem ita voluntas versatur, vt eum cognitum primo *adprobet*; dein ad eundem consequendum efficaciter sese moueat, & velut ad eum *tendat* vehementius aut remissius; eoque obtento adquiescat, placide-

cogitationes ac iudicia sua. Prior est ille actus mentis, quo se determinat ad certas ideas sibi occurrentes considerandas, aut non considerandas; &, cum paululum illas contemplata fuerit, ad adquiescendum aut non adquiescendum mutuis earum relationibus; ac denique ad easdem conseruandas, aut, quantum fieri potest, amouendas. Sic e. g. *Cafer* in culpa est, quod Numen diuinum, de quo nihil vnquam audiuit, non agnoscit, quia sui ipsius innumerorumque sibi quotidie occurrentium obiectorum ideis perculsus, eas tamen contemplari ea attentione *noluit*, quae ipsum ad cognitionem Entis alicuius omnipotentis, sui reliquarumque omnium circumquaque existentium rerum auctoris, haud dubie fuisset perductura. Sic *Graeci* ac *Romani* sibi persuadentes, *Patri licere liberos exponere, aut etiam necare*, libertate iudicii sui abutebantur, quod relationi falsae inter ideam *patriae potestatis*, & ideas *necandi* aut *exponendi*, temere adquiescebant. Omnis denique culpa, quae committitur non cogitando de officiis, de quibus alioqui satis persuasi sumus, inde profluit, quod a nobis quam longissime amotas *volumus* ideas huiusmodi officiorum importunas.

que *fruatur*. *Media* autem primo *probantur*, tum quae maxime idonea fuerint visa, *eliguntur*, ac demum *vsui adplicantur*.

Conditio absolute necessaria, vt quis haberi possit *auctor alicuius actionis*.

§. X. Quemadmodum autem hoc maxime nomine homo *actionum suarum auctor* habetur, quia ipse *voluntario* eas suscepit: ita circa voluntatem id cum primis obseruandum, eius *spontaneitatem* vtique adserendam esse, saltem circa illas actiones, (1) de quibus ab homine in foro humano ratio solet exigi. Vbi autem homini nihil plane spontaneitatis relinquitur, ibi non ipse homo, sed qui eidem necessitatem adfert, auctor habebitur actionis, ad quam homo inuitus membra viresque suas adcommodat.

Vnde sit magna *varietas adpetituum* &

§. XI. Porro quanquam voluntas bonum (1) in genere semper adpetat, & malum in genere auersetur; magna tamen inter singulos

§. X. (1) Intelligit Auctor *actiones externas*: merae enim cogitationes, motusque animi in actum exteriorem non prorumpentes, per se legum humanarum poenis non subiacent, ceu alibi *Lib. II. Cap. XIII.* §. 11. tradetur. Verum *libertas*, aut facultas agendi, vel non agendi, non minus in actibus externis, quam mere internis necessaria est. Vnde non satis percipio, quo Auctoris obseruatio tendat: maxime cum paulo inferius §. 24. de *actionibus coactis* acturus sit; ita vt saltem hoc loco illa sit superflua.

§. XI. (1) *Bonum* in genere, definiente LOCKIO, nihil aliud est, quam *id, quod voluptatem in nobis producere*

los homines tum *adpetituum*, tum *actionum* cernitur *varietas*. Idque inde prouenit, quod non omnia bona & mala homini velut pura adpareant, sed inuicem mixta (2), bona malis, mala *actionum humanarum.*

ducere augereque, aut dolorem quempiam minuere & praecidere aptum est. Malum contra vocatur, *quidquid dolorem in nobis producere augereue, aut voluptatem quampiam minuere valet.* Vtrumque aut *corporeum* est, aut *spirituale*, prout *voluptas* & *dolor* aut a solis nostris cogitationibus, aut ab impressionibus obiectorum externorum in sensus nostros, proueniunt. Sic e. c. iucundi motus, quos excitat veritatis cuiuspiam inuentio, atque in genere scientiarum studium, *voluptates* sunt *pure spirituales.* At si Geometra diu perquisitam demonstrationem non reperiat; aut si quis exprobret sibi, quod omiserit aliquid, quod existimat facere se debuisse: oritur inde *dolor pure spiritualis.* Quod vero attinet ad *voluptates* ac *dolores corporeos*, hi per se satis noti sunt.

(2) Sic e. g. si auaro, qui simul in ambitionem pronus est, faciendae sint in fastum expensae, hae intuitu ambitionis ipsi bonum, auaritiae vero intuitu malum videbuntur. Haec mixtura boni & mali prouenit porro etiam ex oppositione quadam idearum officii & adfectuum, vt exemplo *Medeae* apud Poëtas adparet. Interdum quoque videtur quid bonum in praesenti, malum vero in futuro; vt si dulce quis pomum comedat, colicos cruciatus excitare idoneum aut vice versa, malum quid est in praesenti, bonum vero in futuro; vt cum quis amarum sumit, restituendae tamen postea sanitati conueniens pharmacum. Denique bonum aliquod, cum maiori bono comparatum, fit malum: & contra minus malum pro bono reputatur.

(3)

mala bonis, & quia diuersa obiecta diuersas velut partes in homine peculiariter adficiunt; v. g. quaedam *aestimationem* illam, quam homo de seipso habet, quaedam *sensus* eius *exteriores*, quaedam *amorem sui*, quo seipsum conseruare studet. Ex quo est, quod illa quidem homo adprehendat tanquam decora, ista tanquam iucunda, haec tanquam vtilia. Et prout quodque horum validum motum homini impressit, ita eundem quoque versus se peculiariter propendere facit. Cui accedit in plerisque hominibus ad certa quaedam *peculiaris inclinatio*, aut a certis *auersatio*. Hinc fit, vt circa quamlibet fere actionem sese simul offerant species *bonorum* & *malorum*, *verorum* aut *adparentium*; ad quas solide discernendas (3) aliis maior, aliis minor est perspicacia. Inde mirum non est, vnum in id ferri, abs quo alter maxime abhorret. §. XII.

(3) Consistit autem recta haec discretio in hisce: I. Rationi aduersatur, bonum adpetere maius malum concitaturum. II. Rationi contra nil magis congruit, quam malum perferre, singulare bonum conciliaturum. III. Maius bonum praeferendum est minori bono, etiamsi nullum inde malum prouenturum sit. IV. Sectanda semper sunt bona, quae quidem cadere in nos possunt, praestantissima; conformandaque propensio nostra naturae cuiusque boni. V. Apodictica certitudine non opus semper nobis est ratione ingentium bonorum aut malorum; sed sufficit probabilitas & possibilitas ad persuadendum viro bono, ut exigua quaedam bona sibi subtrahat, leuia-

§. XII. Sed nec semper voluntas hominis circa quamlibet actionem velut in aequilibrio posita deprehenditur, sic vt inclinatio in hanc aut illam partem vnice ab impulsu eiusdem intrinseco post mature perpensa omnia proueniat: sed frequentissime per extrinseca velut momenta versus vnam magis, quam alteram partem homo propellitur. Vt enim praetereamus communem illam mortalium in praua procliuitatem, cuius originem atque indolem alterius fori est excutere: *primo* voluntati singularem quandam vergentiam conciliat *peculiaris ingenii dispositio*, qua ad certum genus actionis aliqui valde procliues redduntur. Quae non in singulis tantum hominibus, sed & in integris nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur *coeli* nos ambientis *solique genius*, *humorum in corporibus temperatura*, ex ipso semine, aetate, victu, valetudine, studiorum ratione, similibusque causis proueniens; item *conformatio organorum*, queis animus ad functiones suas obeundas vtitur, & similia. Vbi notandum, praeterquam quod homo adhibita cura temperamentum suum non parum retundere & alterare possit, quanta-

Quid dicitas *ingeniorum* efficiat.

leuiaque quaedam mala perferat, quo facilius bona longe maiora consequatur, & mala longe grauiora vitet. Ex his autem principiis in sensum communem incurrentibus per idoneas conclusiones pronum iam est colligere, quantopere sit praeferenda reliquis omnibus rebus virtus.

quantacunque etiam vis eidem tribuatur; non tamen eousque illa valere iudicanda est, vt hominem necessario in violationem legis naturalis rapiat, quousque haec in foro humano exercetur, vbi prauae cupidines intra actum exteriorem subsistentes non attenduntur. Adeoque si vel maxime natura recurrat, furca licet expulsa; id tamen prohiberi potest, ne exteriores actiones vitiosas producat. Et quae in superanda eiusmodi inclinatione occurrit difficultas, illam splendor laudis pensat, quae heic victorem manet. Quod si autem eiusmodi stimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quominus erumpant, reprimere potest; via tamen est, vt citra peccatum velut depleri queant (1).

§. XIII.

§. XII. (1) Hoc generatim loquendo verum haud est. Nam ex. c. homo libidinosiore temperamento praeditus eo rerum suarum statu esse potest, vt longo tempore ducendae vxoris copiam non habeat; maritus diu ab vxore abesse, aut mulier diu aegra esse potest. Via itaque, quam dicit Auctor, nonnunquam nulla prorsus est: sed ordinarie quoque est periculosissima. Cupiditas quippe habendi & aliis praeeminendi nunquam expletur; & saepissime deficit occasio, licito eam modo deplendi; ita vt tunc facile stimulis quocunque etiam pretio ei satisfaciendi succumbamus. Dicendum ergo est e contrario, tutissimam, seu potius vnicam hanc viam esse, vt quis dominantibus affectibus, quos cohibere gestit,

§. XIII. Valde quoque *secundo* in certas actiones voluntatem inclinat frequens eiusdem generis actionum repetitio; ex qua enata procliuitas *consuetudo* vocatur. Per hanc quippe efficitur, vt libenter & expedite actio aliqua suscipiatur; sic vt obiecto praesente, in id velut trahi animus videatur, aut idem absens vehementissime desideret. De qua id obseruandum: vti nulla videtur esse adsuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere possit homo; ita nulla quoque animum eousque detorquere valet, vt non exterioribus saltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homo sit. Et quia penes Quae sit vis *consuetudinis*.

gestit, obicem ponat. Sic extreme auaro omne lucrandi medium suspectum esse debet, neque is opes adnitatur comparare, nisi quantas honesta sui suorumque requirit sustentatio, ac praeterea honestas magis, quam lucratiuas quaerat occupationes. Ambitiosus contra honorum aucupium fugiat, potiusque utilitatem, quam laudem consequatur. Pronus in voluptates laboriosum negotiosumque vitae genus sequatur, studiumque gloriae, superandis mollitiei ac luxuriae illecebris idoneum, in animo suo excitare contendat. Hoc sane pacto superabimus tandem cupidines, quae, quicquid dicat Auctor, nunquam *ita* sunt *vehementes, vt nulla ratione reprimi possint*. De cetero videantur dicta a me ad totum hunc paragraphum in Additionibus editionis nouae operis maioris de I. N. & G. *Lib. I. Cap. IV.* §. 13. *not.* 6.

nes hominem fuit, eiusmodi adſuetudinem contrahere; inde vtut haec actiones facilitet, tamen neque bonarum actionum pretio aliquid decedit, neque prauarum malitia redditur leuior. Quin vti bona adſuetudo hominis laudem, ita praua eiusdem turpitudinem intendit.

De *adfectibus.*

§. XIV. Plurimum quoque *tertio* intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet, an vero idem peculiaribus motibus, quos *adfectus* vocant, concutiatur. Circa quos illud tenendum: quantumcunque vehementes iſti ſint, tamen debito rationis vſu hominem iisdem ſuperiorem eſſe poſſe; ipſorumque impetum (1) ſaltem intra vltimum actum ſiſtere.

Cum autem adfectuum alii excitentur ſpecie *boni*, alii ſpecie *mali*, & ſtimulent vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum: naturae humanae congruens eſt, vt hos, quam illos, plus fauoris aut veniae mortales inter comitetur; eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuit malum, quod eos excitauit. Longe quippe tolerabilius habetur, (2) carere bono ad naturae conſerua-

§. XIV. (1) Supponunt hoc omnes Legislatores. Vid. dicta ad I. N. & G. *Lib. I. Cap. V.* §. 13. *not.* 6.

(2) Contrarium potius ſequeretur ex principio BAYLII, *maius in homine ſtudium eſſe, gaudii, quam odium*

seruationem non adeo necessario, quam excipere malum, ad naturae destructionem tendens.

§. XV. Denique vti dantur certi (1) *morbi*, qui vsum rationis in perpetuum, aut ad tempus plane tollunt: ita multas apud nationes frequens est, homines sibi vltro arcessere morbi quoddam genus breui transiens, vsum rationis non parum perturbans. Quo innuimus *ebrietatem*, ex certis potulentorum generibus, ac quibusdam fumis prouenientem; quae violento motu sanguinem ac spiritus impellit & turbat, ac ad libidinem inprimis, iram, temeritatem & enormem laetitiam homines procliues reddit; sic vt multi velut extra se per ebrietatem rapti videantur, & diuersum plane genium induisse, quam quo sobrii conspiciebantur. Haec tamen vti non semper omnem vsum rationis sequestrat; ita quatenus vltro arcessita est, odium potius, quam fauorem, actionibus per eandem susceptis conciliare apta est.

De *ebrietate* & *morbis* vsum rationis tollentibus.

D §. XVI.

odium tristitia. Sed falsum hoc est principium, quod late demonstraui ad I. N. & G. *Lib. I. Cap. VI.* §. 14. *not.* 4.

§. XV. (1) Accurate loquendo, eiusmodi *morbi*, vt & *ebrietas*, non tam impellunt voluntatem ad certos actus, quam principium actionum humanarum plane euertuat; cum hoc in statu nesciamus, quid agamus,

De actionibus inuoluntariis aut coactis, & mixtis.

§. XVI. Porro *actiones* humanae vti *voluntariae* solent vocari, quatenus a voluntate proficiscuntur & diriguntur: ita si quae reluctante voluntate scienter suscipiuntur, *inuitae* adpellantur, pressius sumto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quae per ignorantiam patrantur. *Inuitum* autem nobis hoc loco idem notat, quod *coactum*: quando nempe quis ab extrinseco principio validiore adigitur membra sua adplicare, ita vt auersationem & dissensum suum signis ac praecipue renitentia corporis significet. Minus autem proprie *inuita* & illa dicuntur, quando incumbente grauiore necessitate, aliquid tanquam minus malum eligitur & suscipitur, (1) abs quo alias homo extra necessitatem constitutus vehementer abhorrebat. Quales

§. XVI. (1) Vide infra §. 24. Differunt autem *actiones mixtae* ab his quae proueniunt a causis in antecedentibus paragraphis commemoratis, quod causae huiusmodi totidem principia interna efficiunt, qui difficilem reddunt libertatis vsum ex parte aduersa illi, ad quam nos inclinant; cum in *actionibus mixtis* principium sit externum, quod nos determinat ad amplectendum contrarium internae voluntatis inclinationi. Ita vero in posteriori casu, magno conatu opus est, vt interiorem sequamur inclinationem, sicut in priori eodem opus est, vt inclinationi resistamus. In vtroque quidem difficultas cernitur, maior minorue pro vi principii vel interni, vel externi; attamen res propterea non est absolute impossibilis.

Quales actiones vulgo *mixtas* vocant. Hae cum spontaneis illud habent commune, quod voluntas pro praesenti statu eas vtique eligat, tanquam minus malum: cum inuitis autem aliquatenus quoad effectum conueniunt, quod vel plane non, vel non ita grauiter, vti spontaneae, soleant agenti imputari.

§. XVII. Ceterum actionum humanarum, quae ab intellectu & voluntate proficiscuntur & diriguntur, haec est praecipua adfectio, quod illae homini possint *imputari*; seu quod homo pro earum auctore recte possit haberi, ac ad reddendam de iisdem rationem adstringi; quodque in ipsum redundent effectus, qui ex istis proueniunt. (*a*) Nulla enim propior ratio est, quare alicui actio quaepiam imputari possit, quam quia ab isto sciente & volente, mediate aut immediate, profecta est; seu quia penes ipsum fuit, vt fieret, vel non fieret. Hinc axiomatis primarii loco in disciplinis moralibus ad forum humanum spectantibus habetur, quod *de illis actionibus ad rationem posci queat homo, quae vt fiant, vel non fiant, penes ipsum est:* seu quod eodem recedit, quod *quaelibet actio directionis humanae capax,* (1) *quam penes aliquem est fieri, vel non fieri, ipsi*

Fundamentum generale *imputationis actionum humanarum.*

(*a*) Vid. ad hunc paragr. & reliqua huius capitis I. N. & G. lib. I. cap. V.

§. XVII. (1) Haec quidem vera est ratio, quare actio aliqua, aut omissio, *eius sit indolis, vt imputari possit;* verum ex hoc solo non sequitur, *quod actu*

ipsi queat imputari. Sic & contra *nemo pro auctore eius actionis haberi potest, quae penes ipsum neque in se, neque in sua causa fuit.*

§. XVIII.

actu imputari mereatur: quas duas res Auctor distinguere debuisset. Posterior enim supponit accedentem aliquam necessitatem moralem, aut *obligationem*, vi cuius faciendum vel omittendum sit aliquid, quod fieri potest, vel non fieri. Exemplo mentem meam declarabo. Duo homines eodem talento, iisdemque facultatibus ac commoditatibus instructi sunt, quos tamen ad addiscendam *Algebram* nihil obligat; alter igitur huic disciplinae dat operam, alter addiscere eam detrectat. Hic vere omissionis aeque ac ille actionis auctor est, & nihilominus neutri quid imputari, ac vel laudi, vel vitio verti potest. Verum ponamus duos, qui eidem se professioni dicant, vt sint v. c. Theologi vel Medici: si alter adnitatur consummatus euadere Theologus vel Medicus, alter e contrario superficiarie tantum alterutri studio vacet, & quantum satis est vulgo ad consequendum gradum Doctoralem; prior tunc quidem laude, alter vituperio dignus erit. Quare autem illud? quia vterque necessario erat *obligatus*, debitam sibi comparare scientiam, qua ex asse satisfacere professioni suae posset. Vnde apparet, quod, cum *imputabilitas* simplicem facultatem agendi vel non agendi supponat, *actualis imputatio* praeterea *obligationem* ad agendum vel non agendum requirat. Quod adeo verum est, vt Auctor ipse, cum de actionibus loquitur, quarum quis rationem posci potest, saepius coniungat duas has ideas, *quatenus quis potest & tenetur*.

§. XVIII. Ex hisce praemissis aliquot particulares formabimus propositiones, vnde constet, quid cuique imputari, seu cuius actionis euentusque auctor quisque possit haberi.

Regulae speciales 1. circa imputationem *actionum alterius*, & in genere *euentuum*, a causa aliqua externa productorum.

I. *Actiones ab alio patratae, vt & operationes quarumuis aliarum rerum, nec non quiuis euentus, non possunt alteri imputari, nisi quatenus ille potest & tenetur istas moderari.* Nihil quippe est frequentius inter homines, quam vt vni commissum sit, alterius actiones dirigere. Heic igitur si actio aliqua ab altero sit patrata, circa quam iste omisit, quod penes se erat; actio illa imputabitur non solum ei, qui immediate ipsam patrauit; sed etiam isti, qui ex debita & possibili directione aliquid omisit. Habet tamen ea res fere suum modum finemque; sic vt illud *possibile* cum aliquo velut temperamento, & moraliter sit intelligendum. Cum per quamcumque subiectionem vnius sub altero, subiecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, & in diuersa tendere possit; nec vitae humanae indoles ferat, vt quis vni perpetuo velut adfixus, omnes istius motus obseruare queat. Igitur si quis omnia fecit, quae directionis sibi iniunctae natura ferebat; vbi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti soli imputabitur (1).

 Sic

§. XVIII. (1) Non tenetur autem quis solum de actio-

(a) Vid. infra Cap. VI. §. 12.

Sic postquam in animalia homines dominium exercent, (*a*) quae per illa in alterius detrimentum facta sunt, domino imputabuntur; siquidem is ex debita custodia & circumspectione aliquid neglexit.

Sic & quaeuis mala, quae alteri obtingunt, imputari isti possunt, (2) qui eorum causam & occasionem, cum posset & deberet,

---

actionibus illorum, qui ipsius directioni subsunt; sed adest praeterea generalis aliqua obligatio ad impediendum, quantum fieri potest, ne alius quis mali quidpiam perpetret; & multo adhuc magis obligatus est, ne ad id aliquid positiue conferat, faciendo aut omittendo deliberato animo id, quod proximum agentem eo inflectere, aut inde deterrere queat. Vide quae traduntur huius capitis §. ultimo, qui cum hoc coniungi utique debuisset.

(2) Tres sunt conditiones omnino necessariae, vt imputatio sit iusta. I. *Vt nexus aliquis vel essentialis, vel accidentalis intercedat inter id, quod factum aut omissum est, & malum, cui inde occasio data est.* II. *Vt innotuerit hic nexus, ac praeuideri effectus cum verisimilitudine quadam potuerit.* III. *Vt aliqua adfuerit obligatio non faciendi id, quod tali effectui producendo occasionem dedit.* Deficiente vna ex his conditionibus, statim cessat etiam imputatio. Concurrunt singulae eo casu, cum quis calce diluta in via regia, aut media platea, foueam tegere asseribus, aut cancellis munire neglexit, ne quis noctu forte illabatur, aut puer interdiu in eam prosiliat; quod euenturum facile praeuideri poterat. Defectus prioris conditionis cernitur in sententia a *Cn. Pisone* lata,

ret, non subtraxit. Sic cum multarum rerum naturalium operationes promouere aut suspendere sit penes homines; quod ab hisce commodi vel damni datum sit, istis imputabitur,

lata, cuius meminit SENECA, *de Ira Lib. I. Cap. XVI.* Pertinet & huc fabula de *Lupo* & *Agno*, eodem fonte bibentibus. Deficeret altera conditio eo casu, cum quis lata a virgine, quam ambiebat, repulsa, aut non accepta mutuo, quam petebat, pecunia, laqueo se prae moerore suffocasset. Deficit tertia conditio, quoties vtitur quis tantum suo iure, nec de cetero malum inde in hunc vel illum proxime prouenturum conspicit; nec etiam, si suspicari tale quid quodammodo liceret, ad illud praecauendum quicquam proficeret, iuris sui vsu abstinendo. Sic si possessor aedium in propria area calcem diluerit, & vero quis, cui nihil ibi negotii est, noctu accedens in foueam incidat, habeat is sibi. Sic quibus vinum est vendibile, non ideo statim ab eo vendendo tenentur abstinere, quod vix dubium sit, fore, vt plures eo inebrientur, ac variis deinde vitiis temulenti indulgeant. Praeterquam enim quod in antecessum non constat, qui forsan plus iusto sint potaturi; si vel maxime hoc constaret, attamen negare iis vinum superuacaneum foret, patentibus quauis platea oenopoliis pluribus. Verum si ebrii nonnulli, aut quos tales esse suspicio foret, noctu accederent, aut alia hora illicita, petitum vinum, peccaretur utique ipsis largiendo. Quale peccatum etiam committeret armorum artifex, qui intelligens quempiam e vestigio alterum aggressurum, hunc ipsum in finem illi ensem venderet. Talis enim *euentus manifestus & proximus* est, quem decet, quantum in nobis est, praecauere.

tur, quantum eorundem opera vel neglectus (3) ad id momenti attulit.

Aliquando etiam praeter ordinem imputantur alicui euentus tales, qui alias supra humanam directionem sunt, (4) quatenus intuitu certi hominis istos diuinum Numen peculiariter procurauit. Extra hosce & similes casus sufficit, si de propriis actionibus rationem quis possit reddere.

§. XIX.

(3) Sic agricolae aut vinitori vber aut sterilis frugum prouentus imputatur, prout in colenda terra debito tempore vterque diligens vel negligentior fuerit. Tenetur quis item de damno per incendium dato, non tantum si ignem ipse aedibus subiecerit; sed etiam si imprudenter prope receptaculum, quo pulueris pyrii, aut horreum, quo foeni copia adseruatur, emittendis pyrobolis se oblectauerit, aut calamo fumatorio ori adpenso eiusmodi loca incesserit &c. nec non si conspecto aliquo, qui flammas aedificio subderet, id non manifestauerit.

(4) Sic ad preces *Eliae* Prophetae DEus per tres annos & dimidium pluuiam retinuit, ac deinde rursus indulsit, *I. Reg. Cap. XVII*, 1. *XVIII*, 42. *Iac. Cap. V*, 17 18. Conf *Genes Cap. XVIII*, 32. *XIX*, 21. *II. Sam. Cap. XXIV*, 13. 17 *Ion. Cap I*, 12. seqq. Verum hic bene obseruandum est, citra liquidam ac certam reuelationem certo constare non posse, diuinum Numen in gratiam vel odium cuiusquam euentum aliquem extra ordinem procurasse; cauteque adeo quam maxime esse procedendum in formandis fouendisque desuper suspicionibus, praesertim si qui pro causa alicuius mali in alios redundantis habendi

§. XIX. 2. *Quaecunque in quolibet homine* *int, quae penes ipsum non fuit, vt adessent, vel* *on adessent, non possunt ipsi imputari, nisi qua-* *mus per industriam naturalem defectum non sup-* *leuit, aut natiuas vires non adiuuit.* Sic cum erspicaciam ingenii viresque corporis nemo bi praestare possit, nemini quoque eo nomi-e imputari qu'd poterit, nisi quantum cultu-im adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic non ustico, sed vrbano atque aulico, horridi mo-es vitio vertuntur. Vnde & valde absurdae int iudicandae exprobrationes eiusmodi qua-tatum, quarum causa penes nos non fuit: v. breuis staturae, formae parum felicis, & imilium. 2. Circa imputationem *qualitatum personalium*, naturalium & acquisitarum.

§. XX. 3. *Quae per ignorantiam inuincibilem* 1) *patrantur, imputari non possunt.* Quia ne- 3. Circa illa, quae patrantur

D 5 que

endi sint. Sic Insulae *Melitensis* incolae de Aposto-o *Paulo*, ob correptam a vipera eius manum, teme-arium tule unt iudicium. *Act. Cap. XXVIII.* Sic uoque *primi Christiani* male a *Gentilibus* pro causa uccedentium tunc publicatum calamitatum vendita-iantur; quales tamen omni aeuo contigere, & euen-urae sunt, vi generalium naturae legum. Vide TER-TVLLIAN. *Apolog.* cap. XL. ARNOB. *aduersus gen-es*, init *ibique* not. *Elmenhorstii.* In quo quidem *Christiani* ipsi imitati deinde sunt, & imitantur ho-lienum saepius *Gentiles*, luce veritatis destitutos. *Vid. Nouellae* CODICIS THEOD. Tit. III. *de Ju-daeis, Samaritanis, Haereticis & Paganis.*

§. XX. (1) Ad hunc & sequentem §. conf. supra §. 7. & 8. quorum heic mera fit repetitio.

per *ignorantiam inuincibilem.*

que dirigere actionem possumus, vbi intellectus lumen non praelucet; & praesupponitur, tale lumen sibi hominem non potuisse comparare, neque quominus posset, in culpa fuisse. Quin & in vita communi τὸ posse moraliter accipitur pro illa facultate, solertia & circumspectione, quae vulgo sufficere iudicatur, & quae probabilibus rationibus subnixa fuit.

4. Circa *ignorantiam & errorem, quoad leges & officium cuique iniunctum.*

§. XXI. 4. *Ignorantia, vt & error circa leges & officium cuique iniunctum, ab imputatione non liberat.* Nam qui leges & officium alicui iniungit, efficere solet & debet, vt in notitiam subiecti illae perueniant. Et ad subiecti captum leges ac regulae officii adtemperari solent & debent; circa quas cognoscendas & retinendas quemlibet sollicitum esse oportet. Vnde qui est causa ignorantiae, (1) respondere etiam tenebitur de iis actionibus, quae ex illa ignorantia promanant.

5. Circa *omissionem actionis ex defectu occasionis.*

§. XXII. 5. *Cui occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur, quod non egerit.* Videtur autem occasio quatuor haecce complecti: I. vt *obiectum* actionis (1) sit in promptu

§. XXI. (1) Aliquando solus ipse, aliquando vero etiam is, quem iste notitia illa imbuere neglexit. Prius locum habet, cum is, quem iste notitia ea debebat imbuere, non potuit absolute illam aliunde accipere aut per se, aut per alium.

§ XXII. (1) Hoc est, vt materia sit agendi, atque vt

tomptu: II. vt adsit commodus *locus*, vbi on possimus ab aliis impediri, aut malo ali- io (2) mulctari: III. vt adsit opportunum *mpus*, quo non sint obeunda negotia (3) iagis necessaria, quodque item aliis, qui l actionem (4) concurrunt, sit oppor- num: IV. vt denique *naturales agendi vi- s* suppetant. Citra isthaec enim cum actio fieri

quis habeat, circa quod agere possit. Quo refe- ntur singula fere exempla, quae heic ab Auctore llegantur.

(2) Addenda heic est restrictio haec: *dummodo tisalioquin obligatus non sit, exponere se periculo.* c e. g. ridiculus miles foret, qui iussus adire statio- m, obtentu discriminis, quod sibi metueret, fa- re id detrectaret.

(3) Sic magistratus quis Senatui, cuius mem- um est, interesse nequit, si illa ipsa hora Princeps im ad se accersiuerit. Vide §. ult. capitis vltimi iius libri.

(4) Si e. c. copiae duci bellico necessariae ad com- ittendum proelium, aut obsidendam vrbem, eo que haud accessere, vt coniungi cum eo possint. oc enim casu deest materia agendi: & sic ad pri- um caput hoc quoque refertur. Breuius ac distin- ius, meo iudicio, quatuor hae conditiones expri- entur, si dixerimus, teneri quem omissionis ali- tius nomine, 1. si adfuerint ipsi media ad agendum :cessaria: 2. et si adhibere illa potuerit citra negle- um alterius officii magis necessarii, aut citra pe- culum insignis alicuius mali, quod subire is alioqui ane non tenebatur. Hoc modo regulae huius & quentis paragraphi ad vnam reuocabuntur.

fieri nequeat, etiam absurdum fuerit, si alicui imputetur, ad quod agendum occasio defuit. Sic medicus segnitiae non potest argui, si nemo aegrotet. Sic liberali esse non conceditur, qui ipse indiget. Sic talentum suum defodisse argui nequit, cui rite ambienti statio denegata fuit. Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur (5). Sic non possumus simul sorbere & flare (6).

6. Circa *impossibilia.* §. XXIII. 6. *Non potest quoque alicui imputari, quod non praestiterit ea, quae vires ipsius excedunt, neque per eas prohiberi, aut effici possunt.* Inde vulgo, *impossibilium nulla est obligatio*, dicitur. Addendum tamen, *modo quis sua culpa vires praestandi non detriuerit, aut perdiderit.* Hic enim eodem modo tractari potest, (1) atque si vires adhuc obtineret; cum

(5) Ita *CHRISTUS* disertis verbis, *Luc. XII.* 48.

(6) Auctor, cui saepius *PLAVTO* suo v.i volupe erat, procul dubio heic adludit ad hos duos versus ex *Mostellaria*:

Simul flare sorbereque haud facile
Est: ego hic esse & illic simul haud potui.
Act. III. Sc. II. v. 104. 105.

§. XXIII. (1) Hoc est, non quod Legislator exigere possit, vt fiat id quod est impossibile, durante quidem impossibilitate: verum quod possit eos punire, qui culpa sua id praestare iam non valent, non secus

um alias facilis esset via quamuis obligatio- iem paulo laboriosiorem eludendi, vltro cor- uptis praestandi viribus.

§. XXIV. 7. *Imputari quoque non possunt* *uae quis coacte patitur, aut agit.* Talia enim imoliri aut defugere supra ipsius vires posi- um intelligitur. *Cogi* autem dicimur dupli- ci modo: vno, quando alius valentior per violentiam nostra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat; alte- ro, si potentior graue aliquod malum comi- nus intentet, (idque statim repraesentandi facultatem habeat), nisi vltro nos ad aliquid faciendum moueamus, aut a faciendo absti- neamus. 7. Circa ea *quae quis coacte facit.*

secus ac si viribus agendi instructi, agere idem de- trectarent. Possunt hic e. c. allegari, qui apud ve- teres *Romanos* abscindebant sibi & liberis suis polli- ces, vt sic immunes a militia essent. Vid. ad *I. N & G Lib. VIII. Cap. II.* §. 3. *not.* 1. Sunt etiam casus, quibus alicui impossibile quid imputatur, tametsi impossibilitas in se ipsa culpa eius non contracta sit: vt cum quis se immiscet negotiis, quae scit aut facile scire potest vires suas superare. Si quis e. c. equestris disciplinae imperitus, equum indomitum hilari ani- mo conscendat, ac deinde quod regere eum nequeat, damnum aliquod committat, idem profecto ad damnum reparandum tenebitur. Idem etiam statu- endum est de agasone, artem suam exercente, cum tamen viribus & peritia ad mulos regendos necessaria destituatur: quemadmodum & Ius Romanum casum hunc decidit, *L.* 8. §. 1. *Dig. ad Leg Aquil.*

neamus. (1) Tunc enim, nisi expresse obligemur id, quod alteri est inferendum, nostro malo

§. XXIV. (1) Videtur heic Auctor effectum posterioris huius *coactionis longius*, quam par est, extendere. Fateor, illa culpam valde minui, maxime in foro humano; at non liberatur quis eadem penitus ab omni imputatione in foro diuino. Exemplum *gladii* aut *securis* heic nihil conficit: instrumenta enim haec sunt mere passiua; dum e contrario qui intuitu tantum imminentis grauis alicuius mali, nulla accedente coactione physica atque absolute irresistibili, adigitur, cum quadam voluntatis specie agit, & quodammodo ad manifeste prauam, quam exequitur, actionem concurrit. Praeterea constantiam humani ingenii non plane superat, vt quis consilium capiat, mortem, etiam suppetente eius declinandae via, oppetendi Fatetur illud Auctor ipse in Opere maiori *Lib. 3. Cap. VII. §. 5.* Nec desunt, qui hoc aliquando propter leuiores causas, quibus vehementius adficiuntur, audeant. Pronum foret ostendere, Auctoris principia minus firma esse, nec satis cohaerentia: at locus iam non est huius rei. Ex his vero colligi abunde potest, vnicum tantum casum esse, quo ad euitandum malum a Superiore intentatum, eiusdem manifeste iniustis imperiis salua conscientia obedire liceat; nempe si is, qui iniuncta illicita actione laedendus est, ipse nolit, vt exponam me ipsius causa periculo, recusationem meam consecuturo: quod tamen sic intelligendum, vt de re agatur, cuius intuitu in facultate eius sit consentire in malum ipsi inferendum; aut vt agatur de laesione iuris, cui renunciare ipsi sit permissum: nam si mihi e. g. quis libertatem ipsum occidendi indulgeret: non tamen propterea sine culpa redderem me ministrum furoris in

malo redimere, is, qui eam nobis necessitatem adfert, pro auctore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum istud imputari poterit, quam gladio aut securi caedes.

§. XXV. 8. *Eorum, qui rationis vsu destituuntur, actiones non imputantur.* Quia quid agatur, liquido dignoscere & ad normam comparare nequeunt. Et huc spectant actiones *infantum*, antequam vsus rationis paulo distinctius sese incipiat exserere. Quod enim isti propter quasdam actiones increpantur aut verberantur, id non ideo fit, quasi in foro humano poenam proprie dictam meriti sint; sed per modum nudae emendationis & disciplinae, ne per talia molestiam aliis facessant, aut ne prauam adsuetudinem contrahant. Sic & *furiosorum, mente motorum* & *delirorum* actiones pro humanis non habentur, quibus quidem citra suam culpam iste morbus prouenit (1).

8. Circa *actiones eorum, qui destituuntur vsu rationis.*

§. XXVI.

in illo, qui sub grauissima comminatione me ad insontis necem instigauit. Videatur ad I. N. & G. *Lib. I. cap. V.* §. 9. *not.* 5. *nouae Edit.* & *Lib. VIII. cap. I.* §. 6. *not.* 4. 5. nec non quae infra dicentur ad *cap. V.* huius libri §. 25.

§. XXV. (1) Non nisi rarissime contingere hic casus potest. Causae quamcunque mentis alienationem producentes, valde vt plurimum sunt occultae, atque ita comparatae, vt praeuidere eas sana adhuc mente vix liceat. Meminerunt quidem naturae Scru-

9. Circa *somnia.* §. XXVI. 9. Denique *imputari non possunt, quae quis in somniis agere sibi videtur*; nisi quatenus talibus interdum cogitandis cum delectatione immoratus, (1) eorum imagines animo alte impressit: etsi & haec rarissime in foro humano attendantur. Alias enim phantasia

Scrutatores herbarum quarundam minus cognitarum, quarum succus certa quantitate haustus rationem turbet; item certorum fluminum fontiumque, aut etiam vaporum ex quibusdam locis exhalantium, qui eundem effectum gignant. Constat quoque compositas esse olim potiones *Philtra* dictas, quae excitando amorem, vexabant mentem, agebantque in rabiem. Vide *JUVENAL Sat* VI, 610. & *seqq.* Quod si iam quis gnarus virtutis eiusmodi plantae, aquae, aut potus, iis nihilominus deliberato animo vteretur, locum tunc haberet, quod ait Auctor; & perinde esset, ac si ebrietatem iste sibi arcessiuisset.

§. XXVI. (1) Vtut vero praua haec sit delectatio, somnium tamen in se non desinit esse somnium; Phantasma nempe, cui effingendo intellectus & voluntas nunquam ita participant, vt credere liceat, nisi praesens dispositio adfuisset, non successurum eiusmodi somnium fuisse. Etsi quis etiam, exemplo *Biblidis* apud *Ouidium*, optaret recurrere saepius obscoenum somnium; non suppeteret tamen certum illud procurandi medium; & posito quoque, repertum esse tandem id arcanum; non tamen tam de somnio ipso is teneretur, quam de eo, quod vigilans cogitasset aut egisset. De cetero videantur de *somnambulis* dicta a me ad *Opus maius* de J. N. & G. *Lib. I. cap. V.* §. 11. *not.* 3.

tasia in somno est veluti cymba sine rectore fluitans; sic vt penes hominem non sit praestare, qualia visa isthaec effingat.

§. XXVII. Circa imputationem autem *actionum alterius* paulo distinctius obseruandum, quod aliquando quidem contingat, vt actio ei, qui immediate eam patrauit, plane non imputetur, sed *alteri, qui hoc tantum velut instrumento vsus est.* Sed frequentius est, vt *& ei, qui actionem patrauit, & alteri, qui ad eandem agendo quid vel omittendo concurrit, illa simul imputetur.* Id quod fit triplici potissimum modo: vel vt alter *principalis causa* actionis, patrator *minus principalis* habeatur; vel vt vterque pari velut passu ambulet; vel vt alter minus principalis, patrator principalis causa sit (1).

De *imputatione actionum, ad quas plures personae concurrunt.*

E Ad

§. XXVII. (1) Non definit heic Auctor, neque etiam in maiori Opere, hasce tres species causarum moralium actionis alienae, vnde fit, quod vix aliter accidere potuit, vt re minus distincte percepta, aliquando ad vnam classem id, quod ad alteram pertinet, referat. Supplere itaque hunc defectum adnitemur, eo quidem curatius, quod haec magni momenti res nondum satis euoluta est. Obseruandum igitur initio, agi hic vnice de *gradu influxus in actionem*, non vero de *gradu malitiae*, qui ex pluribus aliis circumstantiis deducitur, atque in causa minus principali (*s. subalterna*) maior, quam in principali esse potest; id quod exemplo hominis adparet, qui alterum tranquillo animo occidit, inductus a tertio

Ad primam classem pertinent, qui alterum

tertio quodam, ira impotenti commoto aduersus illum, quem interficiendum curauit, ad vlciscendam atrocem iniuriam, quam sibi illatam ab eo existimabat. Distinguendum hic porro est inter *effectus* aut *consequentia* actionis ab altero immediate patratae, & *productionem actionis* ipsius. Fieri enim potest, vt quis ad effectus aut consequentia actionis plus conferat, quam alter, qui immediate patrat, nec tamen ideo actionis causa principalis fiat: ut si quis conspiciens ignem aedibus suppositum ab incendiario, qui subito auffugit, id non statim manifestet. Attendendum quoque, vt quis merito censeatur ad actionem alterius intermittendo nonnulla concurrisse, haud necessarium esse, vt certo & infallibiliter hanc actionem impedire potuerit; sed sufficere, quod probabiliter ad illam impediendam adferre aliquid momenti valuerit, ac praeterea ad hoc communi aliqua, vel particulari obligatione obstrictus fuerit. Hoc posito, per CAVSAM PRINCIPALEM hic intelligendum esse dico, *qui faciendo aliquid, vel non faciendo, ita in actionem vel omissionem alterius influit, vt sine eo alter a facto abstinuisset, aut id quod omisit fecisset.* Causa secundi ordinis, quam CAVSAM COLLATERALEM voco, est *ille, qui faciendo aut non faciendo aliquid concurrit sufficienter, & quantum in se est, ad actionem vel omissionem alterius, at non ita efficaciter, vt praesumi oporteat, sine eo alterum a facto abstenturum, aut quod omisit facturum fuisse.* Denique CAVSA MINVS PRINCIPALIS (*s. subalterna*) mihi est, *qui leuiter tantum in actionem vel omissionem alterius influit, aut aliqualem duntaxat ad hoc occasionem praebet, ita vt agens iam proprio motu ad agen-*dum

rum auctoritate (2) sua ad quid permoue-runt: qui consensum requisitum adhibue-runt, citra quem alter agere non poterat; qui

dum, vel non agendum, omnino paratus & determinatus, ac omnibus necessariis ad id subsidiis instructus, excitatus tantummodo & accensus sit ab eo, ad exequendum hoc facilius promptiusque prauum suum propositum. Harum definitionum adplicatio in *notis* sequentibus perspicietur.

(2) Ratio, quare quis *causa principalis* sit actionis, quam alter ab eo dependens eius auctoritate & iussu patrauit, non est praecise haec, quod ille ab hoc dependeat: sic enim omnia inferiorum facta superiori forent imputanda: verum quod supponatur, prout quidem saepius vsu venire solet, inferiorem citra mandatum Superioris, tale quid vltro cogitaturum, aut etiam actu suscepturum non fuisse. Quilibet ergo alius, qui in actionem quandam sui aequalium, aut etiam Superiorum suorum, eundem influxum habuerit, pro eiusdem causa principali ob eandem rationem haberi poterit; quocunque demum medio vsus fuerit, & siue lubenti siue reluctante animo Agens immediatus rem aggressus sit, quae ipsi alioquin in mentem non venisset, aut quam ipse per se adgredi non sustinuisset. Ita *Pilatus* mortis CHRISTI *causa* tantum *minus principalis* fuit: (vide *MATTH cap. XXVII,* 23 *seqq. JOAN. cap. XIX,* 11.) *Judaei* vero eiusdem non minus *causa principalis fuerunt*, ac *Dauid* caedis *Vriae*, (*II. Sam. cap. XI.*) & *Jesabel* oppressionis *Nabothi*, *I. Reg. cap. XXI.* Clerici quoque, qui Principes pro auctoritate, qua apud ipsos pollent, ad vexandos eos, qui eandem cum ipsis religionem non profitentur, mouent,

qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt.

Ad secundum classem pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum (3) conducunt;

---

mouent, causa principalis omnino sunt eiusmodi vexationum, aeque ac furoris, quo abripitur aliquando caeco impetu vulgus aduersus homines, quorum opiniones, bene an male se habeant, diiudicare haud quicquam valet.

(3) At tales facinus non fuissent patraturi, nisi mandauisset alter, aut conduxisset data vel promissa mercede. Sunt itaque isti causae principales, non vero causae simpliciter collaterales. Vt autem intelligatur paucis, quae exempla ad secundam hanc classem pertineant, tenendum est, eos omnes, qui consilia cum auctore immediato actionis communicant, quacunque demum ratione aliquid eo conferant; item qui etiam sine formali quadam conspiratione eidem aliquod medium aut auxilium sufficiens animo deliberato suggerunt, quod is nihilominus aliunde quaerere haud neglecturus erat; eos, inquam, omnes considerandos esse ceu causas collaterales, siue lucrum ex facinore, ad quod concurrunt, capiant, siue minus. Sola alioqui conspiratio causam collateralem efficit, tametsi quis etiam positiue parum, aut nihil contulisset ad executionem eius, quod ceteri faciunt, cum quibus is in facinus conspirauit. Ratio huius rei est, quod si quis nihil ipse, aut saltem parum egit, hoc in praesens sufficit, nec plus requiritur. Idem vero in casu necessitatis omnino plura facturus est: interea seruat silentium, nec actionem, quantum in se est, impedit: hoc sufficit, vt quis censeri debeat cum eo, quicum communi re & voluntate

cunt; qui (4) adiuuant; qui receptum & defensionem praestant; qui cum opem ferre iniuriam patienti possent & deberent, (5) non fecerunt.

Ad tertiam classem referuntur, qui consilium (6) speciale dant; qui laudant

(7)&

luntate vnitus est, cooperari. Per huiusmodi vnionem singuli singulos confirmant, & vicissim per eos in communi consilio confirmantur; & singuli aeque concurrunt ad expediendam ceteris agendi facultatem, tametsi aequa ratione haud egissent. Ita vero singulorum actio rectissime considerari potest, quasi ex parte a ceteris producta esset. Sic vero *Saules* particeps fuit culpae necis in *Stephano* commissae, tametsi custos tantummodo extiterit vestium illis, qui ipsum lapidibus obruebant. Vid. ACT. VII, 58. VIII, 1.

(4) Vere quidem, si & sine hoc actor non neglecturus erat, aliunde adiumenta quaerere; vt si possessor diuersorii publici tabulam lusoriam ministret in vrbe, vbi plures patent ludi aleatorii. Verum si quis iuueni in mercedem illecebrosae iuxta ac auarae meretricis, alias in eius libidinem non consensurae, pecuniam, quam obtinere is alibi non valebat, mutuo det, huiusmodi creditor sane luxuriae illius iuuenis caussa principalis fuerit. Haec vero distinctio ad plurima exempla, quae sibi quilibet fingere poterit, adplicatu facilis erit.

(5) Ad primam classem referendum esse hoc exemplum, ex principiis supra adstructis liquidum est.

(6) Hoc est, si quis consilium dat e. g. hanc vel illam rem suffurandi, indicato simul modo eam surripiendi.

(7) & adſentantur ante patratum facinus; qui exemplo ſuo ad peccandum accendunt; & ſimiles.

CAPVT

endi, tempore opportuno in aedes irrependi, loco, quo res quaeſtionis adſeruatur, vi. euadendi, &c. non vero, ſi ſimpliciter ac in genere quis conſilium dat alicui, vt furetur, aut decipiat homines. vt habeat, vnde vitam ſuſtentet. Vide I. N. & G. *Lib. I. Cap. V.* §. 14

(7) Ita ſcilicet, vt conſilia, laudes atque aſſentationes, ad ſtimulandum ſceleris auctorem aliquid conferant; alioquin enim tantum de praua ſua intentione quis tenebitur *Ibid.* Conf. etiam *Lib. III. Cap. I.* §. 4. *not.* 2. *Edit. nouae.* Obſeruandum quoque, conſiliorum aliquando eam vim eſſe, vt alterum ad facinora, quae alioquin animo non concepiſſet, aut ad quae ſeſe ſimpliciter determinare auſus non fuiſſet, moueant: & hoc caſu conſultor cauſa principalis exiſtit. Huc pertinet *Achitophel* reſpectu *Abſalonis.* Vide II. *SAM. cap. XVI. XVII.* Idem de *exemplo & commendationibus* in certis circumſtantiis ſtatuendum eſt. De cetero non abs re erit obſeruare hic aliquid de vſu diſtinctionis huius triplicis ordinis *Cauſarum moralium* actionis alienae. Sane diſtinctio ſatis fundata eſt, & quae hac de re dixi, cuncta in abſtracto vera ſunt. Sed fatendum eſt, applicationem ad caſus ſingulares ſaepe difficilem eſſe. In dubio igitur non facile pro *Cauſa principali* habendus eſt quiuis alius, quam immediatus actionis auctor, meliusque qui ad eam quouis modo concurrerunt, ſpectantur tanquam *Cauſae ſubalternae* ſeu *minus principales*, aut ad ſummum *collaterales.*

CAPVT II.

DE NORMA ACTIONUM HVMANARVM, SIVE DE LEGE IN GENERE, VARIISQVE HARVM ACTIONVM QVALITATIBVS.

§. I.

Quam necessarium fuerit, *normam* quandam actionibus humanis praescribere.

QUia actiones humanae a voluntate dependent, voluntates autem singulorum non semper sibi similes, & diuersorum in diuersa fere tendere solent; igitur ad ordinem & decorem in genere humano constituendum, necessarium fuit (*a*) normam aliquam existere, ad quam istae componerentur. Alias enim si in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & studiorum diuersitate, quisque citra reflexionem ad certam normam ageret, quod ipsi in mentem veniret; non poterat non maxima confusio in genere humano existere.

(*a*) I. N. & G. Lib. II. Cap. I.

Definitio *Legis* in genere.

§. II. Norma illa vocatur *lex*, (*a*) quae est *decretum, quo superior sibi subiectum obligat, vt ad istius praescriptum actiones suas componat* (1).

(*a*) Vid. ad hunc §. & seqq. usque ad 11. I. N. & G. lib. I. cap. VI.

§. II. (1) Haec *legis* definitio, in generalissima sua idea accepta, non satis plena & accurata est. Dicendum

Quid sit obligatio. §. III. Haec definitio vt eo melius intelligatur, euoluendum est, quid sit *obligatio*, vnde ea *oriatur*, quis obligationem *recipere*, & quis eandem alteri *iniungere* queat.

(*a*) Vid. de variis speciebus *obligationis* I. N. & G. lib. III. cap. IV. §. 3. seq.

Vulgo igitur (*a*) *obligatio* dicitur *vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei praestandae.* Scilicet iniicitur per eam quasi frenum aliquod nostrae libertati, vt quanquam de facto voluntas in diuersum tendere queat; intrinsecco tamen per eandem velut sensu imbutam se deprehendat, vt ni praescriptae normae conformis sit actio edita, non recte se egisse cogatur agnoscere. Adeoque

dum itaque, meo iudicio, LEGEM esse *voluntatem Superioris alicuius, varia ratione sufficienter manifestatam, qua is subiectorum suorum aut omnes in vniuersum, aut saltem omnes certi generis actiones dirigit, ita vt ratione illarum ipsis necessitatem certo modo agendi vel non agendi imponat, aut libertatem pro lubitu agendi vel non agendi relinquat.* Dico 1. voluntatem Superioris debere esse sufficienter *varia ratione manifestatam*, vt intelligatur, necesse haud esse, vt haec manifestatio verbis aut scripto fiat; id quod in vniuersum *Legi naturali* congruit, & aliquando etiam locum habet circa Leges humanas. Vid. obseruata a me ad *I. N. & G. Lib. I. Cap. VI.* §. 4. *not.* 2. inter Additiones Ed. nouae. 2. Hanc Superioris voluntatem *dirigere actiones aut omnes &c.* Nam solus Deus est, qui potestate gaudet dirigendi omnes in vniuersum actiones eorum, qui ab eo pendent, hoc est omnium ceterorum entium. Nullus vero alius

que (1) si quid mali eo nomine homini eueniat, non immerito id sibi accidere iudicet;

E 5 cum

alius Superior nisi *actiones saltem certi generis*, nec longius dirigit, quam quo potestas eius limitata sese extendit. 3. Interea neque Superiores homines, nec Deus ipse, actu imponunt necessitatem agendi aut non agendi quoad omnes actiones directioni suae subiectas; & hoc ipso quod non vtuntur iure suo circa res, de quibus nihil pro potestate sua praecipiunt vel praescribunt, libertatem relinquunt pro lubitu agendi vel non agendi. Haec est *permissio* quaedam positiua & valde realis, quamuis tacita, quae sequitur ipsam determinationem eius, quod indispensabiliter agendum est, vel non agendum. Hinc etiam *ius* nascitur, quod quis habet, circa res ita permissas, quod lubet agendi: & ex hoc *iure* oritur *obligatio* in aliis, ipsum in iure suo haud impediendi. Vnde & illud fluit, Superiorem deinceps, prout visum fuerit, posse quod permiserat prohibere, aut indispensabiliter praecipere, & hac ratione ius ab eo datum tollere. Quod sane sufficit ad demonstrandum, quod illi, qui adeo repugnant *permissionem*, tanquam idea *Legis* generaliter acceptae comprehensam, agnoscere, aut litigia captent, aut quod hic & alibi admodum confusas seruent ideas, prodant.

§. III. (1) Conceptus *obligationis* duos distinctos conceptus complectitur, quorum quidem alter fluit ex altero. Prior est conceptus *conuenientiae* vel *disconuenientiae*, quam quis percipit, si hoc vel illo modo agat vel non agat; ita vt, si aliter agat, ipse se vituperet, quod secutus non sit lumen rationis, seque dignum eo nomine reprehensione iudicet. Alter est *metus* vel distinctus vel confusus *mali* alicuius nobis imminentis, tali modo agentibus vel non agentibus,

cum normam, prout par erat, sequenti istud euitasse licuerit.

§. IV.

---

bus, & mali item non immerito nobis euenturi, siue reuera in illud incurramus, siue forte illud detur effugere. Dixi, *metus vel distinctus, vel confusus.* Est *distinctus* ratione actuum poenis ab humanis legibus sancitis obnoxiorum; *confusus* vero, ratione actuum omnium a poenis humanis omnino exemptorum: & inde oriuntur terrores illi conscientiae, omni aeuo in his, qui mala perpetrant, deprehensi. Ad inueniendum autem solidum horum conceptuum fundamentum, necessum est, rationem *conuenientiae* aut *disconuenientiae* inuoluere *necessitatem* quandam *moralem indispensabilem*; quae quidem necessitas non nisi a principio quodam externo imposita potest intelligi, ab ente scilicet, cui *ius* competat certis regulis nos subiiciendi, & contrauenientibus malum quoddam infligendi. Vide dicta a me ad *Epistolam censoriam Anonymi* §. 15. Ceterum TREVERVS, Professor Helmstadiensis, modo Goettingensis, in Notis suis ad Autorem, taxat me hic, quod dixerim, conceptum *obligationis* comprehendere *sensum conuenientiae & disconuenientiae &c.* Si hoc, ait, ita se haberet, *Athei* pluresque alii, quorum conscientia est cauteriata, forent ad tempus saltem liberi ab omni vera obligatione, quoniam longius absit, vt eiusmodi sensum habeant. Sed cur non obseruauit, quod vnice loquar de impressione, quam conceptus *obligationis* facit in eorum animo, qui aliquo modo legem istam obligationem imponentem agnoscunt; sine quo eadem nullum in ipsis effectum posset producere? Dixi *sensum obligationis*, & non *obligationem*, quatenus scilicet est effectus *legis* in se ipsa spectatae, & imponit homini

§. IV. Quod autem homo *aptus* sit *ad recipiendam obligationem*, duplex causa est: vna quidem, quia is *voluntatem* habet, quae sese in diuersas partes flectere, adeoque & ad normam componere potest; altera, quia homo a potestate *Superioris* non est immunis. Nam vbi alicuius agentis vires per naturam ad vniformem agendi modum sunt alligatae, ibi libera actio frustra exspectatur; istique in cassum praescribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem sese componere potest. Si quis autem non agnoscat Superiorem, eo ipso nemo existit, qui necessi- Rationes, cur *apti* simus *ad recipiendam obligationem*.

mini necessitatem quandam agendi vel non agendi, siue de hoc cogitet, siue non cogitet, siue id velit, siue minus. Et similiter etiam Autor noster hic considerat effectum obligationis, cum nihilominus alias plus simplici vice in maiori suo Opere obseruauerit, *Atheos* propterea non carere culpa, quod *diuinum numen* haud agnoscant, nec consequenter etiam *obligationem* veram sentiant. Lepidum autem est, *Treuerum* ipsum sub *obligatione* comprehendere *spem boni & metum mali* inde prouenturi. Jam vero nonne spes metusue supponunt sensum boni maliue moralis in eo, quod quis agit, aut acturus est? Dictum hoc sit in transitu, & speciminis loco, de pluribus aliis passibus, vbi Autor iste, aliique inprimis, qui notas in breuem hunc libellum composuere, taxarunt me aut perperam intellectum, aut vera supponentes principia, ex quibus ratiocinantur, quamuis ea nondum satis probata dederint. Sed parcam chartae refutandis huiusmodi censuris consumendae.

necessitatem eidem iure queat iniicere. Et si maxime is in agendo certam rationem obseruet, & a quibusdam actionibus constanter abstineat; id tamen non ex obligatione aliqua, sed ex proprio beneplacito facere intelligitur. Sequitur ergo, vt ille obligationis sit capax, qui & (1) Superiorem habet, & normam praescriptam potest cognoscere, & voluntatem habet in diuersa flexilem; quae tamen, vbi norma per Superiorem fuerit praescripta, sentiat, se ab ipsa non recte discedere. Quali natura hominem praeditum adparet.

Fundamentum iuris imponendi alteri obligationem.

§. V. Introducitur obligatio in animum hominis proprie a (1) *Superiore*, i. e. tali, cui non solum (2) *vires* sunt, malum aliquod repraesentandi contranitentibus; sed & cui

§. IV. (1) Haec est causa praecisa & immediata: altera non nisi conditio est necessario supposita; quemadmodum ex eo adparet, quod Deus, vtut intelligens ac infinite liber, capax tamen obligationis non est.

§. V. (1) Vide quae dixi ad *Epistolam censoriam Anonymi* §. 19.

(2) *Vires* plane non ingrediuntur constitutionem iuris imponendi *obligationem*; sed inseruiunt tantum iuri illi suffulciendo atque tuendo. Vnde est, quod ius non amittitur ob hoc solum, quod superiori vires ad illud exercendum necessariae desunt; vt cum princeps aliquis iniuste ditionibus suis spoliatus est.

cui *iustae* sunt *causae*, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi. Talia enim vbi in aliquo fuerint, postquam quid velit significauit, necessum est, in animo hominis oriri metum reuerentia temperatum; illum quidem ex potentia, hanc autem ex consideratione causarum, quae etiam remoto metu, allicere aliquem debebant ad istius voluntatem amplectendam. Qui enim nullam rationem adlegare nouit, quare mihi inuito obligationem velit impingere, praeter solas vires, is terrere quidem me potest, vt effugiendo maiori malo, ipsi tantisper parere satius ducam; sed eo metu remoto, nihil amplius obstat, quo minus meo potius, quam illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur; eius iussa impune a me possunt negligi, ni potentior aliquis huius auctoritatem proculcatam adsertum eat.

(3) Rationes autem, quare quis recte postulare queat, vt ab altero sibi obtemperetur,

(3) Prout hic concepta haec periodus est, singula, quae complectitur, momenta, aut separatas inuicem rationes efficiunt; aut coniungi simul debent ad constituendum vnicum fundamentum iuris imponendi obligationem; nec satis liquido perspicitur, vtrum prius, an posterius Auctor hic in-

tur, sunt, si ab isto in hunc insignia quaedam bona sint profecta; si constiterit, istum &

intellectum voluerit. In Opere quidem maiori de I. N. & G. *Lib. I. cap. VI. §. 12.* ita exprimit mentem suam, vt tria priora momenta simul cohaereant, vnamque adeo rationem constituant; quartum vero alteram exhibeat. Interim haec variatio ac confusio indicium est rei minus accurate perceptae. Nam si ponderentur omnes rationes, quibus ius aliis imperandi superstruit, facile adparebit, nullam esse, quae per se satis habeat validitatis. Beneficium quippe nihil aliud, quam gratitudinem deposcit; ad quam testandam necessum non est benefactoris se directioni subicere Seruauit quis e. g. alteri vitam, quo vix vllum beneficium exstare maius potest, an ideo ius ille habeat exigendi, vt hic ipsum superiorem agnoscat? Ex eo solo porro, quod quis alteri bene velit, & rectius etiam, quam ipse valet, eidem prospicere possit, non sequitur, illi ius accedere huic imperandi, fatente Auctore ipso, qui illud fuse ostendit in Opere maiori *Lib III Cap. II. §. 8.* Sic & consensus, quo in alterius subiectionem quis descendit, per se obligatorius non est; prouti hoc testatur etiam ipse Auctor eodem Opere *Lib. I. Cap. VI. §. 6. Cap. VII. §. 13.* & *Lib. VIII. Cap. I. §. 5.* Hae ergo omnes rationes obligationem non nisi validiorem ac strictiorem reddunt; fundamentum vero iuris imponendi eiusmodi necessitatem moralem aliunde petendum est. Istud autem, ad quod, meo iudicio, redeunt reliqua omnia, est dependentia naturalis cunctorum hominum ab imperio Numinis diuini, quatenus ab ipso *existentiam, vitam & motum* habent. Opifex quippe, qua talis, operis

& bene huic velle, & rectius, quam ipse valet, eidem prospicere posse; simulque si actu iste

operis sui arbiter est, ac pro lubitu de eo potest disponere, etiamsi nil ipsi praeter formam induxerit. Quod si statuarius propria virtute conficere statuas animatas valeret, ipsisque inditi a se intellectus verus auctor foret; hoc solo ius consequeretur causamque idoneam exigendi, vt fabricatum manibus suis, dotatumque a se intelligendi facultate marmor aurumue, suae se voluntati subiiceret. Idem iuris & Parentes in liberos suos obtinerent, siquidem in generandis illis aliter, quam caeca instrumenta, & causae, vt ita dicam, occasionales se haberent: vnde & eorum auctoritas ex alio fonte deriuanda est. At Deus cum materiae, tum formae partium, ex quibus essentia nostra est composita, auctor est; idemque corpora nostra & animas condidit, omnesque, quibus hae praeditae sunt, facultates ipsis largitus est. Potest itaque istis facultatibus, quos vult, limites praescribere, atque postulare, vt iisdem homines non nisi hoc vel illo modo vtantur. Porro cum, qui ius habet mihi imperandi, eo ipso communicare cum altero hanc potestatem valeat; Deus quoque certis hominibus aut directe ac immediate hanc suam auctoritatem impertitur, vt cum Magistratus inter *Iudaeos*, subsistente *Theocratia*, ipse olim constituebat; aut mediate ac indirecte, hoc est per quandam consequentiam eius, quod velle se testatus est, quocunque demum modo hoc fiat. Ita in aliquo naturalis legis praecepto omnis inter homines legitima auctoritas fundata est ordinarie, & praecipue in ipso eorum consensu, qui eidem subsunt; qui consensus omnem suam vim inde accipit, quod vult

iste huius directionem sibi vindicet; & denique si quis vltro alteri sese subiecerit, & in ipsius directionem consenserit.

Quomodo *cognoscatur legislator & lex.*

§. VI. Ceterum vt lex vim suam in animis eorum, quibus fertur, exserere possit, requiritur cognitio cum *legislatoris*, tum ipsius *legis*. Nemo enim obedientiam praestare valebit, si neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur, nouerit. (1).

Et *legislatoris* quidem cognitio est facillima. *Legum* quippe *naturalium* eundem esse auctorem, qui vniuersi, ex lumine rationis constat. Nec *ciuis* ignorare potest, quis in ipsum *imperium* obtineat.

Leges

vult Deus seruari pacta, & vt consequenter iis obediamus, quibus id promisimus, quatenus id citra violationem legum a communi Domino nostro latarum fieri potest. Hoc summum & primum est omnis officii atque obligationis fundamentum. Inde etiam nihil frequentius validiusue inculcat Reuelatio, quam dogma de creatione mundi in vniuersum, ac specialiter hominum. Hoc quoque principium ipsi *Gentiles*, quamuis confusius paullo, agnouerunt, taliaque praeceperunt, quae naturaliter ad percipiendum honestati, & officii cum voluntate supremi Entis, auctoris nostrae existentiae, nexum ducerent; prout, si ferret locus, in procliui esset ostendere.

§ VI. (1) Hic tamen nemo excusationem meretur, qui subsidia ad cognoscendam legem & autorem eius necessaria habuit, aut habere potuit.

(2) Le-

Leges porro *naturales* quomodo innotescant, paulo post exponetur. *Ciuiles* autem *leges* per *promulgationem*, publice & perspicue factam, in subiectorum notitiam perueniunt. In qua de duobus constare debet: tum quod lex eum habeat auctorem, penes quem summum in ciuitate est imperium; tum quae sit legis sententia. Prius cognoscitur, si vel ipse legem sua voce promulget, vel autographo consignet; vel si id fiat per ipsius delegatos. Quorum auctoritas frustra in dubium vocatur, si constet, hoc cum munere, quod in ciuitate gerunt, esse coniunctum, & ipsos regulariter ad idem adhiberi; si istae leges in vsum iudiciorum deducantur; si nihil contineant, quod summo imperio deroget. Vt autem *sententia legis* recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri potest, perspicuitate vti. Si quid in legibus obscurum occurrat, eius declaratio petenda abs legislatore, aut illis, qui ad ius secundum leges dicendum publice sunt constituti (2).

§. VII. Cuiuslibet legis (1) perfectae duae *partes* sunt: vna, per quam definitur, quid sit *Partes essentiales cuiusuis legis.*

(2) Legislatori ius competit non solum *interpretandi* leges, verum etiam, vbi sensus legis perspicuus est ac definitus, eam *adplicandi* ad hunc vel illum particularem casum, in quo aliquando aliquid difficultatis obuenire potest.

§. VII. Dantur enim & *leges imperfectae*, quae simpliciter

ſit faciendum, quidue omittendum; altera, per quam indicatur, quodnam malum ſit propoſitum ei, qui praeceptum intermittit, & interdictum facit. Nam vti propter prauitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, ſuperuacuum eſt dicere, *hoc fac*, ſi non facientem nil mali ſit manſurum; ita abſurdum eſt dicere, *poenas dabis*, ni cauſa, quae poenam mereatur, praeceſſerit.

Sic igitur omnis *vis legis* conſiſtit in ſignificando eo, quid ſuperior a nobis fieri velit, vel non velit, & quae poena violatoribus legis ſit conſtituta. *Vis* autem *obligandi*, i. e. intrinſecam neceſſitatem adferendi, & *vis cogendi*, ſeu per poenas ad obſeruationem legum adigendi, proprie eſt in legislatore, & in iis, quibus legum cuſtodia atque executio eſt commiſſa.

Qualis debeat eſſe *materia* legum.

§. VIII. *Illud, quod* per leges alicui *iniungitur*, debet non ſolum *intra vires eſſe illius, cui leges feruntur*; ſed & *vtilitatem aliquam adferre*,

pliciter rem prohibent, ſine comminatione poenae. Sed in hoc ipſo caſu poteſt adeſſe *Sanctio* tacita, hoc eſt, quod legislator, poenam non determinando, nihilominus ab eadem haud diſpenſat, & ſibi tantummodo determinationem eius, prouti res poſtulauerit, reſeruat. Quod ſimiliter etiam praeſumendum eſt, quoties non perſpicue apparet, Superiorem potius agere magiſtrum, quam dominum.

ferre, siue illi ipsi, siue aliis. (1) Nam vti sub comminatione poenae aliquid exigere velle ab aliquo, quod est & semper fuit supra ipsius vires positum, absurdum & crudele fuerit; ita superuacuum est, naturalem voluntatis libertatem constringere, si nulla in quemquam vtilitas inde proueniat. (2).

§. IX. Quamquam autem regulariter lex omnes legislatoris subditos *complectatur*, *in quos materia legis quadrat*, & quos legislator ab initio exemtos non voluit; interdum tamen

Qui obligentur lege? & quid sit dispensatio?

 men

§. VIII. (1) Addenda & *tertia* conditio est, nempe vt lex sit *iusta*, hoc est ordini ac naturae rerum congrua. Etsi enim certo sensu omne *iustum* sit *vtile*; concipi tamen *iustum* potest, abstrahendo ab omni *vtilitate*. Et Deus ipse, nullius omnino rei indigus, obnoxius est gloriosae necessitati, vt nihil praescribere possit contra immutabiles ordinis regulas, quae nihil aliud sunt, nisi emanatio infinitarum eius perfectionum, ac continuata series naturae rerum, cuius ipse auctor est; ita vt secus agendo sibi ipsi aduersus foret.

(2) Non est propterea tamen semper permissum inferioribus, de vtilitate eius, quod ipsis superior praescribit, iudicare; multo minus ab obsequio soluti sunt ob solam hanc rationem, quod inutilis ipsis lex videatur. Quoad *Leges diuinas* etiam *positiuas*, semper persuasi debemus esse quod vtilitas quaedam interueniat, tametsi eam haud animaduertamus: istud enim infinita summi Legislatoris sapientia requirit. Quoad *Leges* autem *humanas*, praeterquam quod multi homines apti haud sunt ad mentem superioris satis

men contingit, vt ab (1) obligatione legis aliquis peculiariter soluatur; id quod *dispensare* vocant. Vti tamen *dispensare* ille tantum potest, cui legem ferendi & abrogandi potestas competit; ita cauendum, ne promiscua & citra grauissimas causas facta dispensatione, auctoritas legum conuellatur, & inuidiae atque indignationi inter subiectos ansa praebeatur.

Quid sit *aequitas*. (a) Vid. I. N. & G. lib. V. cap. XII. §. 21. & infra cap. vlt. huius lib. §. 12.

§. X. A *dispensatione* tamen multum differt (a) *aequitas*: quae est *correctio eius, in quo lex deficit ob vniuersalitatem*; (1) seu dextra legis interpretatio, qua ex naturali ratione ostenditur, casum aliquem peculiarem sub lege vniuersali non comprehendi, eo quod alias absurdi quid inde foret secuturum. Nam quia

satis pernoscendam, praestat aliquando ipsam illis manere incognitam. Imo si summe etiam euidenter lex inutilis appareat, exigere tamen debet rem admodum duram & molestam, vt quis cum ratione eam violare queat, cum id quidem sine metu multo maioris mali fieri potest.

§. IX. (1) Haec dispensatio tantum locum reperit quoad *leges positiuas*, neutiquam vero quoad *leges naturales*, circa quas nec ipse Deus dispensare potest: cum exempla alioquin adlegari solita dispensationem proprie sic dictam non arguant.

§. X. (1) Necessario hoc obseruandum in explicatione *legum diuinarum positiuarum* aeque ac ratione legum humanarum. Et CHRISTVS ipse hoc exemplis

quia ob infinitam varietatem omnes casus neque praeuideri, neque exprimi possunt; ideo iudices, quorum est generalia legum decreta ad speciales casus adplicare, debent a lege excipere eiusmodi casus, quos excepturus fuerat ipse legislator, si praesens adesset, aut tales casus praeuidisset (2).

§. XI. Porro (*a*) a relatione & congruentia ad normam moralem, *actiones humanae* certas sortiuntur *qualitates* & denominationes. *Variae qualitates actionum moralium.*

(*a*) Vid. I. N. & G. lib. I. cap VII.

Et illae quidem actiones, de quibus in neutram partem quid disponit lex, vocantur *licitae*, siue *permissae*. Etsi quandoque in vita ciuili, vbi non omnia ad viuum possunt resecari, 1. *Licitum aut illicitum.*

plis manifestis declarauit, MATTH. *Cap. XII,* 1. *seqq.* Praeterea tametsi *leges naturales* in seipsis, & quatenus ratio humana iustas sibi earum ideas format, nullius interpretationis indigeant, possunt tamen & debent simili ratione explicari & restringi, quatenus pari vniuersalitate expressae reperiuntur in scriptura sacra. Sic DECALOGVS praecipit: *ne occidas*; est tamen vbi licet occidere. Ad quod principium omni exceptione maius non attendendo Theologi, aliquando indiscriminatim damnant res, quae in certis casibus plane innoxiae esse possunt.

(2) Tradere hic Auctor aliquid de *duratione legum*, earumque *abrogatione* debuisset. Perpetuam quidem esse, ac irreuocabilem *legem naturae*, dubio vacat. Verum omnes *leges positiuae*, tam humanae, quam diuinae, ita sunt comparatae, vt abrogare eas Legislator possit,

cari, illa etiam *licita* dicantur, in quae (1) poena fori humani non est constituta, etsi in se honestati naturali repugnent.

2. Bonum aut malum. Quae porro actiones cum lege (2) congruunt, bonae, quae discrepant, malae vocantur. Sed vt aliqua actio *bona* sit, necessum est, vt ex omni parte cum lege congruat; vt *mala* sit, sufficit, si in vna duntaxat (3) parte deficiat.

§. XII.

sit, imo aliquando debeat. Hoc autem vel *expresse* facit, vel *tacite*. Cum enim longo tempore non obseruari legem patitur, permittitque negotia eo pertinentia alio plane modo geri; aut vero mutatur ita rerum status, vt inutilis iam lex fiat, vel locum amplius obtinere nequeat: lex, quamuis non expresse abrogata a Legislatore, imo in perpetuum quoque sancita fuerit, sua sponte exspirat. Et hoc modo leges *Iudaeorum* politicae ac ceremoniales abolitae sunt.

§. XI. (1) Confer vtrumque meum discursum *de permissione legum*, & *de beneficio legum*, item dicta ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. I. Cap. I.* §. 17. *not.* 3.

(2) Scilicet positiue: dantur enim & *actiones indifferentes*, quas nec praecipit lex, nec prohibet; sed fieri pro lubitu, vel non fieri, liberum relinquit. Vide supra §. 2. *huius Cap. not.* 1. & ad I. N. & G. *Lib. I. Cap. VI.* §. 15. *not.* 2. & *Cap. VII.* §. 5. *not.* 5.

(3) Hae conditiones respiciunt *qualitatem* aut *dispositionem agentis*, *obiectum*, *finem*, ceterasque actionis *circumstantias*. Sic tametsi actio alias exacte & ex omni parte cum lege congruat, si tamen

ex

§. XII. *Iustitia* autem quandoque est attributum *actionum*, quandoque *personarum*. Quando *iustitia personae* tribuitur, solet vulgo definiri, quod sit *constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi*. *Iustus* quippe vir dicitur, qui iusta faciendo delectatur, qui iustitiae studet, seu in omni re (1) conatur facere

3. Iustum aut iniustum. De *iustitia personarum*

ex vitiosa intentione profluxerit, ceu praua nihilominus, saltem in foro diuino, imputari potest. Quod si eam quis ex causa quidem innoxia, attamen diuersa ab illa, quam lex postulat, aut ex ignorantia plane perpetret, id est, nescius, id, quod patrat, conuenire cum lege; illius tunc supremus Legislator nullam habet rationem: incassum igitur iste egit, ac mero suo damno. Sed vti dixi de *foro diuino* haec intelligenda sunt. Nam cum exterior legum obseruatio ad commodum societatis, qui Legislatorum ciuilium scopus est, sufficiat, hi de agentis intentione, bonane omnino ac legitima fuerit, haud adeo sunt solliciti, modo actus exterior in se cum lege conueniat. Vide I. N. & G. *Lib. I. Cap. VII.* §. 3. 4. & *Cap. VIII.* §. 2. 3.

§. XII. (1) Supponit Auctor perperam, vt videtur, eos omnes, quibus habitus iustitiae vniuersalis deest, & qui non in omnibus & vbique iusta faciendo delectantur, nunquam actiones in se iustas, sed tantum ad vitandas poenas legum humanarum comparatas, facere. Si hominum indoles bene exploretur, adparebit, vt virtutis ac probitatis, ita etiam nequitiae ac vitiorum gradus esse. Non omnes quippe, qui non ex omni parte virtuosi aut vere probi sunt, aeque deprauati & omnibus vitiis dediti, aut pari gradu eidem vitio mancipati deprehenduntur. Sunt

enim,

facere id, quod iustum est. *Iniustus* contra, qui negligit cuique suum tribuere; vel id non debito

enim, qui, prout de *Galba* Imperatore legimus, *magis extra vitia sunt, quam cum virtutibus, TACIT. Histor. I, 49. num. 4.* Nec quis statim vno impetu summum malitiae culmen assequitur. *Nemo repente fuit turpissimus &c.* Sic cum variis plane modis violari id quod aliis debetur possit, reperiemus, quod homines certis vitiis obnoxii, quae ipsum ad laedendum hoc vel illud ius alterius impellunt, ab aliis tamen vitiis ad laedenda alia alterius iura stimulantibus immunes sint, adeoque horum respectu ex quodam nihilominus iustitiae principio officio suo fungantur. Sic e. g. homo in sequiorem propensus sexum, concepto vehementiori in alterius vxorem adfectu, ius mariti, ipsum a corrumpenda uxore prohibens, parum pensi habebit; at furari, occidere, dolos fraudesque in contractibus adhibere, patriam aut Principem prodere &c. forsan religioni sibi duxerit. Equidem concedo, quod vi eiusmodi adfectus, si alia ratione voti compos fieri nequeat, ad committendum homicidium, audendam proditionem, aliudue patrandum scelus adduci queat; verum haec tunc non nisi aegre, post vehementes animi luctas, aut impotenti iam affectus feruore excaecatus, faciet. Si iusti hominis non abnuente Auctore, *non paucae* possunt esse ob infirmitatem *actiones iniustae*; si *Dauid*, Propheta *& vir secundum cor Dei*, ad turpe adulterium, caedemque impiam committendam potuit prolabi; cur non iniustus homo, aut qui vitii alicuius habitum contraxit, plures actiones iustas, pro talibus agnitas, & quasi tales, facere queat, ita vt hoc respectu aliqua ipsi iustitia tribuenda sit? Hoc tamen saltem desiderandum, quod tunc nonnisi

debito suo, sed praesente commodo mensurandum existimat. Sic vt iusti hominis non paucae possint esse actiones iniustae, & vice versa. Iustus quippe iusta facit propter praeceptum legis, iniusta non nisi per infirmitatem: iniustus autem iusta facit propter poenam legi adiunctam, iniusta per animi malitiam.

§. XIII. Quando vero *iustitia actionibus* tribuitur, tunc nihil aliud est, quam *recta adplicatio earundem ad personam*; & *iusta actio*, quae

De *iustitia actionum*.

nonnisi *imperfecta* adsit *probitas*, periculumque immineat, ne, quod vsu venire solet, eiusmodi homines ex vitio in vitium prolabantur, ac postremo omnem fere virtutis sensum amittant. Verum non ideo confundendae diuersae ideae; aut supponendi homines deteriores, ac reuera sunt. Tam perspicua quippe est, maxime ratione nonnullorum officiorum, virtutis venustas, tantaque eius in animos hominum potestas, vt omnes ratiocinandi facultate paullum modo pollentes, atque inter moratas gentes degentes, ab ea alia aliaue ratione tangi soleant. Imo homines certis addicti vitiis, ipsos ad praecepta iustitiae, ratione officiorum cupiditatibus suis aduersorum, proculcanda concitantibus, interdum eo promptius ratione rerum aliarum iuste agere satagunt, quod, turbata subinde conscientiae morsibus illa mentis tranquillitate, cum qua piacula dominantibus suis vitiis conformia committunt, expiaturos se ea vtcunque strictiori officiorum cupidinibus suis haud repugnantium obseruantia existiment.

quae ex proaeresi, seu a sciente & volente adplicatur ad personam, cui illa debetur. Sic vt *iustitia* actionum a *bonitate* in hoc potissimum differat, quod *haec* simpliciter notet conuenientiam cum lege; *iustitia* autem praeterea inuoluat respectum (1) ad eos, in quos actio exercetur. Quo nomine etiam *iustitia* virtus aduersus alium dicitur.

Diuisio *iustitiae.*

§. XIV. Justitiae diuisionem non omnes eodem modo instituunt. Receptissima diuisio in *Vniuersalem* & *particularem.* Illa dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam (1) quod per vim, aut intentata

---

§. XIII. (1) At secundum ipsam Auctoris definitionem, nonne idea *bonae actionis* etiam ideam obiecti conuenientis inuoluit? Vide supra ad §. 11. *not.* 2. Prout alioqui iustitiam diuidit, videtur tantum *alios homines* pro obiecto eiusdem habere. Satius fuisset *bonas actiones* distinguere secundum tria obiecta, circa quae exerceri possunt, *Deum* nempe, *alios homines*, & *nosmet ipsos.* (Vide §. 13. *Cap. seq.*) Illae, quae ad *Deum* referuntur, communi nomine PIETATIS, quae ad *alios homines*, *IVSTITIAE*, quae vero directe ad *nos ipsos*, *Moderationis* aut *TEMPERANTIAE*, comprehenduntur. Haec diuisio, vt simplicissima ac facillima, ita quoque receptissima est, & antiquissima. Vide ad I. N. & G. *Lib II. Cap. III.* §. 24. *not.* 1.

§. XIV. (1) Cuiusmodi officia sunt, quae non absolute ad conseruationem humani generis, aut sustentationem societatis humanae in vniuersum requiruntur;

tentata in foro actione exigi non poterat. Haec autem est, quando alicui potissimum exhibentur, quae ille suo iure postulare potuerat: & haec iterum solet diuidi in (2) *distributi-*

runtur; etiamsi ad reddendam eam amoeniorem commodioremque inseruiant. Huc pertinent commiserationis, liberalitatis, beneficentiae, gratitudinis, hospitalitatis officia; verbo, quaecunque vulgo *humanitatis* aut *caritatis* vocabulo comprehendi solent, contradistinguendo id *iustitiae* rigorosae, proprie sic dictae, cuius officia vtplurimum pacto vel conuentione aliqua nituntur. *Vtplurimum*, inquam: etenim & citra vllam conuentionem perfecte quis obligatur neminem laedere, ac damnum datum reparare, alios ceu naturaliter sibi aequales habere &c. Verum sedulo obseruandum, casu extremae necessitatis *ius imperfectum* ex legibus *caritatis* ortum, mutari in *ius perfectum*; ita vt tunc per vim queant adferi, quae extra hunc casum debent cuiusque conscientiae ac pudori relinqui. Vide I. N. &G. *Lib. I. Cap. VII.* §. 7. & *Lib. III. Cap. IV.* §. 6.

(2) Quemadmodum vitiosa est diuisio *iustitiae* in *vniuersalem* & *particularem*, quod vnum membrum altero continetur; ita subdiuisio *iustitiae particularis* in *distributiuam* & *commutatiuam* inadaequata est, quia hoc solum complectitur, quod alteri vi pacti alicuius aut contractus cum ipso initi debetur; cum tamen non pauca sint, quae, nulla intercedente conuentione, alii a nobis cum rigore postulare queant. Vide *not. praeced.* Mallem itaque *iustitiam* diuidere in *imperfectam*, aut non rigorosam, & *perfectam*, aut rigorosam; hancque deinde subdiuidere in illam, *quae*

ſtributiuam & *commutatiuam*. Illa nititur pacto inter ſocietatem & membra inito circa participandum pro rata damnum & lucrum. Haec autem nititur contractu bilatere, potiſſimum circa res & actiones in commercium venientes.

De iniuſtitia & iniuria: item infortunio & culpa.

§. XV. Cognito, quid *iuſtitia* ſit, facile etiam quid *iniuſtitia* ſit, colligitur. Vbi obſeruandum, quod actio iniuſta, quae deſtinato ex conſilio ſuſcipitur, & per quam violatur, quod alteri perfecto iure debebatur, aut quod tali iure vndecunque partum is poſſidebat, proprie *iniuria* vocetur. Quae triplici modo ſit: vel ſi alicui denegetur, quod ſuo iure (1) poſtulare poterat, non ſi quid duntaxat ex humanitate, aut ſimili virtute debebatur; vel ſi auferatur, quod (2) ſuo iure aduerſus auferentem (3) valente tenebat; vel

quae a pari erga parem, & *quae inter Superiorem & inferiorem* exercetur. Prior tot habet diuerſas ſpecies, quot officia ſunt, quae homo a quolibet altero homine, qua tali, aut ciuis ab quouis altero membro eiusdem ciuitatis cum rigore exigere poteſt. Altera tot includit ſpecies, quot diuerſae ſunt ſocietates, in quibus imperant alii, alii parent.

§. XV. (1) Qualis e. g. reparatio damni ipſi dati, aut adimpletio contractus cum ipſo initi &c.

(2) Id eſt, bona & iura, actu poſſeſſa.

(3) Exceptio hic latens reſpicit ſummorum Imperantium

vel si malum aliquod alteri inferatur, (4) quod inferendi potestatem non habebamus. Ad iniuriam praeterea requiritur destinatum consilium & malitia eius, qui facit. Quae vbi abfuerit, laesio alterius *infortunium*, aut *culpa* vocatur, grauior aut leuior, prout grauis aut leuis fuerit socordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit.

§. XVI. Lex respectu auctoris diuiditur in (1) *diuinam* & *humanam*. (*a*) Illa abs Deo, haec ab hominibus lata est. Sed si lex consideretur, prout necessariam & vniuersalem congruentiam cum hominibus, vel minus habet, diuiditur in *naturalem* & *positiuam*. Illa est, *quae cum rationali ac sociali natura hominis ita congruit, vt humano generi honesta & pacifica societas citra eandem constare nequeat.* (2)

Quotuplices sint leges.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. I. cap. VI. §. 18.

perantium ius, bona eorum, qui certa delicta commiserunt, fisco addicendi; aut etiam de bonis eorum, qui nihil per se deliquerunt, in quibusdam casibus disponendi, donec hoc vel illo modo deinde indemnes praestari possint.

(4) Hic iterum exceptio subest, quae pertinet ad ius summorum Imperantium, potestatem scilicet poenas sontibus infligendi.

§. XVI. (1) Id est, quae immediate auctorem habet *Deum*; namque alioquin ipsarum legum humanarum vis ex lege naturali, quae vere diuina lex est, promanat.

(2) Vnde & illa per rationis homini congenitae lumen, & ex consideratione humanae naturae in vniuersum inuestigari & cognosci potest. Haec est, *quae ex communi conditione humanae naturae haut quicquam fluit*, *sed abs solo legislatoris placito proficiscitur*; etsi nec ipsa sua ratione ac vsu, quem certis hominibus, aut

(2) Et consequenter communis est omnium hominum & populorum. Vocatur *lex naturalis*, vel *ius naturale*, cum homines considerantur pure & simpliciter qua tales, abstrahendo a societatibus ciuilibus, quorum membra sunt. *Jus* vero *Gentium* vocatur applicatio principiorum & praeceptorum huius legis ad actiones populorum, eorumque rectorum, aut certorum particularium, qui membra diuersarum ciuitatum existentes, commercium inter se certarum rerum alunt. Alii tamen volunt distinctum esse *Jus gentium a iure naturali*; sed alii alia ratione istud explicant, nec tamen rei existentiam solida quadam ratione probant. Plerique id venditant pro Jure quodam arbitrario, tacito gentium consensu stabilito. Sed exinde lex enasci haud potuit, quae per se ipsam obliget. Res tota redit ad quandam consuetudinem, nunquam tamen absolute vniuersalem. Nec consuetudo inter eos, qui communem superiorem haud agnoscunt, aliam vim habet, quam quatenus quis illi se vult submittere, & actu submisit in quouis speciali casu. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. III.* §. 23. *not.* 2. *ed. nouae*, & in Praefatione mea ad GROTIVM §. 8. pag. 31. item in Notis meis ad omnia loca GROTII, vbi de qualibet re, ad *Jus Gentium* ab ipso relata, disserit.

aut peculiari societati generat, carere debeat.

Est autem *lex diuina* alia *naturalis*, alia *positiua*. *Humana* autem omnis presse accepta, *positiua* est.

CAPVT III.

DE LEGE NATVRALI IN GENERE.

§. I.

Quomodo inuestigandum sit *fundamentum & praecepta legis naturalis*.

QVaenam *legis naturalis* sit *indoles*, quae necessitas, & quibus eadem praeceptis in isthac mortalium conditione constet, planissime perspicitur, (a) si quis *naturam & ingenium hominis* penitius perscrutatus fuerit. Sicuti enim ad accuratam legum ciuilium cognitionem plurimum facit, statum ciuitatis, moresque & studia ciuium probe intellexisse; ita perspecto communi mortalium ingenio statuque, facile patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.

(a) Vid. I. N. & G. lib. II. cap. III.

Homo natura se ipso nihil habet carius.

§. II. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis sensus sui inest, vt seipso nihil habeat carius, seipsum studeat omnibus modis conseruare; vt quae bona sibi videntur, adquirere, quae mala, repellere nitatur. Qui quidem *affectus* regulariter

ter tantus eſt, vt reliqui omnes eidem cedant. Et quicunque hominis ſalutem impugnatum it, eum non poteſt non iſte auerſari eousque, vt etiam depulſo malo intentato, plerumque odium & cupiditas vindictae adhuc remaneat.

Miſera conditio hominis ſibi relicti, omnique aliorum ope deſtituti.

§. III. Aſt in eo prae brutis homo deteriore iam conditione videtur, (a) quod *vix vllum aliud animal tanta a natiuitate imbecillitas proſequatur;* ſic vt miraculi ſit inſtar futurum, ſi quis ad maturam aetatem peruenerit, niſi aliorum hominum auxilium accedat. Cum nunc inter tot inuenta humanae neceſſitatis adminicula, plurium annorum ſollicita informatio requiratur, vt proprio quis marte victum & amictum ſibi parare queat. Fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam, ad robuſtam aetatem prouectum, cui nihil ſit ſcientiae, niſi quod ex proprio ingenio velut vltro pullulauit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque conſortio in ſolitudine deſtitutum; ſane vix miſerabilius animal deprehendetur, elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radicesque vellere, aut ſponte natos fructus legere, ſitim fonte, flumine aut lacuna obuia leuare, repellendis aëris iniuriis antra ſubire, aut muſco gramineue corpus vtcunque tegere, tempus taedioſiſſimum per otium exigere, ad quemuis ſtrepitum, aut alterius

(a) Vid. I. N. & G. Lib. II Cap. I. §. 8. & Cap. II. §. 2.

terius animantis occursum exhorrescere, denique fame, frigore, aut per feram bestiam demum perire.

Contra quidquid iam commoditatum vitam humanam comitatur, id omne ex mutua hominum ope redundauit. Sic vt post Deum O. M. nihil in hoc orbe sit, ex quo maior vtilitas homini prouenire queat, quam ex ipso homine.

§. IV. Isthoc tamen tam vtile inuicem animal *non paucis laborat vitiis, (a) & non minore nocendi facultate praeditum est;* quae coniunctionem cum ipso reddunt satis ancipitem, magnamque requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo sortiatur.

Homo pluribus vitiis laborat, quae ipsum procliuem ad nocendum aliis reddunt.

Jam primum maior fere *ad nocendum procliuitas in homine*, quam in quouis brutorum deprehenditur. Nam bruta fere cibi desiderio & Veneris efferantur; quorum vtrique tamen facili negotio ipsa satisfacere possunt. Et eo desiderio sopito, non temere in iras, aut ad laedendum alios concitantur, nisi quis irritauerit. Ast homo animal est nullo non tempore in *libidinem* paratum; cuius stimulis longe frequentius vellicatur, quam conseruandae speciei necessarium videbatur. Eiusdem quoque *venter* non satiari duntaxat, sed & titillari vult; & saepe plura adpetit, quam natura digerere valet. *Vestibus* ne indigerent bruta, natura prospexit: ast homo non ad necessitatem tantum, sed & ad *osten-*

(a) Vid. I. N. & G. lib. II. cap. I. §. 6. & Lib. VII. c. I. §. 4.

tationem vestiri gaudet. Multi praeterea *adfectus* atque *cupidines* brutis ignoti in mortalium genere deprehenduntur: *superflua habendi libido*, *auaritia*, *gloriae* & alios eminendi cupiditas, *inuidia*, *aemulatio*, ingeniorumque contentio. Indicio est, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob caussas gerantur brutis ignotas. Atque ista omnia stimulare homines possunt & solent, vt sibi mutuo nocere velint. Accedit in multis *eximia quaedam petulantia*, & aliis *insultandi libido*; quibus ceteri etiam modesto ingenio praediti, studio se ac suam libertatem conseruandi ac tuendi, non possunt non offendi, ac ad resistendum accingi. Quandoque etiam homines ad mutuas laesiones incitat *inopia*, & quod praesens rerum copia cupiditatibus aut indigentiae eorum non sufficiat.

Homini magna vis inest ad nocendum, multaque adsunt media.

§. V. Sed & maxima *vis* inest hominibus *ad noxas* mutuo inferendas. Nam etsi neque dentibus, neque vnguibus aut cornibus sint formidabiles, vt multa brutorum; tamen *habilitas manus* in efficacissimum nocendi instrumentum eualescere potest, & *solertia ingenii* astu & per insidias grassandi facultatem dat, qua aperta vi pertingere non licet. Sic vt facillimum sit, hominem homini grauissimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

Insignis est in hominibus inge-

§. VI. Denique & in genere humano consideranda est *insignis* illa *ingeniorum varietas*, qualis

qualis in singulis brutorum speciebus non cernitur; quippe quae consimiles fere inclinationes habent, parique affectu & appetitu ducuntur. Ast inter homines *quot capita, tot sensus*, & suum cuique pulchrum. Nec simplici aut vniformi cupidine omnes agitantur; sed multiplici & varie inter se mixto. Imo vnus & idem homo saepe sibi dissimilis cernitur, & quod vno tempore concupiuit, ab eodem alio tempore valde abhorret. Nec minor in studiis, institutis, & ad exserendum animi vigorem *inclinationibus* varietas, quae iam in infinitis fere vitae generibus conspicitur. Per quae ne mutuo collidantur homines, solicita temperatura & moderatione opus est. nioꝛum & inclinationum varietas.

§. VII. Sic igitur homo iam est animal *sui conseruandi studiosissimum*, *per se egenum*, sine auxilio sui similium seruari impotens, *ad mutua commoda promouenda* maxime *idoneum*: idem tamen iuxta *malitiosum*, petulans & facile irritabile, ac ad noxam alteri inferendam pronum non minus, quam *validum*. Vnde colligitur, eidem, vt sit saluus, necessum esse, vt sit *sociabilis*; i. e. vt cum sui similibus coniungatur, & aduersus illos ita se gerat, vt ne isti probabilem causam accipiant eum laedendi, sed potius eiusdem commoda seruare & promouere velint. Indoles naturalis hominis necessario requirit, vt sit *sociabilis*.

§. VIII. Huius ergo *socialitatis* leges, seu quae docent, quomodo quis sese debeat ge- Quid sint *leges naturales*.

rere, vt commodum ſocietatis humanae membrum exiſtat, vocantur (1) *Leges naturales*.

Lex fundamentalis Juris Naturalis.

§. IX. His poſitis, adparet, *fundamentalem legem naturalem* eſſe hanc: *Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & ſeruandam eſſe ſocietatem.* Ex quo conſequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit; omnia, quae ad iſtam ſocialitatem neceſſario & in vniuerſum faciunt, iure naturali praecepta, quae eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi.

Reliqua autem praecepta ſunt tantum velut ſubſumtiones ſub hacce generali lege, quorum euidentiam lumen illud naturale hominibus inſitum inſinuat.

Praecepta Juris naturalis vnde *vim legis* obtineant.

§. X. Iſthaec porro praecepta etſi manifeſtam habeant vtilitatem; tamen vt eadem *vim legis* obtineant, (1) neceſſum eſt praeſupponi, *DEum eſſe*, & *ſua prouidentia omnia regere*; *eundemque* mortalium generi *iniunxiſſe*, vt iſta rationis dictamina, tanquam *leges* ab ipſo vi congeniti luminis promulgatas, obſeruent. Alias

§. VIII. (1) Vide quae dicentur infra ad §. vlt. huius capitis.

§. X. (1) Vide ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. III.* §. 19. *not.* 2. & quae monui ad *Epiſtolam cenſoriam Anonymi* §. 15.

Alias enim possent ea quidem fortasse obseruari intuitu vtilitatis; sicut quae a Medicis regendae valetudini praescribuntur: non autem tanquam leges; quippe quae necessario ponunt superiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu susceperit.

§. XI. Esse autem *Deum legis naturalis auctorem*, ex ratione naturali ita demonstratur, si praecise praesenti mortalium conditioni inhaereamus, non attendendo, an primaeua conditio diuersa ab hac fuerit, & vnde ista mutatio prouenerit. Deus est *auctor legis naturalis.*

Cum enim *natura hominis* ita sit constituta, vt citra sociabilem vitam humanum genus incolume esse nequeat, hominisque animus notionum huc inseruientium capax deprehendantur; & vero pateat, non solum genus humanum, vti aliae creaturae, originem suam Deo debere; sed & eundem istud vtcunque iam constitutum prouidentiae suae moderamine complecti: inde consequitur, Deum velle, vt homo iis viribus, quas sibi prae brutis peculiares inesse sentit, ad naturae suae incolumitatem vtatur; vtque adeo a brutorum exlege vita humana vita sit distincta. Id quod cum aliter, quam seruata lege naturali obtineri nequeat; intelligitur quoque, a Deo obligatum hominem ad isthanc seruandam, tanquam medium, non ex arbitrio hominum inuentum, ac ex eorum libidine mu-

tabile, sed expresse ab ipso Deo huic fini procurando constitutum. Qui enim obligat ad finem, censetur quoque eundem obligasse ad vsurpanda media fini necessaria.

Sed & socialem vitam a Deo hominibus pro imperio iniunctam esse, indicio est, quod in nullo praeterea animante *sensus religionis aut metus Numinis* deprehendatur; qui in animali exlege intelligi non posse videtur. Abs quo generatur tener admodum sensus in animis hominum non plane corruptorum, quo conuincuntur, in legem naturalem peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium est, & qui metuendus sit, etiam vbi ab hominibus metus non impendet.

Quo sensu legis naturalis praecepta omnibus hominibus sint *natura nota*.

§. XII. Quod vulgo dicitur, isthanc legem *natura notam* esse, id non ita capiendum videtur, (1) quasi in animis hominum iam nascentium inhaereant actuales & distinctae propositiones circa agenda & fugienda; sed partim, quod illa per lumen rationis inuestigari possit, partim, quod saltem communia & praecipua capita legis naturalis ita plana & liquida sint, vt statim adsensum inueniant, & ita animis inolescant, vt nunquam inde iterum deleri queant; vtut forte homo impius ad sopiendas conscientiae vellicationes

nes

§. XII. (1) Vide *I. N. & G. Lib. II. Cap. III.* §. 13. & meam in hoc opus *Praefat.* §. 4.

nes eorundem ſenſum plane ſtudeat extinguere. Quo nomine etiam in ſacris literis cordibus hominum (*a*) inſcripta dicitur. Inde & cum a puero ex vitae ciuilis diſciplina eorundem ſenſu imbuamur; & vero recordari non poſſimus id tempus, quando primum eadem hauſerimus: non aliter de ea cognitione cogitamus, ac ſi illa nobis naſcentibus iam adfuiſſet. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipſi vernaculam contingit.

(*a*) Rom. II, 15.

Generalis diviſio officiorum legis naturalis.

§. XIII. Diuiſio *officiorum*, quae ex lege naturali homini incumbunt, commodiſſime videtur inſtitui ſecundum *obiecta*, erga quae iſta ſunt exercenda. Quo intuitu illa in *tres principales partes* diſpeſcuntur; quarum *prima* tradit, quomodo ex ſolo rectae rationis dictamine quis ſeſe debeat gerere aduerſus *Deum*, *altera*, quomodo aduerſus *ſeipſum*, *tertia*, quomodo aduerſus *alios homines*. Quanquam autem primario & *directe* ea praecepta legis naturalis, quae ad alios homines ſpectant, ex *Socialitate*, quam fundamenti loco ſubſtrauimus, deriuentur; tamen etiam (1) *indirecte* officia hominis erga Deum, tanquam

 Crea-

§. XIII. (1) Imo haec officia, vt & quae ad noſmet ipſos referuntur, aliud directum ac immediatum fundamentum, & ab omni ſocietatis reſpectu liberum, habent. Etenim homo ſoli ſibi in orbe, aut in deſerta aliqua inſula relictus, nihilominus colere

Creatorem, inde deduci poſſunt, quatenus vltimum firmamentum officiis erga alios homines a religione & metu Numinis accedit; ſic vt ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus; & quia ſola ratio in religione vlterius progredi nequit, quam quousque illa inſeruit (2) promouendae tranquillitati

lete Deum, ſeipſum conſeruare, facultatesque animi, quantum poteſt, perficere &c. teneretur. Et reuera nullo modo neceſſarium eſt, vt omnia officia, quorum ſolo rationis lumine intelligi neceſſitas poteſt, ex vna fundamentali propoſitione deducantur. Statuendum igitur, *tria* eſſe ſumma naturalis iuris *principia:* quorum primum eſt RELIGIO, quae omnia hominis erga *Deum* officia complectitur, alterum AMOR SVI, ex quo, quicquid erga *ſeipſum* quis directe obſeruare tenetur, fluit, tertium SOCIALITAS, vnde quae *aliis hominibus* debentur, reſultant. Vberrima quidem haec ſunt principia, & arctiſſimo inter ſe vinculo cohaerent, aequaque ratione ad promouendos Creatoris fines concurrunt; ſed reuera tamen inuicem differunt, ac prudenter temperari debent, ita vt iuſtum inter illa, quantum fieri poteſt, aequilibrium ſeruetur. Vide ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. III.* §. 15. *not.* 5. edit. nouae, vbi accuratius euolui & expreſſi meam circa grauiſſimum hoc argumentum doctrinam. In quo multi ſe impediunt intricantque, vt ſubtiles appareant, & noui quid attuliſſe videantur, ita vt probabile ſit eos ſedulo mentem auertere, ne ſimpliciſſimis ideis, vltroque ſeſe offerentibus immoretur.

(2) Vide quae dixi ad *praefationem* Auctoris §. 6.

quillitati & ſocialitati huius vitae. Nam prout religio ſalutem animarum procurat, ex peculiari reuelatione diuina prouenit. Officia autem hominis erga ſeipſum ex religione & ſocialitate coniunctim promanant. Ideo enim quaedam non pro abſoluto ſuo lubitu homo circa ſeipſum diſponere poteſt; partim vt cultor idoneus diuini Numinis, partim vt commodum & vtile membrum ſocietatis humanae eſſe queat.

CAPVT IV.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEVM, SIVE DE RELIGIONE NATVRALI.

§. I.

Officium hominis erga Deum, quantum quidem ex naturali ratione inueſtigari poteſt, duabus partibus abſoluitur: tum vt de Deo recte ſentiamus, tum vt actiones noſtras ad ipſius voluntatem componamus. Inde *religio naturalis* conſtat (1) *propoſitionibus* tum *theoreticis*, tum *practicis*. Generalis diuiſio *religionis naturalis.*

G 5 §. II.

§. I. (1) Confer cum his omnibus CLERICI *Pneumatologiam Sect. III.* vt & BVDDEI *Diſſertationem*

Deum existere.

§. II. Inter ea, quae de Deo cuiuis homini sentienda sunt, primum omnium est, vt certo persuasus sit, *Deum existere*, i. e. reuera dari summum aliquod & primum Ens, abs quo hoc vniuersum dependeat. Id quod sapientes ex *subordinatione causarum*, quae demum in primo aliquo sisti volunt, ex *motu*, & ex contemplatione *machinae huius vniuersi*, & similibus argumentis liquidissimo demonstrarunt. Quae si quis neget abs se capi posse, non ideo *Atheismi* sui excusationem inuenit. (*a*) Cum enim vniuersum genus humanum in perpetua velut possessione istius persuasionis fuerit; necessum erat, si quis eandem oppugnare velit, vt non solum omnia argumenta, quibus Deus esse probatur, solide destruat, sed & plausibiliores rationes pro adsertione sua proferat. Simulque cum generis humani salutem ea persuasione contineri hactenus creditum sit; ostendendum ipsi praeterea fuerit, generi humano per Atheismum melius consuli, quam retento sano cultu Numinis. Quod cum fieri nullomodo queat, omnium eorum, qui isthanc conuellere quocunque modo adgrediuntur, impietas,

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. IV. §. 4.

nem de Pietate Philosophica, quae est IV. inter eius *Selecta Juris Nat. & Gentium.* Et adeunda quoque WOLLASTONI *Lineamenta religionis naturalis* Sect. V. p. 106. sq. versionis Gallicae.

tas, maxime eſt deteſtanda, & grauiſſimis (1) poenis coërcenda.

§. III. Alterum eſt, *Deum eſſe vniuerſi huius conditorem.* Cum enim ex ratione manifeſtum ſit, iſthaec omnia non extitiſſe a ſeipſis; oportet, vt eadem ſummam aliquam cauſam habeant. Quae ipſa eſt id, quod Deum adpellamus

Eundem Deum eſſe *conditorem* huius *vniuerſi.*

Ex quo conſequitur, falli eos, qui ſubinde *Naturam*, tanquam vltimam omnium rerum & effectuum cauſam, crepant. Nam ſi per id vocabulum intelligitur efficacia illa & vis agendi, quae in rebus conſpicitur, ipſa vtique auctorem ſui, i. e. Deum arguit: tantum abeſt, vt eius vis ad negandum Deum quid valere poſſit. Sin autem per naturam intelligatur ſumma rerum omnium cauſa, ex profano quodam faſtidio defugitur plana & recepta Dei adpellatio.

Errores huic veritati contrarii.

Errant quoque illi, qui credunt, Deum eſſe aliquid eorum, quae in ſenſus incurrunt, & praecipue *ſidera.* (1) Nam haec omnia ſub-

§ II. (1) Quod ita intelligendum eſt, ſi quidem diſſeminare impia ſua dogmata pertendant: alias enim indoles ac finis poenarum in foro humano infligendarum non requirit, vt aduerſus Atheum, ideo tantum, quod Atheus ſit, exerceantur. Vide ad J. N. & G. *Lib. III. Cap. IV.* §. 4. *not.* 1. ed. nouae.

§. III. (1) Omnes tamen, qui *ſidera* ut deos adorarunt, diuinitatem neutiquam in ſubſtantia eorum materiali poſuere, ſed quidam intelligentiam quandam,

substantia ipsorum arguit non esse primum aliquod, sed ab alio ortum.

Nec minus indigne de Deo sentiunt, qui eum (2) *mundi animam* dicunt. Anima enim mundi, qualiscunque illa demum sit, partem mundi notat: pars autem rei quomodo eiusdem causa, i.e. prius aliquid esse potuit? Q od si autem per animam mundi intelligatur primum illud & inuisibile, a quo omnium rerum vis & motus dependet; pro plano vocabulo, obscurum & figuratum nomen substituitur.

Ex hoc ipso quoque adparet, *mundum non esse aeternum*. Id enim abhorret a natura eius, quod causam habet. Et qui mundum aeternum adserit, aliquam eius causam negat; & sic ipsum Deum negat. (3)

§. IV.

dam, quae istis praesideret, sibi fingebant. In quo nihilominus falsas amplectebantur ideas, & in aliam quoque veritatem, quam Autor paullo post allegabit, impingebant, vnitatem scilicet supremi Entis, & cultum huic soli debitum.

(2) Vide BAYLII *Continuationem cogitationum circa cometam*, &c. p. 120 & *sequ.*

(3) Modificationem aliquam haec meretur consequentia; malnerintque forsan plures verba CVDWORTHI, in Epitoma, quam sistit *Bibliotheca selecta* CLERICI *Tom. III.* p. 21. 22. sua facere: „Etsi exacte quidem loquendo, ii soli agnoscunt „Deum, qui ipsum omnipotentem, vnicumque re„rum omnium principium credunt; postulat tamen „humani ingenii debilitas, in sensu latiori haec ver„ba

§. IV. Tertium est, *Deum tum in vniuersum mundum, tum in genus humanum regimen exercere.* Id quod ex admirabili & constanti ordine, qui in hoc vniuerso cernitur, liquido apparet. Quoad effectum autem moralem, perinde est, vtrum quis neget Deum existere, an ab eodem humana curari; cum vtrumque omnem religionem plane tollat. Frustra enim metuitur aut colitur, vtut in se sit praestantissimus, qui nulla plane nostri cura tangitur, & nihil boni malique in nos vult aut potest conferre. *Dari prouidentiam diuinam.*

§. V.

„ba intelligi, ita vt illis, qui Numen diuinum agno-„scunt, & ii comprehendantur, qui credere se Ens „aeternum atque Independens profitentur, licet „creasse istud materiam haud credant. Nunquam „Atheismi *Epicurus* ac *Democritus* accusati fuissent, „si tantum statuissent, Atomos esse aeternos, idque „meliori iure, ac alii Philosophi, qui idem quoque „statuebant; nisi negauissent, vllum existere Ens intel-„ligens, quod ex materia hoc vniuersum condiderit. Conf. TITII *obseruationes in Pufend. de offic Hom. & Ciu.* &c. obs. 97. & 99. Sunt & aliae circa Numen diuinum opiniones, quarum respectu indulgere aliquid par est humani ingenii in perspiciendo vero imbecillitati, educationis instillationibus, peculiari in singulis ingenii dispositioni, temporibus, locis, aliisque circumstantiis. Alias enim periculum fuerit, ne Atheismi temere iusimulentur homines ab eo alienissimi, & plures adeo sancti viri, quorum collaudatur in sacris scripturis, atque imitanda proponitur pietas, tametsi in nonnullis crasse satis de Deo senserint.

Nullam imperfectionem in Deum cadere.

§. V. Quartum est, *nullum attributum in Deum cadere, quod aliquam* (1) *imperfectionem inuoluat.* Cum enim ille omnium rerum causa sit & origo, absurdum foret, creaturam ipsius aliquam sibi posse perfectionem animo conci-

§. V. (1) Certum quidem est, nullum Deo attributum esse adsignandum, quod vllam inuoluat imperfectionem; sed bene notandum, obseruationem huius regulae relatiuam esse ad singulorum hominum captum; cum attribuere quis Deo imperfectiones possit, quas ipse pro talibus non habeat; quo casu reuerentiae in Deum ac honoris defectus, saltem formaliter, non proditur. Vt vero constet, an tunc quis erroris teneatur, distinguendum est inter *crassiores imperfectiones*, quae in sensus quodammodo incurrunt; & *subtiliores imperfectiones*, quas non nisi adhibita meditatione, ac penetrantia vulgi captum superante, licet detegere. Ad priorem classem pertinebant pleraeque gentilis superstitionis ac idololatriae ideae falsae; cum Deo hominum non solum indigentia, sed etiam infirmitates ac vitia ipsa adfingebantur. Referenda & huc eorum est opinio, qui Deum peccati auctorem constituunt aut directe, aut per consequentias satis perspicuas; item, qui eum ita sibi concipiunt, ac si homines talia velit suscipere, quae citra peccatum fieri nequeunt, quales sunt, qui persecutionem Religionis causa tuentur. At vero circa Dei *omniscientiam*, aut *omnipraesentiam*, & id genus alia, quae ad intimiores naturae diuinae recessus spectant, facile est, vt falsae quaepiam obrepant ideae, ita vt vel attentissimis perspicacissimisque ingeniis, statim ac supra vulgi captum adscendunt, certo persuasum esse nequeat, quod non ipsimet in errorem inciderint.

concipere, quae abs Deo abesset. Imo cum istius perfectio infinitis modis exsuperet captum tantillae creaturae; eandem terminis potius negatiuis, quam positiuis exprimere par erit, Inde Deo haut quaquam sunt tribuenda, quae *finitum* aut *determinatum* quid notant: quia finito maius semper adtribui potest; & omnis determinatio ac figura terminos ac circumscriptionem inuoluit. Quin nec dicendus est *distincte & plene comprehendi aut concipi nostra imaginatione*, vel quacunque facultate animae nostrae; quia quicquid animo distincte & plene concipere valemus, id finitum est. Neque vero ideo, quia *Deum infinitum* dicimus, eius conceptum plenum animo tenemus: cum *infinitum* proprie non notet aliquid in ipsa re, sed impotentiam in animo nostro; ac si diceremus, non capere nos magnitudinem eius essentiae. Inde nec recte dicitur, quod *partes* habeat, aut sit *totum* aliquid; quia haec attributa finitorum sunt: neque quod in *loco aliquo contineatur*; quia hoc innuit fines & terminos magnitudinis: neque quod *moueatur aut quiescat*; vtrumque enim supponit esse in loco.

Sic nec Deo proprie adtribui possunt, quae *dolorem* aliquem aut *passionem* notant: (*proprie* dico: nam vbi talia Deo attributa leguntur, id fit ἀνθρωποπαθῶς, pro effectu, non affectu) vt est *ira*, *poenitentia*, *misericordia*.

Item,

Item, quae *egestatem* & *absentiam alicuius boni* notant; vt est *adpetitus*, *spes*, *concupiscentia*, *amor*, *cupido*. Nam haec inuoluunt indigentiam, adeoque & imperfectionem; cum intelligi non possit, vt quis adpetat, speret, cupiatue, nisi quibus indiget caretue.

Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *scientia*, & *actus sensuum*, *visio*, *auditio*; illa longe sublimiori modo sunt capienda, quam quo nobis insunt. Nam *voluntas* est adpetitus rationalis: adpetitus autem praesupponit absentiam & indigentiam rei congruentis. Et *intellectio* ac *sensus* in hominibus inuoluit passionem, per obiecta in organa corporis & potentias animae impressam. Quod est indicium potentiae ab alio dependentis, & consequenter non perfectissimae.

Denique & illud a perfectione diuina abhorret, si dicantur *plures vno Dii*. Nam praeterquam quod admiranda mundi harmonia vnum duntaxat eius moderatorem arguit; etiam finitus tunc foret Deus, si plures essent paris potestatis ab ipso non dependentes. Sic vt *contradictionem* inuoluat, plura dari infinita.

Quae cum ita sint, maxime rationi congruum est, circa attributa Dei vtcunque exprimenda, vti *nominibus* vel *negatiuis*, vt infinitus, incomprehensibilis, immensus, aeternus, i. e. principio & fine carens; vel *superlatiuis*, vt optimus, maximus, potentissimus,

mus, sapientissimus &c. vel *indefinitis*, vt us, iustus, creator, rex, dominus &c. eo u, vt non tam velimus, quid sit, distincte re, quam nostram admirationem & obe- itiam qualicunque expressione profiteri; d est signum animi humilis & animi ho- intis, quantum potest.

. VI. *Propositiones practicae* religionis na- lis versantur partim circa *internum*, par- circa *externum cultum Dei*. In quo consistat *internus Dei cultus*.

Internus cultus Dei consistit in eius *honore*. ior (1) autem est opinio alienae poten- tiae,

H

VI. (1) At ipse Auctor in Opere maiori *Lib. I. Cap. IV.* §. 11. atque in hoc compendio *Lib. Cap. XIV.* §. 11. aliter *honorem* definit, & per il- signa externa intelligit, quibus opinionem no- n de alterius praestantia testamur. Et haec est ra idea, quam vocabulum hocce inuoluit, ita notando *cultui externo* potius, quam *interno*, icari possit. Ceterum non solum consideratione *ntiae & bonitatis* Dei fundatur veneratio illa, qua luitur *cultus internus*; sed eandem pro rata in- liuntur etiam reliquae omnes naturae diuinae ectiones, in quantum nobis sunt cognitae; in nis vero *sapientia* & *scientia infinita*, quarum ad perscrutanda corda nostra, internamque de- ionem recipiendam est necessaria. Porro ad *ex- num cultum* Auctor talia refert, quae ex parte m & praecipue ad *cultum internum* pertinent, ceu aret ex *nota* 1. §. *seq.* quae inter est *admiratio*, e vel primo loco poni debuisset; quandoquidem rima est adfectio, quam excitare in nobis consi- deratio

tiae, coniunctae cum bonitate. Debet scilicet animus hominis ex consideratione potentiae & bonitatis Dei, quantam potest, animo *venerationem* aduersus ipsum concipere.

Ex quo fluit, vt *eundem* debeat *amare*, tanquam omnis boni auctorem & datorem; *in eum sperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis nostra felicitas dependeat; *eius voluntati adquiescere*, tanquam qui pro sua bonitate omnia optime faciat, nobisque det, quae maxime expediunt; *eum timere*, tanquam potentissimum, & cuius offensa maximum sit malum conciliare apta; ei denique in omnibus humillime (2) *obsequi*, tanquam creatori, domino, ac rectori optimo maximo.

De *cultu externo*. §. VII. *Externus* Dei *cultus* in hisce potissimum consistit:

1. Vt homo *Deo* (1) *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis.

2. Vt

---

deratio perfectionum diuinarum apta est, & quae cunctis quoque in vniuersum perfectionibus respondet, cum reliquae adfectiones non nisi vni aut aliquibus earum in specie respondeant.

(2) Dicit Auctor simpliciter, *ei obsequi*. At vero *actuale obsequium*, prout ex eo constat, quod ipse §. *seq.* tradit, in externo aliquo actu consistit.

§. VII. (1) Verum *gratiarum actio*, aeque ac *admiratio* & *preces*, aliquando citra externum actum fieri possunt ac debent; quicquid falsarum idearum ignorantia ac superstitio circa haec comminiscantur.

Sed

2. Vt ipsius voluntatem per actiones suas, uantum fieri potest, exprimat, seu *ei obtemperet.*

3. Vt *eius magnitudinem admiretur* (2) *ac* *elebret.*

4. Vt (3) *preces ad ipsum fundat*, pro obnendis bonis, & auerruncandis malis: preces nim sunt signa spei; spes vero bonitatis & pontiae diuinae agnitio est.

5. Vt, si res tulerit, *per solum Deum iuret*, (4) *iuramentum religiosissime obseruet*; hoc nim postulat omniscientia & potentia Dei.

6. Vt *de Deo considerate loquatur*: id enim signum timoris; timor autem potentiae nfessio est. Ex quo consequitur, *non esse* *ndum Dei nomine temere & frustra*; vtrume enim inconsideratum: *non esse iurandum*, *non est opus*; est enim frustra: *non esse cu-* *e & petulanter disputandum circa naturam &* *ernationem Dei*; ex hoc enim nihil aliud uitur, quam vt Deum exigere velimus ad dulum nostrae rationis.

H 2 9. Item

n genere *cultus externus* nihil aliud est, quam onstratio *cultus interni*, sine quo is nullius est ii. Quot igitur actus *interni* sunt, totidem sunt n *externi*, qui in conuenientibus occasionibus ceri debent.

.) Vide *not.* praeced.

) Vid. *nota* eadem.

.) Vide, quae dicentur infra *Cap. XI*, huius Li- vbi de *iuramento* in genere agitur.

9. Item, vt *quicquid Deo praestandum est, in suo genere sit* (5) *eximium, & honorem exprimere aptum.*

10. Item, vt *homo Deum non solum secreto, sed & (6) palam & publice in conspectu hominum colat.* Occultare enim aliquid est, quasi quis eo exercendo erubesceret; contra publicus cultus non solum de nostra deuotione testatur, sed & alios exemplo incitat.

11. Denique vt *summo conatu leges naturales obseruet.* Nam vti imperium Dei paruipendere, superat omnes contumelias; ita e contrario omnibus sacrificiis est acceptior obedientia.

Quis sit effectus religionis naturalis. §. VIII. Enimuero id certum est, (1) *effectum* huius *religionis naturalis* praecise & pro praesenti hominum conditione consideratae, intra

(5) Sic lege *Mosis* Deus offerri sibi victimas immunes a labe, optimasque terrae fruges, praeceperat.

(6) Quantum scil. fieri potest, maiestate diuina profanorum ludibrio aut insultibus non exposita, nec arcessito nobis ipsis graui aliquo malo, abstinendo a certis externis actibus, quamuis eorum omissio nullum contemtus signum inuoluat. Vide quae dixi ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. IV.* §. 3. *not.* 2. & *Cap. VI.* §. 2. *not.* 5. *Edit. nouae.*

§. VIII. (1) Vide dicta a me ad *Praefationem* Auctoris §. 6. Confundit autem hic duas res diuersas, quarum altera est spes certa salutis, & cognitio distincta mediorum eo ducentium, quae a Deo sunt ordi-

intra ſphaeram huius vitae terminari; ad aeternam autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. Ratio quippe humana ſibi relicta iam ignorat, prauitatem, quae in facultatibus & inclinationibus hominis cernitur, per culpam humanam proueniſſe, Deique offenſam & aeternum exitium mereri. Eoque & neceſſitas Saluatoris, eiusque officium & meritum, necnon promiſſa Dei humano generi facta, & quae alia inde dependent, eandem latent; per quae ſola ſalutem aeternam hominibus prouenire ex diuinis literis conſtat.

§. IX. Operae pretium porro fuerit, paulo diſtinctius expendiſſe *vſum*, quem in vita humana (1) *religio* gignit; vt conſtet, *eam re-uera* *Vſus religionis in ſocietate humana.*

ordinata; altera eſt vaga quaedam perſuaſio de vita futura, vbi boni praemia, mali poenas conſequentur. Prior ſine dubio a quadam Reuelatione extraordinaria pendet; ad poſteriorem vero producendam ratio ſufficit, prout exemplo *Gentilium* appaset. Et hoc ipſum maximum religioni pondus addit ratione vulgi, in cuius animos ſemper metus poenarum futurae vitae plurimum potuit, quantumuis imbecille fundamentum, nec paucis etiam adſperſum fabulis fuerit, cui fides vulgi innixa eſt. Auctor itaque dum effectus religionis naturalis intra ſphaeram huius vitae terminat, valde minuit vim rationum, quas in ſeq. §. proponit, ad vſum religionis in ſocietate humana & ciuili demonſtrandum.

§. IX. (1) Vide ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. IV.* §. 3. *not.* 4.

uera esse ultimum & firmissimum humanae societatis vinculum.

Nam in *libertate naturali*, si metum diuini Numinis remoueas, vbi quis proprijs viribus fisus fuerit, quaelibet imbecillioribus pro lubitu inferet; ac honestatem, pudorem, fidem, inter inania vocabula reputabit; nec ad recte faciendum aliter, quam sensu propriae imbecillitatis adigetur.

Porro, religione remota, *ciuitatum* firmitas intrinseca semper in incerto foret; ac ad ciues in officio continendos haut quidquam sufficeret metus temporalis poenae, fides superioribus data, eiusque servandae gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii a miseris status naturalis defendantur. Tunc enim reuera locum haberet: (2) *qui mori scit, cogi nescit;* quippe cum Deum non metuentibus nihil magis, quam mors metui possit. Huic contemnendae qui sufficeret, in imperantes quaeuis tentare posset. Vt autem id vellet, vix causa defutura foret; puta, vt declinaret incommoda, quae sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut vt ipse potiretur commodis, quae imperii possessorem comitantur. Praesertim cum facile iudicare possit, iure se id facere; vel quod qui in praesens

(2) *Cogi qui potest, nescit mori.* SENEC. *Hercul. fur. vers.* 425.

rerum potitur, praue rempublicam* vi-
:ur gerere, vel quod ipse longe melius
›eraturum sese speret. Occasio autem ad
a tentanda facile offerri posset, rege vi-
ı suam non satis caute circumscipiente;
(& quis tali rerum statu custodes ipsos
:odiet?) vel multis conspirantibus; vel
lo externo ingruente, adscitis in partes
tibus. Praeterea ciues ad iniurias mutuo
:rendas futuri essent pronissimi. Cum
m in foro ciuili pronuncietur secundum
a & probata; omnia scelera & flagitia, ex
bus lucrum prouenire aptum est, si occul-
›atrari & sine arbitris possent, pro dexteri-
: ingenii, in qua placere sibi quis posset,
›erentur. Nemo quoque opera miseri-
diae aut amicitiae feret exerciturus, nisi
ıriae aut emolumenti explorata spe. Ex
o & illud consequeretur, vt, dum nemo in
:rius fide, remotis poenis diuinis, solidam
uciam collocare posset, singuli perpetuo
:tu & suspicionibus anxii viuerent, ne ab
is deciperentur, aut laederentur. Sed &
n imperantes, quam subiecti, parum pro-
ues futuri essent ad praeclara & gloriosa
era patranda. Nam imperantes, nullo
nscientiae vinculo constricti, omnia munia,

 ipsam-

(5) *Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos stodes?*

} *IVVENAL. Satyr. VI. vers.* 346. 347.

ipsamque iustitiam venalia essent habituri, & in omnibus priuatum commodum quaesituri cum oppressione ciuium; a quorum rebellione vti sibi semper metuerent, ita suam salutem vnice in eo positam intelligerent, vt istos quam maxime enerues redderent. Ciues contra oppressionem imperantium formidantes, nunquam non circumspecturi forent occasiones rebellandi; nec minus tamen ipsi inter se diffisuri, seque mutuo formidaturi erant. Quin & coniuges, oborta vel leui querela, se inuicem essent suspectaturi, ne veneno, aut alio clandestino modo necarentur. Par periculum a familia immineret. Cum enim sine religione nulla quoque futura foret conscientia, non facile esset, occulta eiusmodi scelera deprehendere; quippe quae plerumque per inquietudinem conscientiae, & terrores in exteriora indicia erumpentes produntur.

Vnde adparet, quantopere intersit generis humani, Atheismo omnes vias, ne inualescat, praecludere; simulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiae politicae conciliandam facere autumant, si in impietatem procliues videantur.

CAPVT

CAPVT V.

E OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSVM.

§. I.

Fundamentum officiorum hominis erga seipsum.

QVanquam hominem amor sui penitus infixus subigat, solicitam sui curam agere, suaque commoda omnibus mo- procurare; sic vt hoc intuitu aliquam obli- ionem comminisci superuacuum videatur: tamen respectu homo vtique certa quae- n (*a*) *circa seipsum* obseruare tenetur. Cum m non sibi soli sit natus homo, sed (1) ideo i eximiis dotibus a creatore sit ornatus, vt ius gloriam celebret, & idoneum societa- humanae membrum existat: inde ita sese nponere homo tenetur, vt ne dona creato-

(*a*) Vid. J. N & G. Lib. II. Cap. IV.

 ris

. I. (1) Officia hominis erga seipsum directe ac nediate fluunt ex *amore sui ipsius*, quem supra in- tria summa iuris naturalis principia constitui- s: quo quidem obligatur homo non solum se iseruare, quantum citra violationem legum *reli- zis* ac *socialitatis* potest; sed etiam ita se pro viri- componere, vt omnem, cuius capax sit, felici- m consequi valeat. Vide ad J. N. & G. *Lib. II.* . *III.* §. 15. *not.* 5. *Ed. nouae*. Ad vniuersum ca- is huius argumentum conf. WOLLASTONI *Li- menta religionis naturalis*, Sect. IX. p. 286. sq. sionis Gallicae.

Item, quae *egestatem* & *absentiam alicuius boni* notant; vt est *adpetitus*, *spes*, *concupiscentia*, *amor*, *cupido*. Nam haec inuoluunt indigentiam, adeoque & imperfectionem; cum intelligi non possit, vt quis adpetat, speret, cupiatue, nisi quibus indiget caretue.

Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *scientia*, & *actus sensuum*, *visio*, *auditio*; illa longe sublimiori modo sunt capienda, quam quo nobis insunt. Nam *voluntas* est adpetitus rationalis: adpetitus autem praesupponit absentiam & indigentiam rei congruentis. Et *intellectio* ac *sensus* in hominibus inuoluit passionem, per obiecta in organa corporis & potentias animae impressam. Quod est indicium potentiae ab alio dependentis, & consequenter non perfectissimae.

Denique & illud a perfectione diuina abhorret, si dicantur *plures vno Dii*. Nam praeterquam quod admiranda mundi harmonia vnum duntaxat eius moderatorem arguit; etiam finitus tunc foret Deus, si plures essent paris potestatis ab ipso non dependentes. Sic vt *contradictionem* inuoluat, plura dari infinita.

Quae cum ita sint, maxime rationi congruum est, circa attributa Dei vtcunque exprimenda, vti *nominibus* vel *negatiuis*, vt infinitus, incomprehensibilis, immensus, aeternus, i. e. principio & fine carens; vel *superlatiuis*, vt optimus, maximus, potentissimus,

tiſſimus, ſapientiſſimus &c. vel *indefinitis*, vt bonus, iuſtus, creator, rex, dominus &c. eo ſenſu, vt non tam velimus, quid ſit, diſtincte dicere, quam noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri; quod eſt ſignum animi humilis & animi honorantis, quantum poteſt.

§. VI. *Propoſitiones practicae* religionis naturalis verſantur partim circa *internum*, partim circa *externum cultum Dei*. In quo conſiſtat *internus Dei cultus*.

Internus cultus Dei conſiſtit in eius *honore*. Honor (1) autem eſt opinio alienae potentiae,

H

§. VI. (1) At ipſe Auctor in Opere maiori *Lib. VIII. Cap. IV.* §. 11. atque in hoc compendio *Lib. II. Cap. XIV.* §. 11. aliter *honorem* definit, & per illum ſigna externa intelligit, quibus opinionem noſtram de alterius praeſtantia teſtamur. Et haec eſt reuera idea, quam vocabulum hocce inuoluit, ita vt denotando *cultui externo* potius, quam *interno*, adplicari poſſit. Ceterum non ſolum conſideratione *potentiae & bonitatis* Dei fundatur veneratio illa, qua abſoluitur *cultus internus*; ſed eandem pro rata ingrediuntur etiam reliquae omnes naturae diuinae perfectiones, in quantum nobis ſunt cognitae; inprimis vero *ſapientia* & *ſcientia infinita*, quarum haec ad perſcrutanda corda noſtra, internamque deuotionem recipiendam eſt neceſſaria. Porro ad *externum cultum* Auctor talia refert, quae ex parte etiam & praecipue ad *cultum internum* pertinent, ceu adparet ex *nota* 1. §. *ſeq.* quae inter eſt *admiratio*, quae vel primo loco poni debuiſſet; quandoquidem ea prima eſt adfectio, quam excitare in nobis conſideratio

tiae, coniunctae cum bonitate. Debet scilicet animus hominis ex consideratione potentiae & bonitatis Dei, quantam potest, animo *venerationem* aduersus ipsum concipere.

Ex quo fluit, vt *eundem* debeat *amare*, tanquam omnis boni auctorem & datorem; *in eum sperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis nostra felicitas dependeat; *eius voluntati adquiescere*, tanquam qui pro sua bonitate omnia optime faciat, nobisque det, quae maxime expediunt; *eum timere*, tanquam potentissimum, & cuius offensa maximum sit malum conciliare apta; ei denique in omnibus humillime (2) *obsequi*, tanquam creatori, domino, ac rectori optimo maximo.

De cultu externo. §. VII. *Externus* Dei *cultus* in hisce potissimum consistit:

1. Vt homo *Deo* (1) *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis.

2. Vt

---

deratio perfectionum diuinarum apta est, & quae cunctis quoque in vniuersum perfectionibus respondet, cum reliquae adfectiones non nisi vni aut aliquibus earum in specie respondeant.

(2) Dicit Auctor simpliciter, *ei obsequi*. At vero *actuale obsequium*, prout ex eo constat, quod ipse §. *seq.* tradit, in externo aliquo actu consistit.

§. VII. (1) Verum *gratiarum actio*, aeque ac *admiratio* & *preces*, aliquando citra externum actum fieri possunt ac debent; quicquid falsarum idearum ignorantia ac superstitio circa haec comminiscantur. Sed

2. Vt ipsius voluntatem per actiones suas, quantum fieri potest, exprimat, seu *ei obtemperet.*

3. Vt *eius magnitudinem admiretur* (2) *ac celebret.*

4. Vt (3) *preces ad ipsum fundat*, pro obtinendis bonis, & auerruncandis malis: preces enim sunt signa spei; spes vero bonitatis & potentiae diuinae agnitio est.

5. Vt, si res tulerit, *per solum Deum iuret*, *&* (4) *iuramentum religiosissime obseruet*; hoc enim postulat omniscientia & potentia Dei.

6. Vt *de Deo considerate loquatur*: id enim est signum timoris; timor autem potentiae confessio est. Ex quo consequitur, *non esse iurandum Dei nomine temere & frustra*; vtrumque enim inconsideratum: *non esse iurandum, vbi non est opus*; est enim frustra: *non esse curiose & petulanter disputandum circa naturam & gubernationem Dei*; ex hoc enim nihil aliud sequitur, quam vt Deum exigere velimus ad modulum nostrae rationis.

in genere *cultus externus* nihil aliud est, quam demonstratio *cultus interni*, sine quo is nullius est pretii. Quot igitur actus *interni* sunt, totidem sunt etiam *externi*, qui in conuenientibus occasionibus exerceri debent.

(2) Vide *not.* praeced.

(3) Vid. *nota* eadem.

(4) Vide, quae dicentur infra *Cap. XI*, huius Libri, vbi de *iuramento* in genere agitur.

9. Item, vt *quicquid Deo praestandum est, in suo genere sit* (5) *eximium, & honorem exprimere aptum.*

10. Item, vt *homo Deum non solum secreto, sed &* (6) *palam & publice in conspectu hominum colat.* Occultare enim aliquid est, quasi quis eo exercendo erubesceret; contra publicus cultus non solum de nostra deuotione testatur, sed & alios exemplo incitat.

11. Denique vt *summo conatu leges naturales obseruet.* Nam vti imperium Dei paruipendere, superat omnes contumelias; ita e contrario omnibus sacrificiis est acceptior obedientia.

Quis sit effectus religionis naturalis.

§. VIII. Enimuero id certum est, (1) *effectum* huius *religionis naturalis* praecise & pro praesenti hominum conditione consideratae, intra

(5) Sic lege *Mosis* Deus offerri sibi victimas immunes a labe, optimasque terrae fruges, praeceperat.

(6) Quantum scil. fieri potest, maiestate diuina profanorum ludibrio aut insultibus non exposita, nec arcessito nobis ipsis graui aliquo malo, abstinendo a certis externis actibus, quamuis eorum omissio nullum contemtus signum inuoluat. Vide quae dixi ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. IV.* §. 3. *not.* 2. & *Cap. VI.* §. 2. *not.* 5. *Edit. nouae.*

§. VIII. (1) Vide dicta a me ad *Praefationem* Auctoris §. 6. Confundit autem hic duas res diuersas, quarum altera est spes certa salutis, & cognitio distincta mediorum eo ducentium, quae a Deo sunt ordi-

tra ſphaeram huius vitae terminari; ad aeter-
ım autem ſalutem nanciſcendam nequa-
ıam valere. Ratio quippe humana ſibi re-
cta iam ignorat, prauitatem, quae in facul-
tibus & inclinationibus hominis cernitur,
:r culpam humanam prouenisse, Deique
lenſam & aeternum exitium mereri. Eoque
necessitas Saluatoris, eiusque officium &
eritum, necnon promiſſa Dei humano ge-
:ri facta, & quae alia inde dependent, ean-
:m latent; per quae ſola ſalutem aeternam
ıminibus prouenire ex diuinis literis con-
.t.

§. IX. Operae pretium porro fuerit, paulo ſtinctius expendiſſe *vſum*, quem in vita hu-ana (1) *religio* gignit; vt conſtet, *eam re-uera* *Vſus religionis in ſocietate humana.*

H 3

linata; altera eſt vaga quaedam perſuaſio de vita ura, vbi boni praemia, mali poenas conſequen-. Prior ſine dubio a quadam Revelatione extra-linaria pendet; ad poſteriorem vero producen-n ratio ſufficit, prout i exemplo *Gentilium* appa-, Et hoc ipſum maximum religioni pondus ad-ratione vulgi, in cuius animos ſemper metus poe-um futurae vitae plurimum potuit, quantumuis becille fundamentum, nec paucis etiam adſpeirſum ulis fuerit, cui fides vulgi innixa eſt. Auctor ita-: dum effectus religionis naturalis intra ſphaeram ıus vitae terminat, valde minuit vim rationum, ıs in ſeq. §. proponit, ad vſum religionis in ſocie-: humana & ciuili demonſtrandum.

§. IX. (1) Vide ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. IV.* §. 101. 4.

uera esse ultimum & firmissimum humanae societatis vinculum.

Nam in *libertate naturali*, si metum diuini Numinis remoueas, vbi quis propriis viribus fisus fuerit, quaelibet imbecillioribus pro lubitu inferet; ac honestatem, pudorem, fidem, inter inania vocabula reputabit; nec ad recte faciendum aliter, quam sensu propriae imbecillitatis adigetur.

Porro, religione remota, *ciuitatum* firmitas intrinseca semper in incerto foret; ac ad ciues in officio continendos haut quidquam sufficeret metus temporalis poenae, fides superioribus data, eiusque servandae gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii a miseris status naturalis defendantur. Tunc enim reuera locum haberet: (2) *qui mori scit, cogi nescit;* quippe cum Deum non metuentibus nihil magis, quam mors metui possit. Huic contemnendae qui sufficeret, in imperantes quaeuis tentare posset. Vt autem id vellet, vix causa defutura foret; puta, vt declinaret incommoda, quae sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut vt ipse potiretur commodis, quae imperii possessorem comitantur. Praesertim cum facile iudicare possit, iure se id facere; vel quod qui in praesens

(2) *Cogi qui potest, nescit mori.* SENEC, *Hercul. fur. vers.* 425.

ſens rerum potitur, praue rempublicam vi-deatur gerere, vel quod ipſe longe melius imperaturum ſeſe ſperet. Occaſio autem ad talia tentanda facile offerri poſſet, rege vitam ſuam non ſatis caute circumſepiente; (5) (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet?) vel multis conſpirantibus; vel bello externo ingruente, adſcitis in partes hoſtibus. Praeterea ciues ad iniurias mutuo inferendas futuri eſſent pronissimi. Cum enim in foro ciuili pronuncietur ſecundum acta & probata; omnia ſcelera & flagitia, ex quibus lucrum prouenire aptum eſt, ſi occulte patrari & ſine arbitris poſſent, pro dexteritate ingenii, in qua placere ſibi quis poſſet, haberentur. Nemo quoque opera miſericordiae aut amicitiae feret exerciturus, niſi gloriae aut emolumenti explorata ſpe. Ex quo & illud conſequeretur, vt, dum nemo in alterius fide, remotis poenis diuinis, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu & ſuſpicionibus anxii viuerent, ne ab aliis deciperentur, aut laederentur. Sed & tam imperantes, quam ſubiecti, parum procliues futuri eſſent ad praeclara & glorioſa opera patranda. Nam imperantes, nullo conſcientiae vinculo conſtricti, omnia munia,

H 4 ipſam-

(5) *Pone ſeram, cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?*

IVVENAL. Satyr. VI. verſ. 346. 347.

ipsamque iustitiam venalia essent habituri, & in omnibus priuatum commodum quaesituri cum oppressione ciuium; a quorum rebellione vti sibi semper metuerent, ita suam salutem vnice in eo positam intelligerent, vt istos quam maxime eneraes redderent. Ciues contra oppressionem imperantium formidantes, nunquam non circumspecturi forent occasiones rebellandi; nec minus tamen ipsi inter se diffisuri, seque mutuo formidaturi erant. Quin & coniuges, oborta vel leui querela, se inuicem essent suspectaturi, ne veneno, aut alio clandestino modo necarentur. Par periculum a familia immineret. Cum enim sine religione nulla quoque futura foret conscientia, non facile esset, occulta eiusmodi scelera deprehendere; quippe quae plerumque per inquietudinem conscientiae, & terrores in exteriora indicia erumpentes produntur.

Vnde adparet, quantopere intersit generis humani, Atheismo omnes vias, ne inualescat, praecludere; simulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiae politicae conciliandam facere autumant, si in impietatem procliues videantur.

CAPVT

CAPVT V.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSVM.

§. I.

Qvanquam hominem amor sui penitus infixus subigat, solicitam sui curam agere, suaque commoda omnibus modis procurare; sic vt hoc intuitu aliquam obligationem comminisci superuacuum videatur: alio tamen respectu homo vtique certa quaedam (*a*) *circa seipsum* obseruare tenetur. Cum enim non sibi soli sit natus homo, sed (1) ideo tam eximiis dotibus a creatore sit ornatus, vt ipsius gloriam celebret, & idoneum societatis humanae membrum existat: inde ita sese componere homo tenetur, vt ne dona creato-

Fundamentum *officiorum hominis erga seipsum.*

(*a*) Vid. J. N & G. Lib. II. Cap. IV.

 ris

§. I. (1) Officia hominis erga seipsum directe ac immediate fluunt ex *amore sui ipsius*, quem supra inter tria summa iuris naturalis principia constituimus: quo quidem obligatur homo non solum se conseruare, quantum citra violationem legum *religionis* ac *socialitatis* potest; sed etiam ita se pro viribus componere, vt omnem, cuius capax sit, felicitatem consequi valeat. Vide ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. III.* §. 15. *not.* 5. *Ed. nouae.* Ad vniuersum capitis huius argumentum conf. WOLLASTONI *Lineamenta religionis naturalis*, Sect. IX. p. 286. sq. versionis Gallicae.

ris inculta perire patiatur, & ad societatem humanam aliquid pro virili conferat. Sic etsi sua cuique ruditas maximo sit probro & damno; recte tamen a magistro vapulat discipulus, si, quarum capax erat, artes addiscere negligat.

Quo redeat in genere *cultura animi.*

§. II. Porro cum homo constet duabus partibus, *anima & corpore*, quarum illa rectoris, hoc ministri aut instrumenti vicem subit; sic vt animi imperio, corporis seruitio magis vtamur: vtriusque quidem cura, sed illius tamen praecipue agenda.

Et *animum* quidem quod attinet, eius cultura huc potissimum redit, vt recte sese habeant sententiae de rebus, quae ad officium hominis respiciunt, ac vt rite formetur iudicium ac aestimatio circa res, quae adpetitum stimulare solent, vt motus animi ad normam sanae rationis reuocentur ac temperentur, honestis artibus atque scientiis opera detur, & verbo, vt ad vitam socialem formetur animus, officiique honesti sensu & amore imbuatur.

Officia eius specialia. I. Vt homo *rectas sententias foueat circa religionem.*

§. III. Inter sententias igitur, quas imbibisse omnem hominem oportet, princeps ea est, vt ea de Deo, creatore & conseruatore huius vniuersi, sciat teneatque, quae praecedenti capite tradita fuerunt. In hac enim persuasione non solum praecipuum hominis officium vertitur; sed etiam ea firmamentum velut est omnis probitatis aduersus alios homines

nes exercendae, & fundamentum illius adquiescentiae, qua hominum animi intrinsece perfunduntur.

Haec vti nemo sanus negabit; ita, quae his repugnant, opiniones solicite excludendae sunt. Nec solum hic intelligimus *Atheismum* & *Epicureismum*; sed alias quoque opiniones bonis moribus & societati humanae exitiosas, & indolem actionum humanarum plane euertentes.

Quas inter est illa de *fato Stoico*, de *siderum positu*, actionibus & euentibus humanis indispensabilem (1) necessitatem adferente; vnde homines non nisi instrumenta actionum suarum redduntur, quas libere moderari penes ipsos non sit.

Cognatum huic dogma est, quod consecutiones causarum & effectuum, seu illa velut catena

§. III. (1) Omnis opinio libertati hominis aduer-
'a, doctrinae moralis, naturalis iuris, ac ipsius re-
igionis spongia (& pestis) est. Si per impossibile
upponere liceret, omnes actiones humanas necessa-
ias esse, pro mysterio id habendum esset, hominum
10titiae subtrahendo. Semper enim praestaret, ut se
n agendo liberos crederent. Nam alioquin ipso na-
uralis suae dispositionis impulsu in desidiam prolabe-
entur, seque ineluctabilis eiusmodi necessitatis ar-
itrio pronos committerent. Sic videmus quoque,
psos, qui libertatem subuertere adgressi sunt, eius-
em perceptionem, vtut, suo iudicio, fallacem, ne-
are haud potuisse.

catena rerum a creatore constituta, tam immobilem habeat legem, vt Deus circa eandem, ne in particularibus quidem casibus, libertatis sibi quid reseruauerit.

Perniciosa quoque est persuasio, quod Numen peccata hominum velut nundinetur, & ea redimi patiatur pecunia aliisque muneribus, inanibus quibusdam ritibus, aut conceptis verborum formulis, citra emendationem vitae. Item, quod Numen capiatur eiusmodi inuentis hominum, adsumtisque vitae institutis, quae ad societatem humanam & ciuilem, ad sanae rationis & legis naturalis dictamen adtemperatam, non quadrant.

Mala quoque est illa persuasio, quasi homini *solum pietatis exercitium erga Deum* sufficeret, citra respectum ad probitatem & officia erga homines exercenda: aut posse hominem non solum pro se suo officio aduersus Deum satisfacere, sed & ipsi superesse posse, quod in alios transfundat. Item, dexteritati & nequitiae scelerum eum indulgere, & quaedam *peccata* habere velut *iocularia*. Ac denique Deo placere preces, quas quis fundit, vt alii homines immerito malo mactentur, quo ipsis lucri aperiatur occasio (2).

§. IV.

(2) Quales sunt, qui Deum orant, vt crebris ad littora sua naufragiis locupletentur. Vide *Discursum meum de Beneficio Legum Part. 1.*

§. IV. Post haec cuique cultura animi circa hoc potissimum occupatur, vt *seipsum, suamque naturam probe exploret & nosse discat.* 2. Vt *seipsum recte nouerit.*

Ex hac enim *cognitione sui ipsius* rite suscepta, homo deducitur ad cognitionem suae conditionis ac muneris; dum primo animaduertit, se non a seipso extitisse, sed sublimiori principio origines suas debere; se nobilioribus facultatibus dotatum, quam, quae circa se conspicit, bruta; se denique non solum, nec soli sibi natum, sed partem esse generis humani. Officia ex hac cognitione resultantia.

Ex qua notitia concludit, se imperio diuino subiectum, ac pro captu donorum sibi concessorum & Deo & societati hnmanae obligatum esse.

Et quidem *intellectus* lumine ideo donatum, vt eo recte vtatur, *certum, possibilem & licitum finem sibi proponendo*, & tum actiones suas, tum alia media ad eum recte adtemperando; cui coniunctum, vt, quia verum & rectum semper vniforme est, *de similibus* (1) *semper similiter iudicet, sibique, postquam recte iudicauerit, semper constet.*

Volun-

§. IV. (1) Praecipuus huius regulae vsus respicit casus, quibus exstimulatur quis ad iudicandum dissimiliter de causis similibus, prout ipsius quocunque modo intereft, eas iustas esse, vel minus. Vid. ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. IV.* §. 6. *not.* 3. *Ed. nouae.*

Voluntatem autem & *adpetitum* ita compescenda esse, vt *rectum iudicium non praecurrant, sed subsequantur, nec eiusdem decretis obluctentur.*

Deinde, se probe cognito, homo deprehendit, suam *potentiam* finitam, certosque habere limites, adeoque plurima esse, quae dirigere, aut quibus obsistere nulla ratione queat; aliqua non quidem absolute supra ipsius potentiam esse, sed quae tamen intercursu & oppositione aliarum potentiarum intercipi possint; quaedam denique eius potentiae non aliter cedere, quam si eadem dexteritate fulciatur.

Et quum videat, nihil tantopere in ipsius potestate constitutum, quam *liberum arbitrium*, eiusque potentia, quatenus circa proprias hominis actiones eliciendas diffunditur; inde in id praecipue incumbendum sibi iudicat, vt his *suis facultatibus bene & ad praescriptum rationis recte vtatur.* Hoc quippe illud est, ex quo cuiusque intrinseca *praestantia* & *probitas* est metienda.

Denique de ceteris, *quae extra nos posita sunt*, ita censet, vt *si vires ipsius non excedant, ad finem eius faciant*, & *digna sint, propter quae labor sumatur*, circa ea laboret, & propositum quidem recte formatum vrgeat, nec tamen etiam contra torrentem nitatur. Et quia homo, in quantum solo rationis lumine regitur, in his terris ad aliam felicitatem adspirare

pirare nequit, quam quae ex prudenti facultatum suarum regimine nascitur, & ex subsidiis a diuina prouidentia ordinatis; hinc caecae velut aleae nihil committendum existimat. Et quum futuros euentus penes hominem non sit dirigere, iique saepe praeter spem nostram cadant; inde *nec praesentibus nimis secure confidendum, nec futura superuacua anxietate & cura praecipienda*; sed ob eandem causam secundis rebus insolentiam, aduersis desperationem procul habendam, statuit.

§. V. Sunt quoque, quae adpetitum humanum praecipue stimulare solent; quibus vt *homo iustum pretium ponere sciat*, pars quoque eius culturae est necessaria. 3. Vt *rite conformet adpetitum iusto rerum pretio.*

In his autem vt opinio praestantiae, & excellentiae, vnde honor & gloria apud alios progignitur, splendidissima, & quae erectioris indolis homines praecipue sollicitare idonea est; Vt adpetenda sit *existimatio & honor?* ita circa hanc sic formandus animus, vt omnium maxime (1) *existimationem simplicem*, seu opinionem boni viri, adquirere & conseruare etiam aduersus calumnias laboret.

Inten-

§. V. (1) Ad hoc ipsum quis tenetur, non solum proprii commodi causa; (nam, vt ad beneuolentiam nostri ac fauorem erga nos permoueantur, non sufficit, nos esse probos; sed requiritur praeterea, vt nullum eius rei haereat illis dubium) sed etiam quia opinionem boni viri negligendo, occasio praebetur suspicandi, nobis ipsis probitatem non adeo curae cordique

Intensiua autem *existimatio*, *honor* & *gloria*, eatenus adpetenda, quatenus ex praeclaris & ad bonum societatis humanae spectantibus factis redundant; & sedulo cauendum, ne animus arrogantia & insolentia infletur. Vbi occasio, qua praestantiam suam exserat, deficit, id aequo animo ferat; & quia penes nos non est, fortunam pro lubitu fabricare, meliora citra aegritudinem expectet; quum hoc casu nihil sit, quod ei possit exprobari. Inter stultissima autem merito habetur, de eo gloriari, quod inane est; aut per malas artes ad famam & honores grassari.

Vt *opes* adpetendae. §. VI. *Opes* etiam & rerum extrinsecarum copia plerumque hominum mentes adficere solent. Et indiget quidem iis homo non solum ad sui conseruationem; sed & aliis inde prospicere inter officia est. At quia indigentia nostra non est infinita, nec natura desinit esse foecunda in iis producendis, & a morientibus omnia relinquenda sunt: inde rationis est, tum in parandis, tum in possidendis & erogandis iis modum tenere, ne laesa honestate eas corradamus, aut *auaritia prodigalitateue* peccemus, aut denique vitiorum fomenta faciamus. Et quia variis casibus perire possunt,

dique esse. Hinc enim fit, vt ob nomen boni viri quodammodo videamur erubescere, aliosque, dum ad eam rem excitare debeamus, inde absterreamus.

it, ita animus adsuefaciendus, vt, si fors
at, iis amissis non velit concidere.

§. VII. Magnam quoque vim mouendi imos hominum habent *voluptates*; quas si is *innocentes modice* degustet, id crimen non bet. Nam quemadmodum dolor ad de-uctionem corporis tendit, & non necessa-is fugiendus est; ita delectatio corpus aeque animum reficit, nec repugnat rationi eam etere, modo caueatur, ne immoderato s vsu homo eneruetur, corporis iuxta ac ani-vigor supprimatur, opes melius erogan-e dissipentur, aut alias cum delicto coniun-periculum, damnum, dedecus & dolo-n ea post se trahat. *Vt voluptates appetendae?*

§. VIII. Tandem & circa id sollicite animo ra est adhibenda, *vt motus suos & adfectus in estate habeat*; quorum plerique non solum letudinem corporis & vigorem animi vehe-enter profligant, sed & iudicium intellectus lut obnubilant, & in deuia ab officio incli-nt; sic vt frigus adfectuum sit velut natu-e principium prudentiae & probitatis inter mines. 4. *Vt motus & adfectus imperio rationis subiiciat.*

Laetitia in se naturae quidem cumprimis ngruit; sed cauendum, ne intempestiue, t ex causis non idoneis se exserat.

Tristitia animum corpusque velut carie adam exedit: igitur ea, quantum potest, erminanda; nisi quatenus inter officia hu-nitatis habetur, calamitatem aut mor-

I tem

tem aliorum lugere ; aut quatenus poenitentia ob praua facinora exprimenda requiritur (1).

Interdum ea ex *metu* imminentis mali oritur : verum quia hoc animo sumto & circumspectione prudenti saepe auerti potest, inde , quantum potest, procul ista formido pellenda.

Amor humanae naturae amicus adfectus ; sed qui ratione hactenus temperandus est, vt in obiectum dignum & licitum feratur.

Odium infestus adfectus tam habenti, quam illis , in quos fertur : ergo id , quantum potest , restinguendum , & si quis omnino dignus occurrat , quem auersemur , ne tamen ideo nobis ipsis aegritudinem concíliemus.

Inuidia deformis plane adfectus, dum inuidus propriis moribus, sicut rubigine ferrum, conficitur.

Spes, lenior quantumuis, ita tamen temperanda, ne dum vana, incerta & super vires posita

§. VIII. (1) Facilis in hoc ipso est excessus. Frustraque homines parum forti animo praediti putant tristitiam & afflictiones alimentum esse verae poenitentiae. Optima poenitentia est, emendationis laborem insumere, parumque hanc rem adiuuat moeror. Vt quis officio suo fungatur feliciter, alacriter eidem incumbat, necesse est: vix autem alacriter ei incubuerit, qui tristitiae se permittit.

ita complectitur, animus sese gratis fati-

Ira violentissimus iuxta ac perniciosissi-
is, cui omni studio reluctandum; quae &
im fortitudinem ac in periculis constantiam
ut occaecat & praecipitat.

Huic congrua est *libido vindictae*, quae qua-
ius excedit legitimam & moderatam defen-
iem, & suorum iurium adsertionem, plane
vitio est.

§. IX. Datur praeterea peculiaris animi
) cultura in *variarum rerum, artium & dis-
inarum* (2) notitia consistens; quae licet
i quibusuis adeo necessaria sit, ad officium
hominis

Quatenus cultura artium & scientiarum necessaria sit?

. IX. (1) Vide BVDDEI Dissertationem *De cul-
i ingenii*, quae est V. in eius *Selectis Iur. Nat &
nt.* vbi plures vtiles de hac materia obseruatio-
occurrunt.

2) Vide Discursum meum, *de literarum ac sci-
arum vtilitate in ciuitatem redundante*, qui in-
us legitur libro, cui titulus: *Recueil de Discours sur
ersesmat.* To. II. Ed. a. 1731. Dantur *scientiae
uersis hominibus necessariae*, aliae *vniuersis vtiles*,
e denique *certis tantum hominibus necessariae aut
les*, iis nempe, qui certam aliquam artem aut sci-
am amplexi sunt. Dubio vacat, cuilibet ea
nia, quae non vniuersis solum hominibus, sed
m eidem secum arti aut vitae instituto addictis,
ssaria sunt, quam potest exactissime comparan-
ique addiscenda esse. Quod vero adtinet ad *sci-
ias vtiles* siue vniuersis, siue ad certam artem ac
iplinam, quam quis profitetur, ex his tantum sibi
quis-

hominis rite obeundum: nemo tamen in dubium vocabit, quin necessitatibus & commoditatibus humanae vitae apprime sint vtiles. Igitur, ne inutile terrae pondus sit, sibi inutilis, aliis molestus, quisque eas capesset. Et quidem *tempestiue eligat honestum vitae genus*; prout impulsus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortunae bona, parentum auctoritas, imperantium ciuilium iussa, occasio aut necessitas fert.

In quo consistat *cura corporis?*

§. X. Hactenus de animo, & quae ad culturam illius necessaria sunt.

Cum autem animus fulturis *corporis* sustineatur; (1) inde *vires eius congruentibus alimentis ac laboribus erunt firmandae & conseruandae*, nec

---

quisque debet comparare, quantum rerum ipsius conditio patitur. Quamplurima hanc in rem afferri potuissent, sed sufficere ista in hac annotatione poterunt ad excitandum eorum studium, qui meditando ista, longius progredi cupiunt.

§. X. (1) Duo hic extrema vitanda sunt, quorum alterum cura est corporis nimia, alterum iusto minor. Prius ad mollitiem ducit, multorum vitiorum fontem. In posterius saepe incidimus, absque ullo corporis affligendi consilio, nec opinantes etiam fore, vt quod agimus ei noceat. Quorsum pertinent, qui se dedunt vehementioribus adfectibus, ebrietati aut otio, vnde maior minorue sanitati noxa infertur. Iusta mediocritas consistit in hisce: 1. vt conseruemus corpus nostrum, & quantum licet, integrum praestemus. 2. Vt quantum in nostra potestate

:c intemperantia cibi potusque, intempest·uo
it non necessario labore, aliaue ratione affli-
:ndae. Quo nomine vitanda *ingluuies, ebrie-
s, immodica Venus*, & similia. Cum etiam
ordinati & vehementes *adfectus*, vt modo
ctum fuit, non solum ad perturbandam so-
I 3 cieta-

state situm est, omnes corporis partes in vigore
o retinere studeamus. Ex quo patet, quod cura
ilchritudinis, quae naturae decus est, nihil in se
tuperio dignum comprehendat, nisi cum nimia
t, & ad malum referatur finem. Donumque hoc
uinum corrumpere nefas est sub virtutis aut pieta-
specie, exemplo virginum aut mulierum Chri-
ianarum, quas commemorat Historia ecclesiastica,
iltum sibi incidentium, ne ad prauam viros libidi-
m prouocarent. AMBROSIVS, allegat & repre-
:ndit exemplum iuuenis, idem ne feminas irritaret
cientis. *Hetruscum ait iuuenem veteres fabulae
runt, cum propter admirandam oris proprii pulchri-
dinem in amorem accenderet feminas, stigmatibus
arasse vultum suum, ne qua eum adamare posset,
idero, vtrum castus sit animus: adfectus tamen non
nocens, propter quem in se ipse animaduerteret.*
d Virgin. Exhort. ORIGENES, quem constat eunu-
ıum vltro factum, dicto quodam Euangelii male
tellecto adductum, hoc ipso testabatur, ignarum
esse maxime euidentium Legis naturalis principio-
ım. Quale quid dicendum de veteribus quoque
cerdotibus *Baalis, Isidis, Cybeles, Bellonae, &c.*
ui proprium scindebant corpus, aut flagellabant,
onec sanguis inde proflueret. In quo non minos eos
nitantur *Poenitentes* Romanae ecclesiae sic dicti,
:aesertim in publicis quas passim instituunt proces-
onibus,

cietatem ſtimulos moueant, ſed & ipſi homini plurimum noceant; inde danda opera, vt quis eos, quantum fieri poteſt, compeſcat. Et quia multa pericula repelli poſſunt, vbi animoſe iis obuiam eatur; *mollities animi* eiicienda, idemque contra periculorum terrores obfirmandus.

An homini poteſtas in propriam *vitam* competat?

§. XI. Quia autem nemo ſibi ipſi vitam dedit, ſed illa pro Dei beneficio eſt habenda; adparet quoque, *homini nequicquam competere poteſtatem in propriam vitam* hactenus, vt eandem pro lubitu poſſit abrumpere; ſed expectandum vtique eſſe, quoad quis euocetur ab eo, qui nos in hacce ſtatione collocauit.

Equidem id vtique recte fieri poſſe videtur, cum homo poſſit & debeat ſua opera aliis inſeruire, & vero certum genus laborum, aut eorum intenſio, vires hominis ita atterat, vt ſenium vitaeque terminus maturius ingruat, quam ſi quis molliter aetatem exegiſſet; vt quis eligat probabilem occaſionem breuioris vitae, quo talenti ſui vſum aliis eo largius diſpenſet.

Sed & cum ſaepe multorum vita ſeruari nequeat, niſi pro iis alii probabili ſeſe vitae periculo exponant; per imperantem legitimum poteſt ciui ſub comminatione grauiſſimarum poenarum iniungi, ne eiusmodi periculum fuga declinet. Imo & vltro tale periculum ſubire licebit, modo grauiores cauſae non retrahant,

ahant, & spes sit, isthoc in aliorum salu-
em cessurum, & hi digni sint, qui tam care
edimantur. Nam id stolidum fuerit, alteri
erituro frustra sese comitem addere, aut
gregium virum pro nauci homine mortem
ppetere. De cetero tamen per legem natu-
ae haudquaquam praecipi videtur, vt quiuis
uiusuis alterius vitam suae vitae praeferat;
ed, ceteris paribus, sibi quisque proximus
sse permittitur.

Ast vero qui vel taedio molestiarum, quae
itam humanam communiter comitantur, vel
ndignatione (1) malorum, quae humanae
psos societati erubescendos erant reddituri,
el metu dolorum, queis fortiter toleratis,
xemplo suo prodesse aliis poterant, vel per
anam iactantiam fidei aut fortitudinis, vitam
ltro abrumpunt & proiiciunt; vtique in le-
gem naturalem peccare sunt censendi.

§. XII. Ceterum quia saepenumero con-servatio sui, quam & tenerrimus adfectus, *De iusta sui defensione.*

I 4 & ratio

§. XI. (1) Vt si foemina violationem pudicitiae, postquam alioqui pro viribus renisa est, propria caede declinet. Nec enim prudentiores & aequi iudices minoris aestimant, si qua vim maiorem viribus suis haud sustinuerit, eidemque succubuerit. Vide *Tractatum* meum, *de la Morale des Péres de l'Eglise*, Cap. XV. §. 7. & sq. & quae dixi ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XIX.* §. 5. *num.* 5. *Not.* 16. item ad Opus maius de *I. N. & G. Lib. II. Cap. IV.* §. 19. *not.* 3. Ed. nouae.

& ratio homini commendat, cum praecepto de socialitate collidi videtur; dum nempe salus nostra ab alio homine in periculum coniicitur, sic vt aut nobis sit pereundum, vel graue incommodum subeundum, aut alter cum laesione propulsandus: igitur quali cum moderamine (a) *defensio nostri* contra alios homines sit temperanda, iam tradendum.

(a) J. N. & G. Lib. II. cap. V.

Instituitur igitur defensio nostri, vel *sine laesione eius, abs quo malum nobis imminebat*, dum efficimus, vt ei anceps aut formidolosa nostri inuasio videatur; vel *cum istius laesione aut pernicie.* Prior modus quin sit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

Licet *vim vi repellere* etiam cum caede iniusti inuasoris.

§. XIII. Enimuero circa posteriorem modum scrupulus moueri potest; quod parem iacturam videatur facere genus humanum, occisio inuasore, quam si ipse peream; & quod vtique perdendus sit mei similis, quicum ad colendam vitam socialem adstringor; & quod maiores turbas videatur parere violenta defensio, quam si vel fugam arripiam, vel corpus patienter inuasori praebeam.

Verum ista hoc defensionis genus haudquaquam faciunt (1) illicitum. Nam vt aduersus

§. XIII. (1) Estque defensio huiusmodi non solum *permissa*; verum etiam ordinario modo vere quisque *obligatus* est, pro conseruatione propria labo-

ſus aliquem pacifice & amice agam, requiritur, vt ipſe ſe talem erga me praebeat, qui eiusmodi officia a me recipere idoneus ſit. Et quia ſocialitatis lex ad ſalutem mortalium ſpectat; ideo eiusdem talis eſt facienda interpretatio, quae ſingulorum ſalutem non peſſumdet. Inde vbi alter exitio meo imminet; nulla eſt lex, quae meam me ſalutem prodere iubeat, vt alterius malitia impune graſſari queat. Et qui ex tali occaſione laeditur aut occiditur, habet, quod ſuae prauitati imputet, quae mihi iſthanc neceſſitatem impoſuit. Alias quippe omnia bona, quae natura aut induſtria nobis peperit, fruſtra forent conceſſa, ſi alteri iniuſte illa inuadenti vim non liceret opponere; & parata praeda improbis expoſiti forent probi, ſiquidem hi iſtis nunquam deberent vim opponere. Sic vt violentam ſui defenſionem plane proſcribere, exitio generi humano ſit futurum.

laborare. Et quod obiicitur de periculo aeternae damnationis, cui aggreſſor, ſi occidatur, exponitur, ſi recte penſitetur, nullius eſt ponderis. Confer de hoc argumento in genere dicta a me ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. V.* §. 2. *not.* 5. Ed. nouae. & ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. I. Cap. III.* §. 2. not. 7. Item variis locis *Tractatus* mei *de la Morale des Péres &c.* vbi expendi complures veterum horum Doctorum ſententias, defenſionem ſui ipſius violentam abſolute damnantes.

Non tamen semper ad extrema prouolandum est.

§. XIV. Non tamen semper, quando iniuria intentatur, ad extrema licet prouolare; sed *tutiora prius remedia tentanda*, puta, vt aditum inuasori intercludam, vt intra munita loca me contineam, vt inuasorem moneam a furore desistere. Sicut & hoc prudentis est, (1) *leuis iniuriae patientia, si commode fieri possit, defungi*, & de suo iure aliquid remittere potius, quam intempestiua violentiae oppositione maiori sese periculo exponere; praesertim vbi impetatur id, (2) quod facile reparari aut pensari queat. Verum vbi hoc aut simili modo salus mea in tuto locari nequeat; pro eadem expedienda vel extrema tentare licebit.

Quousque procedat iusta sui defensio in *statu naturali*.

§. XV. Sed vt liquido iudicari possit, an quis intra *limites inculpatae defensionis* substiterit, dispiciendum prius est, vtrum quis *in naturali libertate*, nulli mortalium subiectus, an vero *imperio ciuili* obnoxius degat?

Priori

---

§. XIV. (1) Sed reqirit hoc etiam *humanitas charitasque*. Adgressor enim homo est, & ob solam hanc rationem, quantum potest, vitae eius parcendum, ne tamen propriam periculo exponamus; tametsi illi nullam *iniuriam* proprie sic dictam fecerimus, si iure nostro vsi essemus.

(2) Hoc est, si sibi directe & vnice haud proposuerit, vitam nobis eripere, sed eo tantum casu, si ipsi resistendo prohibere eum studeamus, ne quid rerum nostrarum aufferat, quod exigui est pretii, aut quod alia ratione recuperari potest. Vid. infra §. 23.

Priori statu, vbi alter iniuriam inferre pertendat, nec poenitentia praui conatus ductus, ad pacem mecum colendam redire velit, hunc vel cum caede repellere potero. Idque, non solum si vitam meam impetat, sed & me vulnerare, aut laedere duntaxat, aut etiam res, saluo corpore, eripere conetur. Nam neque cautum est mihi, (1) quod ab istis iniuriis ad maiores non sit transiturus; & qui sese hostem profitetur, nullo amplius iure munitur, quo minus quouis modo a me repellatur. Ac reuera tunc insociabilis esset hominum vita, si contra eum, qui modicas iniurias continuare non desistit, extrema non liceret adhibere.

§. XV. (1) Imo contrarium vtique praesumendum est. Quantulacunque enim sit iniuria, quoniam tamen procedit ex firma & deliberata malitia, oc ipso aggressor prodit multo periculosiora erga os consilia, quam si quis vehementi quodam adfe-tu permotus, multo grauiorem nobis iniuriam in-ntasset, post tamen ea, qualicunque demonstrata oenitentia, abstinuisset. Ita vero cum nocendi cu-ditas tanquam illimitata spectari queat, ius quoque sistendi debet esse illimitatum. Ac praeterea ag-essor haud potiori iure vtitur, ad iniurias leues mmittendas, quam ad grauissimas. Denique conti-atio actus hostis animum magis magisque prodit, cuius periculum vitandum nimia censeri nequit vl-praecautio, ne forsan patiendo aggressori maiorem damus audaciam, quam initio cogitasset aut conat-esset.

bere. Hoc modo enim modestissimus quisque deterrimo cuique perpetuum ludibrium deberet.

Qui limites huius iuris in statu ciuili.

§. XVI. Qui autem *imperio ciuili* subiecti degunt, tunc demum violentam sui defensionem licite adhibent, quando tempus & locus non fert, auxilium magistratus implorari, ad repellandam eam iniuriam, qua vita vitaeque aequipollens, aut irreparabile (1) bonum in praesentaneum periculum coniicitur.

De tempore, intra quod se defendere licet in statu naturali.

§. XVII. Circa *tempus*, intra quod defensio recte fieri potest, ita habendum est.

Qui in *naturali libertate* vtrinque degunt, etsi possint ac debeant praesumere, alios aduersus se officia legis naturalis obseruaturos; tamen propter malitiam ingenii humani nunquam ita securi esse debent, quin sibi mature innoxia munimenta circumponant: puta, aditum praestruendo hostilia molientibus, arma virosque comparando, socios adiungendo, aliorum conatus vigilanter obseruando, & quae

§. XVI. (1) Talia sunt, quae in commercium non veniunt, vt membra corporis nostri, aut liberorundem vsus, pudicitia honestae feminae &c. Et hoc quoque locum habet, cum quis res alioqui reparabiles eo tempore nobis ereptum venit, quo raptor haud agnoscitur, nec spes vlla apparet fore, vt aliquando alia via nobis satisfiat. Vnde etiam variorum populorum constitutionibus, ipsaque *Mosis* lege, fures nocturnos licebat occidere.

quae sunt similia. Verum ista suspicio, orta ex communi hominum malitia, non sufficit, vt sub obtentu defensionis meae alterum vltro armis opprimere possim, ne quidem si potentiam ipsius nimis gliscere videam; praesertim vbi eandem innoxia industria, aut per benignitatem fati, citra aliorum oppressionem adauxerit.

Quin si quis, praeter facultatem nocendi, etiam voluntatem ostendat, non quidem aduersus me, sed alium; non ideo statim meo nomine eum inuadere vltro possum; (1) nisi ad auxilium alteri, qui iniuste a potentiore inuaditur, ex foedere tenear. Quod eo promtius facere expedit, si probabile sit, istum, altero oppresso, in me quoque transiturum, & priore victoria pro instrumento sequentis vsurum.

Ast vbi liquido adparet, alterum circa inferendam mihi vim iam occupari, licet conatus suos nondum plane expromserit, statim licebit violentam sui defensionem auspicari, & noxam adparantem occupare; siquidem nulla

§. XVII. (1) Potest quis, si vires suppetant, immo debet, cuicunque iniuste ab altero oppresso praebere auxilium, tametsi id haud imploretur. Eo quemuis leges humanitatis, citra foedus etiam, aut quemuis peculiarem nexum, obligant. Vide, quae commentatus sum ad I. N & G. *Lib. II. Cap. V.* § 6. *not.* 3. & infra *Lib. II. Cap. XVI.* §. 11. in fine.

nulla ſpes ſit, fore, vt amice admonitus hoſtilem animum exuat, aut eiusmodi admonitio rebus noſtris noxia ſit futura. Vnde hic pro adgreſſore erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exſequendam ſe comparauit; defenſionis autem fauor illum comitabitur, qui celeritate vſus tardius molientem oppreſſerit. Neque enim ad defenſionem requiritur, primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere.

In hoc porro ſtatu non ſolum in praeſens intentatum periculum repellere, ſed & hoc depulſo, inuaſorem eo vsque perſequi poſſum, quoad ab illo *in futurum ſatis mihi cautum ſit*. Super qua cautione ita habendum: *ſi quis, iniuria intentata, vltro poenitentia ductus veniam petat, & damni reſtitutionem offerat, in gratiam cum ipſo, fide accepta, redire debeo.* Nam firmum eſt ſignum animi emendati, ſponte poenitere, & veniam petere. *Aſt qui tunc demum poenitentiam prae ſe fert, quando reſiſtendi vires deficiunt, eius nudo promiſſo fidere parum tutum videtur.* Igitur tali vel vires nocendi ſubtrahendae, vel aliud vinculum iniiciendum, ne deinceps nobis exiſtat formidabilis.

Quando & quousque liceat ſe per vim defen-

§. XVIII. Aſt *in ciuitatibus* haud quicquam tam laxum ſpatium ad ſui defenſionem indulgetur. Nam heic licet quis intellexerit, (1) ciuem

(1) ciuem sese comparare ad vim ipsi inferendam, aut atroces minas spargere; nequaquam occupare istum licebit, sed ad communem imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda. Verum vbi quis ab altero iam inuaditur, & in eas redigitur angustias, vt magistratus, aut aliorum ciuium implorandi subsidium facultas non sit; tunc demum ad repellendam vim vel extrema inuasori licebit intentare; non quidem ea intentione, vt per caedem vindicta ob iniuriam exigatur, sed quatenus vita citra eiusmodi caedem e praesenti periculo nequit eripi. dere *in statu ciuili.*

Initium autem *temporis* illius, quo quis in sui efensionem alium impune potest occidere, ine sumitur, quando adgressor voluntatem impetendi vitam meam prae se ferens, & a viribus

§. XVIII. (1) Possunt tamen esse casus, quibus peulum aeque certum est, ac si adgressor vim inferre eperit. Fingamus e. c. peregrinantes quosdam, diuersorium delatos, noctu certiores fieri, se veri in loco caedibus infami, (quale quid non raro acit:) hi si prius, quam accedant domestici, quos babile est expectare, dum somno sopitos perimealeant, domo exire ac se fugae committere neunt, nisi hospitem aut domesticorum quempiam tfecerint, nonne hic par ratio est, ac si viderint nines istos intrare conclaue, cum armis solitis, bus eiusmodi miseros potestate facta perimere sueuerunt. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. I. V. §. 7. not. 5. Ed. nouae.*

bus instrumentisque nocendi instructus, iam intra illum locum exstiterit, ex quo re ipsa nocere possit; computato quoque illo spatio, quo opus est, si ego praeuenire, quam praeueniri malim. *Perdurat* autem *spatium* inculpatae tutelae, quoad adgressor fuerit depulsus, aut vltro recesserit, vel poenitentia in ipso facinoris momento tactus, vel quod conatum eius euentus destituerit, ita vt in praesens nocere amplius nequeat, nobisque sit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam vltio iniuriae, & cautio in futurum, ad imperii ciuilis curam & potestatem spectat.

An liceat se defendere aduersus inuasorem *errantem*.

§. XIX. Licet autem defensionem suscipere tam aduersus eum, qui *dolo malo*, quam qui *per errorem* exitium mihi intentat: puta, si quis insania agitatus me inuaserit, aut quia me alium, quocum inimicitiae ipsi intercedunt, crediderit. Nam sufficit, quod alteri (1) non sit ius ad me inuadendum aut occi-

---

§. XIX. (1) Ratio haec est omni exceptione maior, sufficitque ad refellendam eorum sententiam, qui cum GROTIO *de Iure Belli ac Pacis Lib. II. Cap. I. §. 9.* contendunt, cessare ius legitimae defensionis sui, si iniustus inuasor princeps sit, aut alter quispiam auctoritate in societate ciuili pollens. Enimvero statim atque magistratus, aut superior quicunque, per malitiam, ac deliberato consilio, eo furoris progreditur; in statum hostilem cum eo, quem adgreditur,

:idendum, neque in me sit (2) obligatio mortem frustra subeundam.

§. XX. Quanquam autem dictum sit, *non* *'e ad caedem prouolari, vbi commodiori via pe-* *ılum depelli potest*; tamen propter perturba- ıem animi, quam imminens periculum ere solet, non omnia ad viuum resecari so- t; cum in tali periculo trepidanti non ita ırate omnes euadendi vias liceat circumspi- cere, Obseruationes de moderamine inculpatae tutelae, & de *duellis*.

K

itur, descendit, subiectionis vinculum abrum- , ac subditus aut inferior, quippe qui obligare l illimitatum eiusmodi obsequium nec voluit, potuit, eo ipso pristina sua iura naturalia omni- cuperat. Vide, quae post VAN DER MEV- traduntur in *Bibliotheca vniuersali Tom.* *I. p.* 143. & *seqq.* In cassum hic obiecerit quis nodum societatis, quae turbetur, si hoc modo eretur his, qui eidem praesint, aut quacunque ae rempublicam administrent. Praeterquam quod trepidanti in tanto periculo vix tales licet ariones inire; praesumendum est potius, inua- ı non substiturum in hac violentia, sed aliis parem, quoties libido incesserit, illaturum onferantur huc dicta a me ad J. N. & G. *Lib. II.* *7.* §. 5. *not.* 1. ed. nouae, & ad GROTIVM *de I.* *P. Lib. I. Cap. IV.* §. 2. *not.* 1. *& Lib. II. Cap.* 1. *not.* 2. *& seq.*

Qualis esset, si bonus princeps aut parens, in- rario aliquo, quem moderari aut praeuertere ɔtuit, adtectu agitatus, subdito cuipiam, aut mortem intentauerit. Vide, quae dixi ad I. G. *Lib. II. Cap. V.* §. 5. *not.* 1. & ad eiusdem §. 14. *not.* 11. ed. nouae.

cere, ſicut ei, qui tranquillo animo rem conſiderat. Inde vti ex loco tuto ad prouocantem vltro deſcendere temerarium eſt; ita ſi in aperto me loco conſtitutum alter inuadat, non praeciſe ad fugam obligor, niſi forte in propinquo ſit tale ſuffugium, in quod me citra periculum poſſim recipere, neque ſemper ceſſim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum oſtendendum, & vtrinque periculum lapſus imminet; ac vbi ſemel gradu ſis depulſus, eundem iterum componere haud facile eſt.

Vti autem aliquis fauore defenſionis non excluditur, quod vltro in publicum ad ſua negotia obeunda prodiit, cum ſi domi manſiſſet, a periculo immunis erat futurus; ita eodem non fruitur, qui ab altero in *duellum* prouocatus, (1) vbi comparuerit, ita premitur, vt ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam cum leges id periculum ſubire vetent, eius quoque

§. XX. (1) In omni republica bene compoſita *duellum* in ſe ipſo eſt illicitum, ſecundum conſtantem omnis ſocietatis ciuilis diſpoſitionem, vt propterea opus non ſit legibus id prohibentibus. Nam praecipua cauſa, cur homines libertati ſtatus naturalis renuntiauerint, haec eſt ne, quod tunc neceſſe erat accidere, quilibet in propria cauſa iudicem ageret; vnde & illud ſequitur, praecipuam poteſtatis ſummae partem eſſe, vt ius ſingulis adminiſtraretur, prouti ſuo loco demonſtrabitur. Omne igitur duellum vim infert auctoritati magiſtratus ſummi aut intermedii. Quae ſola ratio illi improbando ſufficeeret, niſi & plures

uoque ad excusandam caedem nulla habetur
itio.

§. XXI. Quod pro defensione vitae, idem pro *defensione membrorum* conceditur; sic vt ille innocens habeatur, qui violentum inforem occidit, cui fortasse intentio fuit, embro eum duntaxat mutilandi, aut graue lnus infligendi. (1) Nam & natura a mutilatione *De defensione membrorum.*

K 2

res aliae eo concurrerent, praesertim si spectemus as, quae eidem ordinarie occasionem suppedi-. Verum in statu naturali nihil obstat, quo mi- personae duae, quae de rebus maioris momenti ant, litem pugna singulari dirimant. Aliquando s exercitus, & principes ipsi possunt eo recurrere, sic duorum vita in discrimen adducatur pro sanultorum millium. Vnde & plura huius rei exa in antiquitate obuia sunt. Vid. GROTIVS *de & P. Lib. II. Cap. XXIII* §. 10. *& Lib III. XX.* §. 43. cum *notis* meis. Potest itaque & , nomine & iussu reipublicae, in casu huiusmo- circumstantiis debitis, innoxie sese pugnis eius is singularibus committere. Quod vero ad ceattinet, quae proprie *Duella* vocantur, atque riuatos ob priuatas lites intercedunt, ea in cona iusta esse nequeunt, tametsi leges illis auctoa adderent, prout olim apud diuersos populos fuit. Vid. SLICHERI *Diss. de Duellis* praecictans, quam a. 1731. vulgaui in opere, quod itur, *Recueil de Discours sur diuerses matiéres intes*, To. II.

XI. (1) Nunquam certi esse possumus, quod or velit nos vulnerare solum, aut membro e, vita incolumi relicta. Etiamsi quoque id conce-

tilatione & graui laesione maxime abhorremus; & mutilatio membri, (2) praecipue nobilioris, quandoque non multo minoris, quam ipsa vita aestimatur. Quin in antecessum non constat, an non ex mutilatione ac vulnere mors sit secutura; ac talis patientia communem hominum constantiam superat, ad quam leges regulariter non solent obligare, in gratiam praesertim hominis malitiosi.

De defensione pudicitiae. §. XXII. Sed & quod pro vita, id & pro (1) *pudicitia* licere iudicatur: quippe cum nulla maior contumelia honestae foeminae inferri

contestaretur, (quod nonnunquam accidit) verbis tamen eius fidem adhibere non possemus. Fingamus quoque ipsum vere haud constituisse nos occidere, non tamen adeo certam ictibus suis mensuram nouit imponere, vt dubio careat ipsum longius opinione esse processurum; vt taceam in vniuersum arma, quibus vtitur, ordinarie esse plena periculi.

(2) Nullum alioqui membrorum nostrorum est, quod in totum nobis sit inutile, & quo sine naturali acerbitatis sensu priuari queamus. Eorum aeque ac vitae nostrae conseruatio nobis a natura iniuncta est. Locum itaque hic habet defensio pariter in statu naturali & ciuili, quando in ea sumus necessitate constituti, vt praesidio magistratus ciuilis tuti esse haud possimus. Hoc solum requiritur, vt ipsi vindictam iniuriae ipso actu acceptae relinquamus.

§. XXII. (1) Negat quidem hoc BVDDEVS in *Elementis Philosophiae Practicae Part. II. Cap. IV. Sect. III.* §. 14. hac adductus ratione, quod *pudicitia neutiquam vitae hominis sit aequiparanda*. Verum sine

ferri queat, quam si quis inuitae eripere adgrediatur, cuius integritate eius sexus decus maxime aestimatur, & efficiat, vt hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur.

§. XXIII. Defensio autem *rerum* inter eos quidem, qui *in naturali libertate* viuunt, etiam ad caedem vsque inuasoris procedere potest; modo res non sit (1) eiusmodi, vt contemni merea- *De defensione bonorum.*

sine causa idonea supponitur, nunquam licere aggressorem occidere, nisi cum de rebus agitur, quae natura sua vitae aequiparantur. Ceterum pudicitia non solum irreparabile bonum est, maxime si qui vim intentat, iam iunctus vxori sit; sed etiam inter cultiores gentes eodem fere, quo vita, censu venire solet: adde, quod sententia haec valde necessaria est, ob insignem humani generis vtilitatem, familiarum concordiam, & commodum societatis ciuilis. Et denique annon eiusmodi hostilis actus plenum ius praebeat, extrema remedia aduersus eum vsurpandi, qui, vt libidinem suam expleat, pudicitiam simul ac libertatem honestae foeminae tentat? Nam si qua res est, cuius arbitrium nobis relinquendum est, sine dubio illa est, cum vsus corporis nostri alteri permittendus erit. Ita vt, qui per vim illum quaerit, eo ipso demonstret, quod nobis ab eo quaeuis, etiam vitae ipsi metuenda sint. Nec defuere homines belluini, qui amore in furorem verso, eo progressi sunt, vt matronam aut virginem libidini ipsorum reluctantem interficerent. Taceo plura alia grauissima, quibus hoc modo femina exponitur, incommoda, vt ingrata, quae marito inde creari possunt, fastidia, temeraria vulgi iudicia &c.

§. XXIII. (1) Putat citatus modo Auctor, eodem loco,

mereatur. Nam citra res vtique vita nostra seruari nequit; & aeque hostilem animum declarat, qui res, quam qui vitam per iniuriam impetit.

Verum *in ciuitatibus*, vbi erepta subsidio magistratus recuperari possunt, id regulariter non conceditur, nisi in eo casu, vbi qui res nostras ereptum venit, in iudicium adduci non potest. Quo intuitu licitum est occidere praedones, & fures nocturnos.

§. XXIV.

loco, tum demum pro *rebus* violentam defensionem licite suscipi, *si ereptu illis nihil amplius, vnde viuamus, nobis suppetat.* Verum non euertit Vir doctissimus Auctoris nostri principia ac rationes, fusius in Opere maiori, cuius hoc compendium est, conspiciendas *Lib. II. Cap. V* §. 16. Ceterum praeterquam quod non potiori quis iure vtitur ad inferendam iniuriam minimam, quam ad maximam, quod quidem in vniuersa hac materia sedulo obseruandum; qua ratione scire potero, an fur non nisi rem minimi pretii ablaturus sit? Imo censetur is potius auferre omnia, in quantum potuit, aut saltem animo omnia auferendi accessisse. Et si impune mihi auferre posset hanc hodie rem, cras alteram, certum est fore, vt postremo funditus exspolier. Sane parcendum erit vitae furis, si certo constet, rem esse exigui pretii, quam nobis surripuit, aut surripere voluit, & si non alia suppetat causa, quae nobis necessitatem quandam vtendi iure nostro imponat: sed tunc non aliud habemus, quo ad id obligamur, nisi humanitatis aut charitatis legem.

§. XXIV. Atque haec de defensione ab iis facta, qui vltro ab aliis per iniuriam inuaduntur. Qui autem prior alterum laesit, tunc demum recte se defendere, eaque defensione istum denuo laedere potest, postquam poenitentia tactus reparationem damni dati, & cautionem de non laedendo in posterum obtulit, & laesus eandem per asperitatem animi respuit, ac manu sibi vindictam facere pertendit (1).

Quando vicissim inuasor iuste se defendere possit.

§. XXV. Denique & tanti habetur conseruatio sui, vt si ea obtineri aliter nequeat, in plurimis casibus ab obligatione communium legum eximere censeatur. Quo nomine *necessitas lege carere* dicitur. (a)

De iure & priuilegiis *necessitatis.*

(a) J. N. & G. Lib. II. cap. VI.

Scilicet cum tanto ardore ad sui conseruationem homo rapiatur; non facile praesumitur, talem isti obligationem impositam, cui propria salus cedere debeat. Quanquam enim non Deus solum, sed & vbi materiae grauitas requirit, imperium ciuile tam rigidam nobis obli-

§. XXIV. (1) Omnibus hisce, de quibus Auctor in paragraphis praecedentibus disseruit, eo pertinentibus, vt iusta sui defensio per vim facta, & ad caedem vsque aggressoris procedens, adstruatur, iungenda est vis & iniuria qualiscunque *libertati* nostrae illata. Quem defectum insignem supplere studui in obseruatione quadam ad maius Opus de *I. N. & G. Lib. I, Cap. V. §. 19. not. 2. Ed. novae.*

obligationem iniungere queat, vt (1) mors sit potius oppetenda, quam latum vnguem ab illa discedamus; tamen non semper tam rigida legum praesumitur obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui instituta quaedam inter homines introduxerunt, cum vtique salutem aut

§. XXV. (1) Locum hoc habet in legibus diuinis, cum positiuis, tum naturalibus, si earum violatio aliquem auctoritatis legislatoriae contemtum, siue directum, siue indirectum, sit inuolutura. *Directus* est *contemtus* ex g. in *blasphemia*, *periurio*, *idololatricis actibus*, *mutatione religionis*, quam probamus, cum religione, quae praua existimatur &c. *Indirectus* autem *contemtus* est, cum, etsi directe Numen non laedatur, is tamen, qui ad patrandum aliquid legibus diuinis contrarium, vel ad omittendum eis praeceptum, nos per vim sollicitat, aut formaliter intendit ad violandum officium nos permouere, aut, si alia quidem ducatur ratione, censetur nihilominus velle ad crimen nos adigere; siue quia ipsa rei natura vix aliter interpretari eius intentionem patitur, vt si ad incestum concubitum quis compellatur; siue quia repugnantia, quam testamur, ac testari omnino debemus, efficit, vt succumbere iam violentiae nequeamus, nisi prodito maiori hominum, quam Numinis metu, quantumuis legitima cogenti forsan actio aut omissio videatur; vt si princeps sub commi- natione mortis quempiam iubeat alium occidere, cuius perspectam sibi exploratamque esse innocentiam isti professus sit; aut si prohibuerit alterum externam religionis, quam probat, professionem edere, quamuis qui prohibet eandem improbet. Vide dicta ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. VI.* §. 5. *Ed. nouae.*

aut commoditatem hominum per ea promouere voluerint, regulariter quoque ob oculos censentur habuisse conditionem naturae humanae, & quam non possit non homo refugere & amoliri illa, quae ad sui destructionem tendunt. Inde regulariter leges, inprimis positiuae, & quaeuis instituta humana iudicantur excipere casum necessitatis, seu non obligare, quando ipsarum obseruationem comitaturum esset malum, humanam naturam destruens, aut communi hominum constantia superius; nisi expresse, aut propter (2) negotii naturam, iste quoque casus sit comprehensus. Vnde necessitas non id quidem efficit, vt directe lex possit violari, & peccatum admitti; sed ex beneuola legislatorum mente, simulque naturae humanae consideratione praesumitur, casum necessitatis sub lege generaliter concepta non contineri. Exemplo vno & altero res erit declaranda.

§. XXVI. Quanquam (1) alias homini non sit ius in sua membra, vt illa pro lubitu mutilet *Exempla casuum necessitatis.*

(2) Vt in bello, cum alicui e. g. statio aliqua periculosa adsignatur, eo mandato addito, ne inde, nisi alio ipsi rite succedente, recedat.

§. XXVI. (1) Regula generalis, ex qua casus omnes, ab Auctore hic & in seqq. §. §. propositi, resolui possunt, meo iudicio haec est: *Quotiescunque committendo erga alterum aut nosmet ipsos actionem alias prohibitam, reperimus in ea medium physicum, morali-*

1. De iure in *membra propria.* mutilet perdatue; licebit tamen *abscindere membrum insanabili vitio correptum*, ne totum corpus pereat, aut partes adhuc sincerae trahantur, aut inutili appendice aliorum vsus membrorum impediatur.

2. Si plures in scapham insiluerint, quam illa ferre possit. §. XXVII. Si *in naufragio plures in scapham insiluerint, quam illa ferre possit*, neque ad vnum (1) peculiari iure scapha pertineat, videntur sorte ducendi, qui proiiciantur; & si quis sortis periculum subire detrectauerit, tanquam qui

moraliter certum, euitandi maius periculum, ita vt exinde neque in nos ipsos, neque in alterum, malum maius illo quod vitare cupimus resultet, nec alter in eodem nobiscum casu existens, ius peculiare habeat in medio isto, quod se nobis offert: toties lex exceptionem casus necessitatis admittit. Quoties vero aliqua conditionum harum deficit, tunc id quod lex ordinarie requirit, obseruandum est. Quae regula explicata reperietur ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. VI.* §. 2 *not.* 7. *Ed. nouae.*

§. XXVII. (1) In omnibus iis casibus, quibus cura conseruationis nostrae & aliorum colliditur, supponendae duae sunt conditiones, meo iudicio, absolute necessariae, vt praeferri legitime propria salus possit. I. Vt alter, qui in communi cum altero versatur periculo, ex quo eripi vtrumque non datur, peculiare ius in medium a Prouidentia diuina oblatum non habeat. Sic ad quem scapha pertinet, is eiici non debet, neque sortis subire periculum tenetur. II. Vt ille, quocum quis concurrit, non sit societati innumeras ob rationes vtilior. Sic enim in eiusmodi casibus necessitatis par fuerit, subditum e. g. vitam pro-

qui omnium interitum quaerat, extra sortem praecipitari poterit.

§. XXVIII.

---

propriam pro principis sui, maxime boni principis, vita deuouere. Malum enim tunc euenturum, si quis conseruationem vitae propriae praeferret, multo maius futurum esset illo, quod is vitare studebat. Sed amplectitur quoad alterum hunc articulum sententiam contrariam OTTO in Notis suis ad praesentem Auctoris libellum. *Non oportet*, ait, *hic considerare, nisi naturalem hominum in quo existunt statum, ratione cuius omnes aequales sunt, & pari iure fruuntur. Praeterea innatus ipsis amor proprius, & imminens alicui vis necessitatis haud permittit examen scrupulosius, ad huiusmodi distinctiones necessarium.* Verum posterior haec ratio id solum probat, quod quis veniam mereatur, si in huiusmodi casibus, de quibus hic quaestio est, perturbatio ipsum adducat, vt proximo quod offertur salutis medio vtatur, nec cogitet, an quis alius plus in eo iuris quam ipse habeat, aut an vita eius multo praestantior sit ipsius vita. Quod si vero spatium datur eiusmodi cogitationes subeundi, quod sine dubio fit, cum sorte ducuntur, qui ex scapha proiiciendi sint, tunc sane in procliui est examinare, an quis adsit, cuius conseruatio priuilegio quodam gaudere debeat, quantumuis difficile sit statuere, quod ipsi hoc priuilegium propriae conseruationis nostrae damno relinquendum sit. Commune periculum non facit, vt homines hoc respectu magis ad aequalitatem naturalem redeant, quam ad communionem bonorum primaeuam, quam ipse OTTO locum habere negat in praeiudicium eius, ad quem iure proprio scapha pertinet: & nihilominus par ratio foret, vt homines hoc quoque respectu aequales inuicem existimarentur, si nihil aliud

5. Si duo in periculum incidant, quo vtrique sit pereundum, nisi alter pereat.

§. XXVIII. Si *duo in praesens vitae periculum incidant, in quo vtrique sit pereundum*, vni quid facere licet, ex quo alteri alias perituro fata admoueantur, vt ipse saluus sit. V.g. si ego natandi peritus cum altero natandi imperito in profundas aquas incidissem, & ille me circumplexus teneret, neque mihi tantae sint vires, vt ipsum mecum aquis efferre valeam; potero talem a me violenter amoliri, ne cum ipso suffocer, etsi is per exiguum tempus a me vtcunque sustentari potuerit.

Sic in naufragio, vbi ego (1) tabulam occupaui duorum non capacem, si quis adnatans

---

aliud hic considerandum esset, quam *naturalis eorum in quo existant status*. Difficultas examinis non minor est, cum de eo agitur, an possessor scaphae praeferri debeat, quam cum diiudicandum est, an ex duobus in communi periculo constitutis alter praeferendus sit, ob eam quam nobiscum & cum societate habet relationem. Vt verbo rem complectar, necessaria est vtique in huiusmodi casibus regula, & regulae tales aeque sunt verae in theoria, quam difficiles in praxi; id quod locum habet in multis alterius generis argumentis. Scire praestat, quid deceat fieri, & quid reuera faceremus, si sufficeret praesentia animi, satisque consilii in similibus casibus adforet, ad huiusmodi statum tunc eligendum; quod tamen non prorsus impossibile est. Quo maior est difficultas, eo latior aperitur campus demonstrandi virtutem communi hominum captu superiorem.

§. XXVIII. (1) Hoc casu ius primi occupantis excludit quamuis aliorum praetensionem, ad quos non magis, quam ad eum, qui arripuit, tabula pertinebat,

tans eidem quoque se velit iniicere, me simul secum perditurus, potero eum quauis violentia a tabula repellere.

Sic quando duobus fugientibus hostis necem intentans instat, vnus vel porta post se clausa, vel ponte deiecto, alterum in periculo vitae destituere potest, si vterque simul seruari nequeat.

§. XXIX. Ex necessitate potest *alteri periculum mortis aut magnae laesionis intentari indirecte*, ita vt nobis non sit propositum, ipsi nocere, sed duntaxat pro nostra conseruatione talem actum suscipere, ex quo probabiliter noxa ipsi possit inferri; vt tamen mallemus quauis potius alia ratione necessitate nostra defungi, & ipsam laesionem, quantum in nobis, temperemus. Sic si robustior mortem intentans me persequatur, (1) ac in angusta via, qua fugiendum, forte quis occurrat; vbi admonitus non cesserit, aut id temporis lociue angustia non admiserit; licebit illum prosternere, & per eum iacentem fugam persequi, etsi probabiliter ex eo impulsu vehementer videatur affligendus. Nisi forte illi peculiari obligatione tenear, vt etiam vltro pro ipso peri-

4. Si cui fugienti infans aut claudus in via obstet, & prosternendus sit.

§. XXIX. (1) Supponendum est, viam hanc esse regiam. Si enim infans, aut claudus in suo fundo versaretur, eo ipso ius peculiare haberet, impediens, quo minus is, quem alter persequitur, propriam conseruationem saluti alterius recte praeferre posset.

periculum ſubire debeam. Quod ſi fugae interpoſitus, admonitus licet, decedere via nequeat, puta, ſi infans ſit, aut claudus; ſaltem excuſationem merebitur, qui ſuper eundem ſaltum molitur potius, quam moras nectendo corpus hoſti praebet. At vero ſi quis petulanter vel inhumane mihi obſtiterit, & viam fugiendi concedere noluerit; etiam directe impelli ac proſterni poteſt. Ceterum quibus per iſtos caſus laeſio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent.

5. Si quis in extrema inopia alteri quid ſurri puerit.

§. XXX. Si quis (1) *praeter propriam culpam in extrema inopia victus aut veſtium* aduerſus frigus neceſſariarum verſetur, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus, precibus, pretio, aut oblata ſua opera, vt vltro ſibi illas concederent, impetrare potuit, citra crimen furti aut rapinae vi vel clanculum illas ſubducere poterit; praeſertim ſi intentionem habuerit earum aeſtimationem praeſtandi, quando occaſio oblata fuerit. Nam locuples in eius-

§. XXX. (1) Haec reſtrictio, meo quidem iudicio, in ſummo rigore capi non debet, ac ſi ſemper abſolute neceſſaria foret. Pone enim, prodigum quem fuiſſe, aut in rebus ſuis negligentem, an ideo fame eum perire debemus ſinere? An commiſeratio ac beneficentia nonniſi in illis locum obtinent, qui ad inopiam ſuam nihil culpae contulerunt? Sufficit ſane, indigo propoſitum eſſe, prudentius ſe gerere in poſterum: atque id eſſe ipſi conſilii, vi charitatis ſupponendum eſt.

eiusmodi necessitate constituto, ex officio humanitatis debebat succurrere. Quanquam autem regulariter, quae ex humanitate debentur, haudquaquam vi possint eripi; tamen extrema necessitas efficit, vt talia non minus adseri queant, quam quae ex obligatione perfecta debentur. Necessum tamen est, vt egenus 1. omnes prius vias tentet, quo, volente domino, necessitatibus suis succurrere queat; 2. neue dominus pari necessitate teneatur, aut mox in eandem sit deuoluendus; 3. & vt restitutio fiat, praesertim vbi alterius fortunae non ferant, gratis tale quid condonare.

§. XXXI. Denique videtur & necessitas circa res nostras versans *veniam indulgere res alienas perdendi*; ita tamen, vt 1. citra nostram culpam id periculum rei nostrae exstiterit; 2. vt idem commodiore (1) via dispelli nequeat; 3. ut ne pro viliori nostra re, (2) alterius pretiosiorem perdamus; 4, vt aestimationem eiusdem praestemus, siquidem ista alias peritura non fuerat, aut in partem damni veniamus, si alterius res vna cum nostra

6. Si perdendae sint res alienae nostrarum seruandarum causa.

§. XXXI. (1) Et certa isthaec via appareat.

(2) Tametsi res, quam seruare cupimus, multo maioris sit pretii, propterea tamen non semper ius habemus eius gratia destruendi rem alterius, nisi is consenserit; aut ad minimum periculum nostram amittendi coniunctum sit quodam modo cum vitae nostrae aliorumue periculo. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. VI. §. 8. not. 1. Ed. nouae.*

ſtra alias peritura erat, quae nunc ſua iactura noſtram ſeruat. Quam aequitatem fere leges nauticae ſequuntur. Sic & orto incendio, eoque aedibus meis imminente, licebit vicini aedes diruere; ita tamen, vt quorum aedes hoc modo ſeruatae ſunt, pro rata, vicini damnum ſarciant.

CAPVT VI.

DE OFFICIIS HOMINVM MVTVIS: ET PRIMO *QVIDEM DE* NON LAEDENDIS ALIIS, ET DAMNO DATO REPARANDO, *PRIMO OFFICIO GENERALI CVIVSLIBET ERGA QVEMLIBET.*

§. I.

Generalis diuiſio *officiorum hominis erga alios.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib II. Cap. III. §. 23.

SEquuntur *officia, quae homini aduerſus alios homines ſunt exercenda.* Eorum aliqua (*a*) proueniunt ex communi obligatione, qua Creator omnes homines, vt tales, inter ſe deuinctos voluit: aliqua autem ex certo inſtituto per homines introducto, aut recepto, vel ex certo hominum (1) ſtatu aduentitio pro-

§. I. (1) *Status aduentitius* eſt, in quo quis vi facti alicuius humani ſiue in natiuitate, ſiue poſt natiuita-

promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda; haec autem non nisi erga certos, posita certa conditione, aut statu. Inde & illa possis vocare *absoluta*, haec *hypothetica*.

§. II. Inter *officia absoluta*, seu quorumlibet erga quoslibet, (*a*) *primum* locum obtinet, *ne quis alterum laedat*. Est quippe hoc officium omnium *latissimum*, omnes homines, vt tales, complexum, idemque *facillimum*, vtpote nuda actionis intermissione constans; nisi qua obluctantes rationi libidines quandoque compescendae sunt. Quin & maxime *necessarium* idem est, quod citra illud socialis hominum vita nullo modo consistere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miscet, cum eo tamen tranquille viuere possum, modo nulla ratione me laedat. Imo a maxima parte mortalium nihil amplius, quam isthoc desideramus; bona fere inter paucos inuicem communicantur. Ast cum eo, qui me laedit, nullo modo pacifice possum viuere; cum natura cuique tam tenerum amorem sui rerumque suarum inseuerit, vt non possit non omnibus modis repellere eum, qui istis noxam inferre adgreditur.

Ne quis alterum laedat. Primum officium absolutum.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. III. Cap. I.

L §. III.

ciuitatem constitutus est. Talis e. g. est ille, in quo quis est ob quandam cum alio relationem, vt *pater & filius*, *maritus & vxor*, *herus & seruus*, *imperans & subditus* &c.

Amplitudo & grauitas huius praecepti.

§ III. Hoc ipso autem officio velut muniuntur non illa tantum, quae per ipsam *naturam* alicui adsunt, vti est *vita, corpus, membra, pudicitia, libertas*; sed & *quaecunque instituto* aliquo atque *conuentione* humana sunt *quaesita*. Sic vt, quocunque legitimo titulo aliquid nostrum sit, hoc praecepto idem auferri, corrumpi, laedi, vsibus nostris ex toto, aut parte, subtrahi vetetur. Vnde hoc ipso interdicta intelliguntur quaeuis crimina, quibus aliis noxa infertur; vti est *caedes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis,* directe aut indirecte, mediate aut immediate illata, & quae sunt similia.

Consequens est, *vt damnum datum reparetur.*

§. IV. Ex hoc porro consequitur, *si cui sit ab altero laesio illata, damnumue datum vllo modo, qui ipsi recte potest imputari, id,* (1) *quantum fieri potest, ab eodem esse sarciendum.* Alias enim vanum erit praeceptum, ne quis laedatur, neue cui damnum detur, si, vbi de facto laesus fuerit, damnum ipsi gratis sit deuorandum, & qui laesit, fructu suae iniuriae secure

§. IV. (1) Aliquando damnum in se ita reparari potest, vt nullum eius superet vestigium. Aliquando reparari nequit, nisi ratione aliorum, qui id patiuntur. Aliquando non nisi imperfecte potest reparari. Aliquando denique, quamuis natura sua non sit irreparabile, tamen tale est ratione eorum, qui damnum dederunt. De quibus omnibus conf. ad *I. N. & G. Lib. III, Cap. I, §. 7, not. I.*

secure & citra refusionem gaudere queat. Neque etiam citra necessitatem restitutionis abs se inuicem laedendis abstinebit vnquam mortalium prauitas; nec ei, qui damnum passus est, facile fuerit, (2) animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu istius reparationem non obtinuerit.

§. V. *Damnum*, etsi proprie ad rerum laesionem pertinere videatur, ita tamen late a nobis heic accipitur, vt notet *omnem laesionem, corruptionem, diminutionem, aut sublationem eius, quod nostrum iam est; aut interceptionem eius, quod ex iure* (1) *perfecto debebamus habere, siue id datum sit a natura, siue accedente facto humano, aut lege adtributum; aut denique omissionem ac denegationem alicuius praestationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta exhibere tenebatur.* Ast si intercipiantur, quae ex obligatione duntaxat imperfecta debebantur, non censetur damnum datum, quod pensari debeat. Inconueniens enim fuerit, damni loco ducere, talia non accepisse; aut pensationem eorum postulare, quae ab altero non

Quid sit *damnum*.

(2) Neque hoc solum; sed eidem quoque ius competit, talem pro hoste habendi, siue animo deliberato, siue per negligentiam damnum dederit. In posteriori enim casu recusatio damni reparandi eundem effectum produceret, ac si auctor eius ab initio statim ex pura malitia egisset.

§. V. (1) Vide supra *Cap. II. §. 15.*

non nisi in locum vltronei beneficii exspectare poteram, & quae inter *mea*, antequam ea accepero, censere non possum.

Quomodo fiat *damni aestimatio.*

§. VI. Sub damni porro nomine venit non modo *res* nostra, aut nobis debita, quae laeditur, perditur, aut intercipitur; sed & (1) *fructus*, qui ex ipsa re proueniunt, siue iam sint percepti, siue adhuc sperentur, si modo dominus eos percepturus fuerat; deductis tamen impensis, quae ad fructuum perceptionem fuerunt necessariae. *Aestimatio* autem *fructuum* speratorum intenditur aut remittiur, prout propius aut longius a fine incerti prouentus remoti fuerint.

Denique & pro vno damno habetur, quicquid ex aliqua laesione velut naturali necessitate deinceps profluxit (2).

Qui pro *auctoribus damni* habendi sint.

§. VII. Potest autem quis alteri damnum dare non solum immediate & *per se*, sed & *per alios*.

Potest

§. VI. (1) Nec *fructus* solum, qui *naturales* vocantur; verum etiam *fructus*, *ciuiles* dicti, qui non ex ipsa re proueniunt, sed occasione tantum rei capiuntur. Sic v. g. qui alterius aedes incenderit, aut negligentia sua dederit causam incendio, non solum eas instaurare tenetur, sed & reparare pensiones & reditus, qui ex illis interea a domino poterant percipi.

(2) E. g. qui alterum vulnerauit, tenetur non tantum expensas in curationem vulneris factas rependere, sed & detrimentum resarcire, quod ex neglectis interea

Poteſt & damnum immediate *ab aliquo* datum alteri imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit, vel faciendo, quod non debebat facere, vel non faciendo, quod debebat facere.

Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, vnus *principalis cauſa* habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt; quandoque *omnes pari paſſu ambulant* (1).

Circa quos obſeruandum, illos ita teneri ad reparationem damni, ſi reuera cauſa damni fuerint, & momentum aliquod adtulerint ad totum damnum, aut eius partem. Vbi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operae non contulit, neque, vt iſte ſuſciperetur, antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit: is, licet occaſione iſtius actus aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni non tenebitur; vti ſunt, qui alienis malis laetantur, qui patratum damnum laudant, excuſant, qui, antequam fiat, optant, dum fit, fauent, aut adſentantur.

interea eam ob cauſam operis aut negotiis ſuis vulneratus ſentit. Quippe hoc caſu, aliisque ſimilibus, tales ſunt effectus damni, vt praeuideri aut liquido, aut ſaltem probabiliter potuerint; id quod ad imponendam reſtitutionis obligationem ſufficit.

§. VII. (1) Vide ſupra *Cap. I.* §. vltimo.

Quomodo & quo ordine quisque *damnum, ad quod concurrit*, reparare teneatur.

§. VIII. Vbi plures ad vnum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui *imperio*, aut alio modo necessitatis quid habente, ad factum alios impulit.

Patrator facinoris, cui ministerium detrectare non licuit, (1) instrumenti tantum rationem habebit. Qui *citra necessitatem* ad facinus accessit, ipse primo loco tenebitur, tum ceteri, qui ad facinus aliquid contulerunt: ita tamen, vt, si a prioribus reparatio damni fuerit facta, posteriores ab eadem sint immunes; quod in poenis secus est.

Si plures *per conspirationem* aliquod facinus patrauerint, omnes pro singulis, & singuli pro omnibus tenentur; sic vt, si omnes comprehendantur, singuli ratam partem ad damnum sarciendum conferre debeant. Vbi, reliquis elapsis, vnus tantum deprehendatur, hic pro omnibus soluere tenebitur. Vbi autem ex deprehensis aliqui non sint soluendo, locupletes in solidum tenebuntur. Quod si plures *citra conspirationem* ad idem facinus concurrerint, ac discerni liquido possit, quantum quisque ad damnum contulerit; (2) quis-

§. VIII. (1) Seu potius *causae subalternae*. Vid. supra *Cap. I.* §. 28. *not.* 2.

(2) Vt si plures vno impetu citra conspirationem aliquem inuaserint; quorum vnus capiti, alter malae vulnus inflixerit, alius brachium fregerit, alius oculum

quisque tantum tenebitur ad id pensandum, quod ab ipso processit. Quod si vnus solidum soluerit, reliqui a reparatione damni liberantur.

§. IX. Ad reparationem damni tenetur non solum, qui *dolo malo* alteri nocuit; sed & qui praeter directam intentionem per negligentiam seu *culpam*, quam euitare facile erat. Haec enim non minima pars est socialitatis, ita circumspecte agere, vt nostra conuersatio aliis non fiat formidolosa, aut intolerabilis. Quin & saepe ex peculiari obligatione quis ad accuratam diligentiam adhibendam adstringitur. Imo & leuissima culpa ad reparationis necessitatem sufficere potest; si modo negotii (1) natura exactissimam diligentiam non vltro velut adspernetur; aut eius magis, qui damnum

De damno per *puram negligentiam* dato.

lum excusserit &c. Quod exemplum ab ipso Auctore in Opere maiori adlegatur, *Lib. III. Cap. I.* §. 5.

§. IX. (1) Adludit heic Auctor ad nonnullos contractus, v. c. *Depositum*, qui, ipsius ac Iureconsultorum Romanorum iudicio, exactissimam diligentiam ac circumspectionem non deposcunt. Sic e. g. si is, apud quem arcula deposita est, conclaue vel arcam, qua eam reconditam tenebat, ex incogitantia minus bene occluserit, ac propterea furto ablata fuerit arcula; ad praestandam eius aestimationem alteri, qui eam deposuerat, non tenebitur quoniam ad tantam sese diligentiam obstrinxisse non censetur.

damnum accipit; (2) quam qui dat, culpa versetur; aut nisi magna perturbatio, vel negotii circumstantia, accuratam circumspectionem non admittat; puta si quis in feruore pugnae, dum arma quatit, proxime sibi adstantem laedat.

De damno per casum fortuitum dato.

§. X. Verum qui *per casum fortuitum* & citra suam culpam laesit, ad reparationem non tenetur: quia, cum nihil sit admissum, quod imputari ipsi queat, nulla ratio est, quare potius is, qui inuitus fecit, fatale malum luere debeat, quam alter, qui passus est.

De damno per seruum dato.

§. XI. Illud quoque naturali aequitati congruum est, vt si *homo noster* citra culpam nostram alteri damnum dedit, id vel ipsi pensemus, vel istum laeso dedamus. Nam seruus vtique naturaliter reparationi damni a se dati est obnoxius. Cum autem ipse non habeat bona, vnde reparatio fieri queat, eiusque corpus domini sit; aequum sane est, vt dominus aut damnum sarciat, aut istum dedat. Alias enim seruo daretur licentia omnes pro libidine laedendi, si neque ab ipso, qui nihil, ac ne se ipsum quidem habet, neque a do-

(2) E. g. si quis, explodendis machinis igniariis se in loco solito exercens, nec coniiciens quemquam scopo adstare, receptui occlamare ante explosionem, aut vndique attente cuncta circumspicere neglexerit; eius potius, qui laesus fuerit, quam ipsius culpa erit.

a domino reparatio damni obtineri posset. Nam si vel maxime ob laesionem dominus ipsum verberibus aut carcere velit plectere, laeso inde haut quidquam satisfieri potest.

De damno ab *animali* nostro dato.

§. XII. Quin & idem circa (1) *animalia nostra* aequum esse videtur, vt quando illa, etiam citra nostram culpam, & contra naturam generis sponte commota, alteri damnum dederint, dominus (2) vel damnum sarciat, vel

L 5

§. XII. (1) Agitur hic de animalibus, quae vsum aliquem in vita habent, aut saltem ferae natura sua haud sunt. Nam ratione ferarum bestiarum, si per eas damnum datum fuerit, semper quis ad eius reparationem tenetur. Vid. dicta a me ad J. N. & G. *Lib. III. Cap. I, §. 6. not.* 7. Ed. nouae.

(2) Ad neutrum, meo quidem iudicio obligatur: animal enim, cum ratione destitutum sit, eo ipso *damnum* proprie sic dictum, & ad reparationem obligans, dare non valet. Vid. dicta a me ad GROTIVM *Lib. II. Cap. XVII.* §. 21. *not.* 1. vbi latius mentem meam explicaui, cur a pensando damno per seruum dato, aut eodem dedendo, dominum non immunem reputem; cum e contrario eundem ab vtroque liberum existimem ratione damni ab animali suo dati, si ad hoc culpa sua nihil contulerit. Quam quidem distinctionem a me factam inter damnum a seruo & ab animali datum, reiicere hic primo videtur OTTO, postea tamen ipse sententiam meam, quoad posteriorem casum, approbat. *Si*, ait, *fingamus casus, quibus aliquam domini interuenisse culpam non licet praesumere, aut quibus quiuis prudentior cauere sibi ab animali potuisset, plane cum* Grotio *sentio, absoluendum esse dominum; id quod*

est

vel animal dedat. Nam si ab animali, quod in libertate naturali degebat, laesus fuissem, poteram

---

ex comparatione furiosi, aut infantis, per quos damnum datum, aut occisus est aliquis, apparet. Quae praecise mea thesi est. Et quod ad exempla damni per furiosum aut infantem dati attinet, de his copiose disserui in Additionibus ad nouam ed. *I. N. & G. Lib. III. Cap. I. § 6 not.* 9. Equidem IO. CLAMER. AVGVST. *von dem* BVSCHE, *Eq. Westph.* in Dissertat. Lipsiae 1729. eaulgata sub hoc titulo: *Dominum ex facto animalis praeter culpam non obligari &c.* refutare voluit ea, quae de seruis proposuetam, vnica hac adductus ratione, quod (vt supponitur) seruus, nihil habens proprii, non magis reparare damnum, quam animal, possit. Verum tametsi seruus nihil proprii habeat, eiusque operae aeque, ac cuncta quae potest acquirere, ad dominum pertineant; statim tamen ac dominus eum dediderit, is, qui damnum passus est, operis eius vtendo, habebit vnde damnum sarciat in ipso seruo. Ponamus hominem, qui seruus non sit, nihil tamen in bonis habeat, damnum alteri dedisse: si ad operas idoneus sit, ex quibus is qui damnum passus est crediderit sese aestimationem eius posse recipere, nonne operas ipsi praestare tenebitur, donec harum valor concurrat cum aequa damni aestimatione? Et nihilominus contrarium ex ratione allegata sequeretur. Habeatur quantum libuerit seruus aeque ac animal in bonorum numero, propterea tamen homo existere non desinit, & consequenter ad damnum datum reparandum tenebitur, si ex solis iuris naturalis principiis, de quibus inter nos agitur, res diiudicanda sit. Nec possunt iura proprietatis per se ipsa eo usque extendi, vt facultas detur domino legitime impediendi, quo minus

poteram vtique qualitercunque damnum meum reparare, illud capiendo, vel occidendo; quod ius sane per alterius dominium tolli non

minus is, qui damnum a seruo eius passus est, possibilem satisfactionem accipiat. Sed vt destruerentur ea, quae ad haec probanda attuli, de eo ne cogitatum quidem est. Sufficit quod dominus non absolute teneatur ad dedendum seruum, quem naturaliter licebat impetere, & quod liberum illi sit, seruare ipsum damni aestimationem soluendo, aut dedere, si e re magis futurum sibi existimet; satisfactionem a se amoliri, quae aliquando omnem vtilitatem a possessione serui sui spe randam longissime superare potest. Sic vero ordinarie is, cui seruus deditus est, proprietatem eius acquirit, & in locum prioris succedit domini, qui seruum dedendo, non voluit eum pronuntiare liberum. Quod si contigerit postea, vt is, cui seruus deditus est, plus ex eo vtilitatis capiat, quam damni aestimatio requirebat, hoc ipsius lucro accedit eo magis, quo peior e contrario eius foret conditio, si omne ex dedito seruo lucrum haud quaquam damni aestimationem adaequaret. Ceterum si dominus, seruare seruum suum cupiens, nec alioquin habens unde pro damno satisfaceret, hanc iniret conditionem, vt seruus praestaret operas, donec inde damni valorem lucrifecerit, qui damnum accepit deberet, mea quidem sententia, ea re contentus esse, & seruum domino suo reddere, postquam hac ratione omnem quam postulare poterat reparationem obtinuisset. Plura alia huc afferre poteram, ad demonstrandum, quam parum firma & confusa sint auctoris principia, qui occasionem mihi ista profe rendi suppeditauit. Sed quae de cetero ad me pertinebant, ea hic nota iam nimium longa complexus sum.

non potuisse videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat, (3) ego vero damnum ex eodem senserim, reparatio autem damni longe sit fauorabilior, quam lucri adquisitio; adparet, recte a domino animalis postulari, vt damnum datum reparet, aut si tanti non sit ipsi animal, illud noxae dedat.

Officia mutua laedentis ac laesi.

§. XIII. Sic igitur qui damnum alteri *citra dolum malum* dedit, vltro reparationem debet offerre, testarique malitiam abs se abfuisse, ne laesus ipsum pro hoste habeat, ac vicissim hostilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum laesit, is non solum vltro reparationem damni debet offerre; sed & poenitentiam sui facti ostendere, veniamque petere. Vicissim *laesus*, reparatione obtenta, poenitenti ac petenti veniam dare, & cum ipso in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & poenitentia adquiescere non vult, sed vindictam vtique manu sibi quaesitum it; nihil aliud agit, quam vt acerbitati animi sui obsequatur, adeoque ex causa superuacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam naturali lege *vindicta*, quae nullum alium finem habet propositum, quam aegre facere illis, qui nos laeserunt, eorumque

Vt *vindicta pura* vitiosa sit.

(3) Dominus animalis non nisi iure suo vtitur. Applicatio itaque regulae ab Auctore allegata, a praesenti negotio prorsus aliena est.

rumque dolore nostrum animum satiare. Eo proniores autem mortales ad condonandas mutuas offensas esse decet, quo frequentius ipsi supremi Numinis leges violant, eoque & ipsi venia quotidie opus habent.

CAPVT VII.

DE AGNOSCENDA NATVRALI HOMINVM AEQVALITATE, *ALTERO GENERALI OFFICIO CVIVSLIBET ERGA QVEMLIBET.*

§. I.

Vt quisque alterum aestimet ac tractet, tanquam naturaliter sibi aequalem. Alterum officium absolutum.

Est homo animal non modo sui conseruandi studiosissimum, sed & cui insita sit delicata quaedam *sui aestimatio*: cui si quid detrahatur, non minus saepe commoueri solet, quam illata corpori aut rebus noxa. Quin in ipso *hominis* vocabulo iudicatur inesse aliqua dignatio; sic vt ultimum simul atque efficacissimum argumentum, quo aliorum insolens insultatio retunditur, isthoc habeatur: *vtique non canis sum, sed aeque homo*

---

§. I. Non est hic repetitio inutilis, aut regula superflua, sicut OTTO existimat, hac innixus ratione, quod

mo atque tu. Cum igitur natura humana omnibus aeque competat; & nemo libenter velit aut possit illi sociari, abs quo non saltem tanquam aeque homo, & communis naturae particeps aestimatur: ideo (*a*) secundo loco inter officia quorumlibet in quoslibet habetur, *Vt quisque alterum hominem aestimet atque tractet, tanquam naturaliter sibi aequalem*, seu vt aeque hominem.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap II.

In quo consistat illa

§. II. Consistit autem isthaec hominum *aequalitas* (1) non in eo solum, quod hominum

quod naturalis hominum aequalitas generale sit socialitatis fundamentum, & consequenter officiorum omnium cuiuslibet erga quemlibet. Quae enim inter homines cernitur societas, non semper eos ceu aequales respicit, sed datur saepius quaedam inaequalitas, quae efficit, vt alter superior sit, alter inferior, aut per naturam ipsam, aut vi praecepti cuiusdam legis naturalis. Vt adeo sub praetextu huius superioritatis facile quis eo opinionis queat procedere, ac si plus sibi potestatis in inferiores suos competat, quam per legem naturalem concessa est, ipseque ab omni erga illos officio sit solutus. Consideranda saltem erit detestanda illa consuetudo exponendi & interficiendi etiam infantes, quae adeo longo apud *Graecos* & *Romanos* tempore inualuit, vt quis certo sibi persuadeat, ad quanta homines scelera obliuio aequalitatis naturalis pertrahat. Jungamus his *Despotismum* illimitatum, quem tot olim principes in ius verterunt, nec nulli hodienum in diuersis orbis regionibus sibi vindicant.

§. II. (1) Seu potius ista *virium aequalitas* heic plane non attenditur, vbi de *aequalitate morali* agitur.

num adultorum *vires* fere sint aequales, hactenus, vt etiam imbecillior robustiori mortem adferre possit, per insidias, aut adiuuante dexteritate, armorumque habilitate; sed & in eo, quod licet vnus prae altero variis dotibus animi corporisque a natura sit ornatus, non eo minus tamen legis naturalis praecepta aduersus alios ei sint exercenda, atque ipse ab aliis idem exspectat, nec ideo plus licentiae ipsi concedatur alios iniuriis afficiendi. Sicuti & contra neminem parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna, per se ad id condemnat, vt deterioris conditionis circa fruitionem communis iuris sit, quam alii. Sed quae vnus ab altero postulare aut exspectare potest, eadem alii quoque, ceteris paribus, ab eodem debent: & quod iuris quis in alios statuit, eo ipsum vti maxime conuenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam socialem omnes homines aequaliter stringit*; nec vni magis licet leges naturales in alio violare, quam alteri (2). *naturalis aequalitas.*

Etsi

tur. Omne enim illud, quod aequalitatem physicam hominum in genere concernit, considerari tantum potest, ceu indicium aliquod, ex quo liceat colligere, nec voluisse Creatorem etiam ratione iuris homines naturaliter inaequales efficere.

(2) Et consequenter, si quis ad praecepta iuris naturalis, omnium hominum communis, erga alios violanda promtum & paratum se ostendat; eo ipso istos

Etsi nec desint *populares rationes* eam aequalitatem illustrantes; puta, quod ex eadem stirpe omnes descendamus, eodem modo nascamur, nutriamur, moriamur, quodque Deus nemini de stabili & inconcussa fortuna cauerit. Sicut & scita Religionis Christianae parando Numinis fauori non nobilitatem, potentiam, diuitiasue, sed pietatis sinceritatem commendant, quae aeque in humilem, quam illustri positum loco, cadere potest.

Consectaria ex hac *aequalitate* resultantia: 1. *Vt libenter alter alteri inser-*

§. III. Ex hacce porro aequalitate (1) consequitur, *eum, qui aliorum opera ad commodum usum vti vult, vicissim quoque in eorundem vsus sese dispensare* debere. Nam qui postulat, vt alii quidem sibi inseruiant, ipse contra semper

istos ab eorundem erga se obseruatione, quantum in se est, absoluit. Id quod in bello locum habet, cum restrictione tamen, quam adhibui in Additione nouae ed. de *I. N. & G. Lib. III. Cap. II.* §. 2. *not.* 6.

§. III. (1) Duo sunt consectaria, quae in hoc compendio Auctor non praetermittere, sed vel primo collocare loco debuisset. 1. Omnes homines, ad maturam aetatem prouectos, naturaliter esse liberos, atque inuicem independentes. 2. Non obstante illa, quam conditionum diuersitas inducit inaequalitate, eos, qui vel maxime super ceteros euecti sunt, inferiores suos, tanquam naturaliter sibi aequales tractare posse ac debere, omnem fastum ac insolentiam deponendo, nihil ab ipsis praeter id, quod sibi debetur exigendo, illudque ipsum, quod optimo iure illis debetur, benigne atque humaniter exigendo.

per immunis esse cupit, is alios vtique sibi inaequales ducit.

uiat, & aequum secum ius permittat.

Inde vti ad societatem quam maxime sunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt, quae sibi; ita plane insociabiles sunt, qui dum aliis superiores sese existimant, omnia licere sibi solis volunt, & ante ceteros honorem sibi arrogant, partemque praecipuam ex rebus in medio positis, vbi nullo prae reliquis eximio iure pollent. Vnde & inter communia legis naturalis officia est, *vt ne quis, cui peculiare ius non est quaesitum, plus sibi, quam reliquis arroget, sed alios aequo secum iure frui permittat.*

2. Vt in distribuendo inter alios iure aequum se praebeat.

§. IV. Eadem aequalitas quoque ostendit, quomodo quis sese debeat gerere, (1) *vbi ius inter alios ipsi sit distribuendum*; nempe *vt tanquam aequales eos tractet, & neutri praeter merita causae quid prae altero indulgeat.* Secus

§. IV. (1) Neque hic regula occurrit, quae ex OTTONIS sententia plane sit *extra oleas*. Iustum potius & magnae vtilitatis hoc est consectarium naturalis hominum aequalitatis; quippe cum contrarium fieri nequeat, quin supponatur, naturaliter alium alio potius habere ius ad res, quarum respectu iure vere aequali vtuntur. Distinctio, quam Auctor postea proponit, inter *ius* hominum *perfectum* & *imperfectum*, regulam quoad essentialia haud alterat. Si ex. c. princeps pro eo ac par est meritum personarum spectans, ex candidatis vnum reliquis omnibus praeferat, qui ad idem munus adspirarunt,

enim si fit, is, qui posthabetur, contumelia simul & iniuria adficitur, & dignatio a natura data eidem detrahitur.

Vnde consequitur, *vt res communis aequalibus portionibus inter aequales iure sit diuidenda. Vbi diuisionem res non admittit*, (1) *eadem communiter vti debent, qui aequale ius habent*, idque, si quantitas rei permittat, quantum quisque velit: sin res istud non ferat, vt tunc vtantur ea re *praefinito modo*, (3) *& proportionate ad numerum vtentium*. Alius enim modus excogitari non potest aequalitatem obseruandi. Quod *si autem neque diuidi res, neque communiter haberi possit, vsus eius sit vel alternus*, vel *si ne hoc quidem succedat, aut reliquis aequipollens praestari nequeat*, (4) *per sortem vni res erit*

aut varia conferat munera illis, qui ad singula maxime sunt idonei, ipsi haec metiri inaequalitas in candidatis variis, res ad iustam & proportionatam aequalitatem redigit. Quoniam tamen in huiusmodi casibus nullus *ius perfectum* habet ad rem, quam expetit, consequendam, princeps ne sic quidem facit alicui *iniuriam* proprie dictam, si & minus dignos praefeceat. Verum hoc ad externum tantum iuris effectum pertinet. Quoad interiora negotii princeps non desinit propterea personas istas, quasi naturaliter aequales haud essent, tractare, atque ita in officium suum peccare. Vid. *I. N. & G. Lib. III. Cap. I.* §. 3.

(2) Vt sunt *fluuius*, *fons*, &c.

(3) Vt si *pascua* sint pluribus communia.

(4) CARMICHAEL hic proponit medium, quod commodius existimat esse, scilicet vt, quorum res commu-

erit adiudicanda. Nam in eiusmodi casibus commodius, quam sors, remedium inueniri nequit, quippe (5) quae opinionem contemtus remouet, & cui non fauet, de dignatione nihil detrahit.

§. V. Contra hoc officium peccatur per *superbiam*, qua quis nulla de causa, aut non sufficiente, aliis se praefert, (1) & velut inaequales eosdem prae se despicit. *Nulla de causa*, dicimus. Nam vbi quis sibi rite ius quaesiuit, quod ipsi prae aliis praelationem dat; 3. *Vt superbiam vitet.*

M 2

communis est, auctionem instituant, cuius ope res illi relinquatur, qui licitando plurimum reliquis offerret, proportionatum tamen iuri aequali, quod ipse ad rem habet; qua ratione quilibet partem suam recepturus sit. Reuera omnia hic redeunt ad pacta inter participantes inita, qui consentire debent in auctionem, aut sortem, aut aliud medium. Quod si plerique hoc vel illud elegerint ac probarint, ceteri repugnando diutius vtique peccarent, quoniam praeter necessitatem pacem turbarent. Sin arbitrum potius constituerint, eiusque sententiae se subiecerint, oportet eam amplecti, seu bene, seu male pronuntiatum fuerit, dummodo nihil mala fide gestum sit. Vid. infra *Lib. II. Cap. I.* §. 10.

(5) Vid. Discursus meus *de natura sortis*, §. 38.

§. V. (1) Imo non aliter, quam per effectus aut signa externa contemtus, ex superbia fluentis, peccatur proprie in officium considerandi alios, tanquam naturaliter aequales. Vid. dicta a me in Ed. noua *I. N. & G. Lib. III. Cap. II.* §. 6. *not.* 3.

dat; (2) recte illud exercere & tueri potest, citra tamen inanem fastum, aut aliorum contemtum. Sicuti & contra quilibet alteri praelationem honoremque, qui ipsi debetur, merito praestat. De cetero verae *generositati* semper comes est honesta quaedam *humilitas*, quae consistit in reflexione, quam facimus super infirmitate naturae, & erroribus, quos olim potuimus commisisse, aut deinceps possumus committere, qui non minores sunt iis, qui ab aliis committi possunt. Per quam efficitur, vt nos nemini praeferamus, reputantes, caeteros aeque bene suo libero arbitrio, ac nos, vti posse, quo aeque pollent; cuius legitimus vsus vnicum illud est, quod homo pro suo reputare possit, & quo sese aestimare aut despicere queat.

Nulla autem de causa sese efferre, reuera ridiculum est vitium; quia & per se stultum, propter nihil se magni facere, & quia alios omnes pro stultis habet, quasi ipsum citra rationem essent aestimaturi.

4. *Vt contemtum ac contumeliam vitet.*

§. VI. Magis adhuc peccatur, si quis, *contemtum* aduersus alios ostendat signis exterioribus, (1) factis, verbis, vultu, risu, ac quacunque

(2) Quod tamen ita accipiendum est, vt *ius perfectum* sit, quod ordinarie a pacto aliquo, aut auctoritate superioris communis originem trahit. Vid. infra *Lib. II. Cap. XIV. §. 13. sq.*

§. VI. (1) Necesse tamen haud est, vt exteriora haec

cunque *contumelia*. Quod peccatum eo deterius est censendum, quo asperius aliorum animi in iras ac vlciscendi libidinem concitantur. Adeo vt multi deprehendantur, qui vitam malint praesenti periculo exponere, multo magis pacem aduersus alios abrumpere, quam contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & existimatio, cuius integritate & vigore omnis animi voluptas constat.

CAPVT VIII.

DE PROMISCVIS OFFICIIS HVMANITATIS EXERCENDIS, *TERTIO GENERALI OFFICIO CVIVSLIBET ERGA QVEMLIBET.*

§. I.

INter *officia quorumlibet erga quoslibet*, & quae propter communem socialitatem sunt exercenda, *tertio loco* id ponitur, (*a*) *vt quilibet alterius vtilitatem, quantum commode* potest, *Vt quilibet alterius vtilitatem, quantum commode*

M 3

haec signa in se ipsa cum iniuria coniuncta sint; sed sufficit vt sciamus, quod pro iniuriosis haberi queant, quodque qualitatem hanc ipsis imposuerit consuetudo peruulgata, aut saltem opinio eius, erga quem deliberato animo proferuntur.

potest, promoueat.
Tertium *absolutum officium.*
(a) Vid. J. N. & G. Lib III. Cap. III.

potest, promoueat. (1) Cum enim cognationem quandam inter homines natura constituerit, parum fuerit, alios non laesisse, aut contemsisse; sed talia quoque in alios conferenda, aut inuicem communicanda, ex quibus mutua inter homines beneuolentia alatur.

Prosumus autem *aliis* vel *indefinite*, vel *definite*; & quidem vt *vel nihil nobis*, scilicet per officia innoxiae vtilitatis, *vel aliquid*, nimirum per beneficia alia, *decedat.*

Quomodo prosimus aliis *indefinite.*

§. II. *Indefinite* aliorum commoda promotum it, qui animam ac corpus suum probe excolit, vt vtiles abs se actiones in alios proficisci queant; aut si per ingenii solertiam talia inueniat, quibus vita humana reddatur instructior. Vnde contra hoc officium peccare sunt censendi, qui nullam honestam artem addiscunt, vitaque per silentium transita, animam pro sale habent, ne putrescant, nummos tantum & fruges consumere nati. Et qui opibus per maiores relictis contenti, ideo impune abs se ignauiae litari credunt, quod aliorum industria iam sit partum, vnde victitent. Et qui diuitiis soli incubuere repertis, nec partem posuere suis. Item, qui ad porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. Et id farinae alia otiosa terrae pondera.

§. III.

§. I. (1) Hoc officium non nisi *imperfectam obligationem* imponit. Vide supra *Cap. II.* §. 14, *not.* 1.

§. III. Viciſſim illis, qui de mortalium genere bene mereri inſtituunt, ceteri hoc debent, vt ipſis ne inuideant; (1) nec praeclaris eorundem conatibus remoram iniiciant. Tum, ſi alia non ſit via paria cum iſtis faciendi, ſaltem celebritatem memoriae famaeque eorum, qui praecipuus laborum fructus eſt, promotum eant (2).

Quid debeamus illis, qui de publico bene merentur.

§. IV. *Definite* quis inſeruit, quando certis hominibus indulget, quod ipſis vtilitatem quandam adferre, & vel *citra ſuum detrimentum*, moleſtiamque aut laborem praeſtari poteſt: quale quid non libenter in alios diſpenſare velle, deteſtanda malignitas & inhumanitas habetur. Quae vocari ſolent *res innoxiae vtilitatis*; ſeu quae accipienti proſunt, praeſtantem non grauant. Vti ſunt, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monſtrare viam. Sic ſi quis rem aliquam amplius poſſidere nolit, propter nimiam copiam, aut quia adſeruatio eius ipſi moleſta eſt; cur non malit eam potius integram re-

Quomodo proſimus aliis *definite*, per *officia innoxiae vtilitatis*.

§. III. (1) Quin etiam promouendi atque adiuuandi ſunt pro viribus, qui inſeruire quocunque modo publico ſummo ſtudio contendunt; praeſertim ſi egregijs ad hoc ipſum dotibus inſtructi ſint.

(2) Calcar enim hoc quoque addit aliis, qui ad imitanda eiusmodi exempla hac ratione excitari poſſunt.

linquere, vt aliis, non hostibus, vsum praebere possit, quam eandem corrumpere? Sic non fas, nutrimentum perdere, vbi nos saturati sumus; neque fontem obturare aut occultare, vbi nos affatim bibimus; neque signa nauigationis itinerisque abolere, postquam iis vsi sumus. Huc pertinent modicae stipes locupletum in egenos collatae; item illa humanitas, quae iusta de causa peregrinantibus exhibetur, praesertim vbi aliqua ipsos calamitas oppresserit, & eius generis alia.

De *benefiiis* proprie sic dictis. §. V. Sublimior gradus humanitatis est, ex singulari beneuolentia gratis quid in alterum conferre, impensa aut opera laboriosa constans, quo ipsius necessitatibus subueniatur, aut eidem insignis quaepiam vtilitas concilietur. Quae κατ' ἐξοχὴν vocantur *beneficia*; aptissima materia insignem laudem parandi, si magnitudo animi & prudentia eadem rite temperauerit.

Eorum dispensationem ac modum fere conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id cumprimis obseruandum, 1. *ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videtur fieri,* (1) *& ceteris*: 2. deinde *ne maior benignitas sit, quam*

§. V. (1) Intempestiua enim v. c. liberalitas fuerit, mendico robusto, aliisque id genus hominibus largiri, quos coniicere omnino liceat abusuros dato munere ad alendam luxuriam, ad patrandum scelus nequitiamue &c.

quam facultas: 3. tum *vt pro dignitate cuique tribuatur*, & quidem ante omnia bene meritis, tum vt quisque noſtrae opis indigeat, obſeruatis quoque coniunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque, quid cuique maxime neceſſe ſit, (2) & quid quisque nobiſcum, aut ſine nobis, poſſit conſequi, aut non poſſit. 4. *Modus* quoque *dandi multum gratiae beneficiis addit*, ſi hilari fronte, promte, & cum conteſtatione beneuolentiae demus (3).

§. VI. Viciſſim in eo, qui beneficium accepit, exiſtere debet *gratus animus*; quo is oſtendit, iſtud ſibi acceptum fuiſſe, dantique eam ob cauſam fauet, & occaſionem quaerit paria reponendi, aut amplius, *quantum eius fieri poteſt*. Nam id non neceſſarium eſt, vt prae- De *gratitudine.*

M 5

(2) Quandoquidem in hiſce omnibus Auctor ipſis verbis vtitur CICERONIS de *offic. Lib. I. Cap. XIV. XVIII.* explicari eius mens melius non poterit, quam ſi exemplum, ab Oratore ac Philoſopho Romano adlatum, heic referam. *Non iidem*, inquit, *ſunt* ſemper *neceſſitudinum gradus, qui & temporum. Suntque*, pergit, *officia, quae aliis magis, quam aliis debeantur; vt vicinum citius adiuueris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem; at ſi lis in iudicio ſit, propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis.*

(3) Par quoque, ſi fieri queat, fuerit, inopum praeuenire neceſſitates, iis clam ferre opem, ac tempeſtiue; quicquid inſultationem oſtentationemue redolet, euitare, &c.

praecise tantum reddamus, quanti id fuit, quod datum est; sed saepe studium & conatus obligationem explent.

Modo tamen nihil sit, quod ei, qui beneficium se dedisse praetendit, recte opponi possit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, si me in eas prius coniecerat.

Necessitas referendae gratiae.

§. VII. Ceterum quo magis ad deuinciendos hominum animos apta sunt beneficia; eo acrius ad gratiam referendam incumbere debet, qui ista accepit. Saltem ne eum, qui fiducia nostri prior nobis benefecit, ob eam rem deteriore esse conditione patiamur; neue beneficium accipiamus, nisi animo nitendi, ne dantem merito dati poeniteat. Nam si certam ob caussam peculiariter alicui nolimus obligari, licebat oblatum beneficium dextre recusare. Et sane si absque necessitate gratiae referendae foret, contra rationem fecerit, (1) si quis sua temere iactauerit, & quod periturum prospicit;

§ VII. (1) Ex quo quidem satis apparet, prout pleroramque mortalium est indoles, necessum fere esse, vt ad conferenda in alios beneficia spes referendae gratiae eos peculiariter commoueat. At si res in se spectetur mero beneuolentiae atque officii impulsu exerceri vera beneficentia debet: eique quauis retributionis exspectatione multum decedit pretii. Auctor noster verbotenus heic exscribendo HOBBESIVM *de ciue* III, 8. non adtendit, eum ex diuersis plane principiis ratiocinari; quemadmodum ex iis adparet, quae ipse §. sequenti tradit.

ſpicit, beneficium, prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, vnaque omnis beneuolentia: neque eſſet inter eos quicquam gratuitae opis, nec vllum gratiae conciliandae initium.

§. VIII. Quanquam autem in *animo ingrato* per ſe nulla ſit iniuria; foedius tamen & magis odioſum ac deteſtabile habetur nomen *ingrati*, quam *iniuſti*. Cenſetur enim animi valde abiecti & degeneris, ſeipſum indignum declarare eo iudicio, quod alter de ipſius probitate tulit; ac ne beneficiis quidem, quae etiam bruta demulcent, moueri poſſe ad concipiendum humanitatis ſenſum.

Quam foeda ac odioſa ſit *ingratitudo*.

In foro tamen ciuili ob *ſimplicem ingratitudinem*, ſeu vbi quis nudi beneficii obliuiſcitur, &, occaſione data, id referre negligit, (1) actio non ſolet dari. Pars enim optima beneficii perit, ſi actio, vti certae pecuniae, detur: iam enim creditum eſſe incipiet. Et cum res honeſtiſſima ſit, referre gratiam; deſinet eſſe ita ſplendide honeſta, ſi ſit neceſſaria. Denique huic vni legi vix omnia fora eſſent ſuffectura, ob difficillimam aeſtimationem circumſtantiarum, quae beneficium vel intendunt, vel eleuant. Et eam ipſam ob cau-

§. VIII. (1) Nec etiam in ſtatu naturali ſimplicem ingratitudinem armis licet vindicare.

causam beneficium dedi, i. e. eius, quod dedi, refusionem mihi stipulatus non sum, vt & alteri foret occasio ostendendi, se honesti amore, non ex metu poenae humanae, aut coactionis, gratiam retulisse; vtque ipse non spe lucri, sed ob humanitatem exercendam, videar erogasse, de quo recipiendo mihi caveri noluerim.

Enimuero qui non solum beneficium non rependit, sed & *benefactori* insuper *malum reponit*; ille ob hocce factum eo grauiore poena est afficiendus, quo foediorem animi malignitatem sibi inesse ostendit.

CAPVT IX.

DE OFFICIIS *PACISCENTIVM IN GENERE.*

§. I.

Per *pacta* sponte inita fit velut transitus ad *officia hypotheticae* erga alios.

AB *officiis absolutis* ad *hypothetica* fit velut transitus per *pacta* intermedia: quippe cum omnia officia, praeter iam enumerata, pactum expressum aut tacitum videantur praesupponere. (*a*) Igitur hoc loco agendum erit de natura pactorum, & quid illa ineuntibus obseruandum sit.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. IV. Ne.

§. II. Fuisse autem necessarium, pacta inter homines iniri, satis manifestum est. Quanquam

m enim officia *humanitatis* late sese per vi- humanam diffundant; haut quidquam ta- 1 ex eo solo fonte deduci omnia possunt, e hominibus a se inuicem vtiliter percipe- cebat. Nam neque quibusuis ea est in- ii bonitas, vt omnia, quibus aliis prod- possunt, ex sola humanitate velint prae- : , citra exploratam spem paria recipiendi. requenter illa, quae ab aliis in nos profi- i queunt, eiusmodi sunt, vt gratis eadem is exhiberi, salua fronte postulare nequea- :. Saepe quoque nostram fortunam, aut onam non decet, alteri tale beneficium ere. Adeoque vt plurimum alter dare potest, saepe nos accipere nolumus, nisi paria a nobis recipiat. Non raro denique , qua ratione commodis nostris inseruire int. Igitur vt mutua inter homines offi- qui fructus est socialitatis, eo crebrius, l certas velut regulas exerceantur; neces- fuit, homines ipsos inter se conuenire su- :iusmodi rebus inuicem praestandis, quae ola humanitatis lege certo sibi polliceri liis non poterant; adeoque in antecessum rminandum fuit, quid alteri quis (1) prae- stare,

cessitas in- eundorum huiusmodi pactorum.

II. (1) Necessum fuit, iniri pacta & promissa olum 1. ad producendas nouas obligationes, d imponendam alicui obligationem certas res fa- li aut omittendi, ad quas nulla alias ratione te- neba-

stare, quidque ab eodem iterum exspectare, suoque iure exigere deberet. Id ipsum autem fit per *promissa* & *pacta*.

Fides data religiose seruanda est.

§. III. Circa isthaec generale officium, ex lege naturali debitum, est, vt *quilibet fidem datam seruet*, seu promissa & pacta expleat.

Citra

---

nebatur, ceu natura sua plane liberas ac indifferentes: verum etiam 2. ad perfectas reddendas obligationes, quae antea non nisi erant imperfectae. E. g. cum quis in eiusmodi etiam circumstantiis versatur, quibus ex legibus humanitatis aut caritatis vendere aliis, mutuare, aut donare de suo deberet, ita vt negare ipsis minus rectum sit: hi nihilominus queri de *iniuria* hactenus non possunt, donec ad praestandam ipsis, qua indigent, opem, alter sese peculiariter obstrinxerit. Verum statim atque data fides est, aeque valida fit obligatio, ac sunt illae, quarum adimpletionem plenissimo iure ac per vim etiam licet exigere. 3. Inseruiunt quoque hae conuentiones tollendis, quae incumbebant, obligationibus; vt si creditor expresse aut tacite, liberare se debitorem, testetur. Quorsum etiam referri possunt *transactiones*, aut compositiones, ad terminandas quae inter aliquos intercessere controuersias pertinentes, quibus singulae partes aliquid de iure suo, quod sibi competere existimant, remittunt. 4. Denique hanc quoque virtutem conuentiones habent, vt interruptas, aut etiam penitus exstinctas obligationes valori ac vigori suo restituant. Quod in tractatibus pacis conspicitur, quibus componitur bellum; item in illis transactionibus, quibus vxorem adulterii, aut alterius cuiuspiam perfidiae, iustam diuortio caussam praebentis, accusatam conuictamque maritus dignatur recipere.

Citra hoc enim si esset, plurima pars vtilitatis periret, quae humano generi, communicatis inuicem operis ac rebus, enasci apta est. Et ni promissa seruandi necessitas foret, haut quidquam liceret rationes suas firmiter aliorum hominum subsidiis superstruere. Quin & ex decepta fide iustissimae querelarum bellique causae pullulare sunt idoneae. Nam vbi ego ex pacto aliquid praestiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera frustra periit. Sin vero nihil adhuc praestiti, rationes tamen & destinata mea turbari, molestum est; cum alio modo rebus meis potuissem consulere, nisi iste se mihi obtulisset. Et indignum est ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi (1).

§. IV. Obseruandum autem, ea, quae ex solo *humanitatis officio* debentur, in hoc potissimum differre ab iis, quae ex *pacto* aut *promisso* perfecto debentur, quod ista quidem recte petantur, & honeste praestentur, sed vbi alter

Differentia inter illa, quae ex sola *humanitate*, & quae ex *pacto* aut *promisso* debentur.

§. III. (1) In omni *pacto voluntario* (ad quod *conuentiones* & *promissa* redeunt) pars altera concedit alteri ius quoddam, & quidem *ius perfectum*, aut in *actionum* suarum quampiam, aut in aliquam *rerum* suarum: vnde & ob id solum pars altera, quae ius illud acceptauit, se inuita, & citra damnum, eo spoliari nequit. Ita vero obligatio ad fidem seruandam re ipsa non nisi naturale consectarium est summi illius & primi *officii absoluti*, quo de Cap. VI. actum est.

alter ea vltro praestare neglexerit, de inhumanitate duntaxat, feritate aut duritia eiusdem queri possum; non tamen per violentiam propriam, aut superioris, eundem ad praestandum cogere. Id quod tamen licet, vbi vltro non praestantur, quae ex promisso perfecto, aut pacto debentur. Inde etiam ad illa *ius imperfectum*, ad haec *ius perfectum* habere; sicut & ad illa *imperfecte*, ad haec *perfecte obligari* dicimur.

Diuisio *pactorum* generalis. (a) Vid. J.N.&G. Lib. III. Cap. V.

§. V. (a) Fidem damus vel per *actum solitarium*, seu μονόπλευρον, vel per *actum reciprocum*, seu δίπλευρον. Quandoque enim vnus se duntaxat ad quid praestandum obstringit; quandoque autem duo pluresue mutuo se ad quid praestandum obligant. Prior actus vocatur *promissum gratuitum*, posterior *pactum*.

Quid sit *promissio imperfecta*.

§. VI. *Promissio*, quatenus pacto opponitur, potest diuidi in *imperfectam* & *perfectam*.

Illa est, quando ipsi quidem, qui promittimus, vtique obligari volumus; vt tamen alteri ius ad exigendum non demus, seu vt nolimus ad promissum nostrum implendum violenter compelli. V. g. Si ita concipiam promissum, *ego serio destinaui hoc vel illud tibi praestare, & peto, vt mihi credas.* Sic enim videor obligatus magis ex lege *veracitatis*, quam *iustitiae*; maloque videri propriae constantiae & grauitatis impulsu ferri ad faciendum officium,

cium, quam propter ius alterius. Huc spectant pollicitationes virorum potentum aut gratiosorum, quibus alicui non per verba honoris, sed serio suam commendationem, intercessionem, promotionem, aut suffragium spondent; quae tamen hautquaquam velut iure aliquo abs se volunt exigi, sed in solidum suae humanitati ac veracitati cupiunt imputari; vt officii sui gratia eo maior sit, quo longius ab eodem coactio abfuerit.

§. VII. *Perfecta* autem *promissio* est, quando non solum ipse vtique obligari volo, sed & simul ius in alterum confero, vt rem promissam velut debitam plene a me poscere queat (1). Quid sit *promissio perfecta.*

§. VIII. Porro vt pacta & promissa nos obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea iure poteramus facere, maxime requiritur *vltroneus* noster *consensus.* (*a*) Nam cum cuiusuis promissi & pacti impletio cum aliquo onere sit coniuncta; nulla propior ratio est, quare super eo conqueri recte nequeamus, quam quia vltro in id *consensimus*, quod euitare penes nos erat. In pactis & promissis absolute necessarius est *consensus.* (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. VI.

§. IX. *Consensus* etsi regulariter per *signa*, puta voces, litteras, nutusque exprimi soleat; (*a*) aliquando tamen contingit, vt ille citra isthaec Quomodo iste *consensus* exprimatur. De *pactis tacitis.*

§. VII. (1) Non nisi illa proprie huc pertinet. (*a*) Vid.

J. N. & G. Lib. III. Cap. VI. §. 16.

isthaec signa, ex ipsa (1) negotii natura, (2) aliisque circumstantiis liquido colligatur. Sicuti interdum *silentium*, cum certis circumstantiis consideratum, loco signi (3) consensum

§. IX. (1) E. g. si creditor debitori acceptum ab eo in securitatem crediti chirographum reddat: hoc enim ipso is paciscitur, se nihil ab eo repetiturum, nisi alias expressa declaratione, aut liquida quadam circumstantia adpareat, ipsi in animo non esse debitorem liberare, sed tantum ipsius arbitrio atque fidei modum aut tempus solutionis permittere, aut compensationem instituere &c. Sic quoque ex ipsa negotii natura, is qui in diuersorio mensae vna cum aliis adsedit, ad soluendum vsitatum conuiuii pretium consensisse intelligitur, etsi nullum ad hospitem verbum circa hoc locutus sit. Similesque casus innumeri occurrunt, quibus, quod quis certas res fecit aut omisit, quae per se directe ad declarandam paciscendi voluntatem non faciunt, censetur nihilominus & censeri potest cum ratione pacisci voluisse, siue id in animo habuerit, siue minus: quoniam scire poterat & debebat, quod pro more recepto, aut ob circumstantias varias, actio vel omissio cum reali pacto coniuncta sit.

(2) Talia sunt certa signa ex hominum instituto orta, quae pro ratione temporum ac locorum variant. Sic e.g. rusticus a Praefecto militari nummum argenteum accipiens, eoque propinante, in salutem Regis bibens, militiae nomen dedisse censetur.

(3) Hoc valet, cum is, cuius res agitur, praesens, aut alias sufficienter de negotio informatus est, cui se opponere debuisset, si quidem videri noluisset consentire. E. g. si quis se pro altero adstanre, tertio cuipiam hujus creditori fideiussorem fore declaret, debitor

sum exprimentis valet. Vnde & dantur *pacta tacita*; quando nempe consensus noster, non per eiusmodi signa, quae regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur, sed quando idem ex negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligitur. Sic & *principali pacto* saepe adhaeret *pactum tacitum*, quod ex ipsa negotii natura profluit. Sicut & vsitatissimum est, vt in pactis *tacitae* quaedam *exceptiones* & *conditiones* necessariae sint subintelligendae (4).

§. X. Vt autem aliquis liquido consentire possit, requiritur *vsus rationis* hactenus, vt praesens negotium intelligat, an sibi conueniat, & abs se praestari queat, eoque perpenso, consensum suum sufficientibus signis exprimere possit.

Vt aliquis vere *consentiat*, requiritur 1. *vsus rationis liber*.

Vnde sequitur, promissa & pacta *infantum*, vt & *amentium*, ac *furiosorum* (nisi vbi dilucidi

De promissis *infantum*, *amentium*.

bitor eo ipso, quod filet, illum fideiussorem suum constituisse censetur. Locator rei alicuius, qui post elapsum conductionis terminum, conductorem in re locata continuare patitur, renouasse locationem censetur. Aliud exemplum vide Numeror. XXX, 4. 5.

(4) E. g. Qui ex praedio vendito aliquam sibi particulam reseruat, eo ipso viam, quae eo ducit, tacite sibi reseruat. Et sane subtilitati vanae tribuendum est, quod apud veteres *Romanos* vsus aliquis contrarius obtinuit, de quo loquitur NOODTIVS *obseru.* II, 27. ac si tempore *Ciceronis* ac *Labeonis* vim legis obtinuerit.

tium ac *ebriorum.* lucidis intervallis furor distinguitur) nulla esse.

Id quod & de promissis *ebriorum* est pronuntiandum, si ebrietas iam eo vsque processerit, (1) vt ratio sit plane obruta & sopita. Nam pro vero & deliberato consensu haberi nequit, si quis vel maxime momentaneo & inconsulto impetu in aliquid inclinet, aut signa quaedam edat consensum alias exprimentia, eo tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promissum, praesertim cum magno onere coniunctum, exigere velle. Quin si quis ebrietatem eam captauit, & obseruata alterius facilitate promissum astute elicuit, ne abs doli quidem fraudisque crimine immunis erit. Ast qui, discussa crapula, per ebrietatem acta rata habuerit, vtrique obligabitur, non tam ex eo, quod ebrius, quam quod sobrius egit.

De promissis *puerorum* ac *iuniorum.* §. XI. Ceterum quousque in *pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, lege naturali adeo accurate defi-

§. X. (1) Sed prorsus necessarium haud est, vt ebrietas ad hunc gradum peruenerit. Sufficit enim, quod nimius vini vsus satis magnam vim habeat ad persuadendum alicui, vt pactum ineat, in quod sobrius non consensisset. Quod quidem necessario fluit ex plena libertate, qua pollemus, pactum aliquod ineundi, aut non ineundi. Vid. ad *I. N. & G. Lib. III. Cap. VI. §. 5. not. 2.* Ed. nouae.

definiri nequit, cum in aliis citius, in aliis tardius iudicium maturescat; sed illud est ex cuiusuis quotidianis actionibus iudicandum. Etsi in plerisque ciuitatibus leges ciuiles certum heic temporis terminum in vniuersum constituerint. Sicuti & alicubi salutariter est receptum, vt aliorum prudentiorum auctoritatem adhibere necessum haberent in contrahendis obligationibus, quousque inconsultus ille iuuentae impetus deferbuisset. Quippe cum ea aetas, etiam quando negotium, quod geritur, intelligit, vehementi fere ac parum prouido impetu feratur, ac in promissa sit facilis, spei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitiose colendas prona, ac diffidere nescia. Vnde & dolo vix caret, qui istius aetatis facilitati imminet, & *iuniorum* dispendiis locupletari vult, quae isti per iudicii imbecillitatem praeuidere aut aestimare non norunt.

§. XII. Consensum quoque impedit *error*. Circa quem hae regulae sunt obseruandae:

2. Ad verum consensum requiritur notitia idonea. Effectus erroris in promissis ac pactis.

1. *Vbi in promissione aliquid tanquam conditionem suppofuerim*, (1) *citra cuius intuitum promissurus non fueram, naturaliter promissionis nulla erit vis.* Nam promissor consensit non absolute, sed sub conditione; qua non apparente, promissio quoque nulla est.

§ XII. (1) Supposita conditio aliquando ex ipsa negotii natura fluit; vt si quis cum femina, virginem

2. *Si ex errore (2) ad pacifcendum aut contrahendum fuerim impulfus, eumque, re integra, & quando nihil adhuc fuit praeftitum, deprehendero; aequum fane fuerit, vt facultas poeni-* *tendi*

nem fe ferente, contraxerit fponfalia; aut pater certum quantum in dotem filiae promiferit: ftatim enim ac defloratа femina deprehenditur, nulla fiunt fponfalia; nec validior etiam eft dotis promiffio, fi nuptiae fecutae non fint: quamuis de hoc cafu nihil ante vel a fponfo, vel a patre dictum fuerit. Verum interdum etiam conditioni cum negotii natura nullus per fe nexus intercedit: & tunc, licet hac vel illa ratione id fignificandum fit, quod fupponitur, non tamen femper diferte iftud fieri neceffum eft. Ita fi e. g. alteri dixerim: *duo mihi funt huius libri exemplaria, vnum tibi dabo*; fufficit hoc, vt ad exhibendum non tenear, fi deprehenderim poftea, me errauiffe, nec nifi vnum in bibliotheca mea exemplar offenderim libri, quem promiferam, duo mihi fuppetere exemplaria exiftimans. Cum enim heic de promiffis mere gratuitis agatur, a promiffore nihil aliud poteft exigi, nifi vt bona fide in errore verfatus fit: neque enim is ante promiffionem factum, quod fuppofuit, fumma cum diligentia ad examen reuocare tenebatur; ita vt, fi alter, cui promiffum erat, hoc ceu indubium exfpectauerit, habeat, quod fibi imputet.

(2) Dummodo error circa aliquid pacto effentiale verfetur, id eft, neceffario coniunctus fit cum praefentis negotii natura, aut alterius contrahentium intentione, tempore contractus fignificata, ac pro caufa, citra quam contractus non fuiffet initus, vtrinque agnita: alioquin enim error vt in contractum non influit,

tendi mihi concedatur : praesertim vbi prae me tulero, dum ad paciscendum accedo, quae me caussa impellat, nec alter ex mea poenitentia detrimentum patiatur, aut id pensare ego paratus sim. *Verum vbi res non amplius est integra, & vbi error tunc demum patuerit, quando iam pactum est impletum ex toto, aut ex parte; qui errauit, a pacto resilere non poterit*, nisi quantum alter ex humanitate velit indulgere.

3. *Vbi error contigerit circa ipsam rem, de qua conuenitur, pactum vitiatur, non tam ob errorem,* (3) *quam quia legibus pacti non fuit satis-*

 factum.

fluit, ita neque hunc irritum reddit, siue sit praestitum quid, siue minus. E. g. si persuasus, me equum meum amisisse, alium emerim, quem citra istud empturus non fueram, ac deinde equum meum inuenerim, propterea venditorem ad recipiendum equum suum, quamuis nec traditus ipse, nec solutum conuentum pretium fuerit, adigere non possum, nisi inter contrahendum diserte stipulatus sim, nec solum confabulantium more prae me tulerim, me equum hunc non emere, nisi amissum meum supponerem. Vide, quae dixi ad J. N. & G. *Lib. III. Cap. VI.* §. 7. *not.* 2. Vnde nullo nititur fundamento distinctio Auctoris, *prout res adhuc integra sit, aut minus*: quoniam conuentio, si essentiale quid desideretur, semper nulla efficitur; vti e contrario semper valida est, cum error, qui ad paciscendum aut contrahendum impulit, nihil quod pacto aut contractui essentiale est concernit.

(3) Haec ratio vt patet ex priori sequitur, adeoque opponi inuicem non debuissent.

factum. Nam in pactis ipsa res, de qua conuenitur, eiusque qualitates debent esse cognitae; citra quam cognitionem liquidus consensus intelligi nequit. Vnde defectu deprehenso, qui laedendus fuerat, (4) vel a contractu resilire potest, vel alterum ad defectum supplen-

(4) Pactum est nullum, si errore deceptus id, circa quod erratum est, praecipue ante oculos habuerit. Verum si illud ipsum non praecipue ante oculos habuerit, tametsi alias maluisset, rem talem esse, qualem esse persuasus fuit; subsistit tamen conuentio, salvemque is ius habet reparationem defectus, quem non attenderat, exigendi. Vide, quae dixi ad J. N. & G. *Lib. III. Cap. VI* §. 7. *not.* 4. 5. E. g. si quis, emtis aedibus, intelligat, aliquem in iisdem ius *vsusfructus* habere, aut *habitationis* in aliquibus conclauibus, hoc ad dissoluendum penitus contractum sufficit; quia quicunque adquirere proprietatem aedium vult, regulariter omnibus earundem conclauibus ac commodis frui intendit. At deprehensa aliqua, praesertim non adeo molesta *seruitus*, saepe contractum validum relinquere potest, ac ius tantum tribuere, pretii imminutionem petendi, si nihil dictum sit, ex quo potuerit intelligi, emtorem aedes ab omni seruitute immunes supposuisse. Quamuis enim vicinus e. g. facultatem eundi per partem praedii mei habeat, non tamen propterea minus huius partis & mihi vsus patet. Vnde facile praesumere licet, me, etsi de hac seruitute constitisset, non tamen ab emendis aedibus destiturum, sed hoc intuitu aliquid tantum de pretio cum venditore pacto detracturum fuisse. Ceterum in omnibus illis casibus, qui ad tertiam hanc regulam referuntur, supponitur, a neutro contrahentium

supplendum adigere, vel etiam ad praestandum id, quod interest, vbi ipsius dolus aut culpa interuenit.

§. XIII. Quod si quis *dolo* & malitiosa (1) *fraudulentia* alterius inductus fuit ad pro- Effectus *doli* aut fraudis.

N 5 mit-

tium malam fidem esse adhibitam: quod si enim alterutrius mala fides interuenerit, ex regulis sequentis §. de hoc erit iudicandum. Iam vero aliquando vterque contrahens bona fide errat, aliquando alter tantum. Prior casus contingit circa res, quarum qualitatem aut pretium neuter contrahentium satis valet cognoscere; vt si quis lapillorum pretiosorum imperitus alteri aeque imperito spurias margaritas pro genuinis, & vice versa; aut si indoctus aeque indocto egregium aliquod Manuscriptum, aut rarionem librum vendiderit. Sed fieri potest, vt non nisi alter contrahentium decipiatur, nec propterea alterius dolus intercedat. Idque locum habet, cum res, de qua contrahitur, indefinite tantum designatur, vt si quaeratur: *quantum huius rei desideras?* & cum alioqui res ex earum est censu, quarum pretium extra ordinem variat, pluresque diuersissimos recipit gradus: nam si e. c. ageretur de pelui stannea, quam quis pro argentea haberet, ingens sane diuersitas ordinarii metalli vtriusque pretii necessario malam fidem in vno alteroue contrahentium supponeret. Quod si nec mala fides in contrahentium altero, nec satis ampla intentionis argumenta in eo, qui se errasse dicit, manifeste apparent, eo peius ipsi consulitur, quoniam ipsius vnice intererat, mentem suam satis exprimere. Et haec est regula, quam in dubio sequi decet.

§. XIII. (1) Datur *fraus positiua*, cum immediate quis, vel mediante alio aliquid facit, quo ad

mittendum aut paciſcendum, ita eſt habendum:

1. *Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo, quicum paciſcimur, negotium erit* (2) *firmum:* ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus repetere id, quod intererat, nos non fuiſſe deceptos.

2. *Qui dolo ſuo malo cauſam dedit, vt ipſi quid promitterem, cum eoue paciſcerer, ei ex iſthoc actu haut quidquam obligor.*

3. *Si quis vltro quidem & liquida cum deſtinatione*

ad credendum id, quod non eſt, promittens vel paciſcens inducitur. E. g. Si quis ſpurium adamantem pro genuino exhibeat; aut ſi, verbo quidem nullo prolato, rem clarae luci haud exponendo, aut alia quapiam ratione efficiat, vt merx alius plane coloris aut qualitatis videatur, ac reuera eſt. Sed datur etiam *fraus negatiua*, cum reticentur aut diſſimulantur eſſentialia quaedam, ſiue quis conſilium ante fallendi ceperit, ſiue tantum errorem alterius in rem ſuam vertat; vt ſi venditor emtorem ſpurias margaritas pro genuinis habere conſpiciens, iſtum de errore non commonefaciat.

(2) Dummodo ratio, quae, intercedente huius tertii dolo, nos ad promittendum aut paciſcendum mouit, nullum cum ipſa conuentionis natura neceſſarium nexum habeat. Quod ſi enim e. g. perſuaſus ab aliquo, omnes mihi equos periiſſe, alios coëmerim, addita expreſſa clauſula, me non alia id conditione facere, quam quod ſupponam *id, quod mihi nuntiatum eſt, verum eſſe*; eo ipſo momento, quo mendacium detego, contractus redditur irritus: ſaluo interea venditoris aduerſus eum, qui me deceperat, iure.

natione animi ad paciscendum accesserit, in ipso tamen negotio, puta, circa obiectum, eiusue qualitates & aestimationem dolus intercesserit; hactenus pactum erit vitiosum, vt in arbitrio decepti sit, illud penitus dissoluere, aut laesionis pensationem exigere (3).

4. *Quae ad essentiam negotii non faciunt, nec expresse fuerunt designata, actum de cetero rite conceptum non vitiant*; licet forte alter de iis, lum paciscitur, tacite cogitauit, aut (4) eius pinio astu fuit confirmata, quousque contractus conclusus foret.

§. XIV.

(3) Quod si deceptor ipse se deceperit, vt si existimans, se pro vera gemma falsum adamantem, aut yxidem chalybeam politam pro argentea vendere, adiderit ex errore adamantem multo maioris pretii, it pyxidem confectam ex argento puriore, ac em-r exspectabat; hic fraudulento mercatori neque ad stituendum, recepto pretio, adamantem aut pyxim, neque ad supplendum, quod iusto pretio deest, bligatur, cum iste iacturam, quae sibi praeter inationem accidit, satis mereatur, dum alterius disndio iniuste cupiebat locupletari.

(4) E. g. si quis ambiens puellam nuptiis, eam diem esse, aut nobilem existimet, etsi in falsa hac inione parentes ipsum versari siuerint, aut detinuet, non ideo minus valida sunt sponsalia; dummo-nulla exstet clausula, quae supponat, ipsum non nisi c casu sponsalia contraxisse, si nobilis puella, aut llens opibus fuerit. Quippe citra talem clausulam, a magis diuitiae in sponsa, aut nobilitas generis ad entiam sponsaliorum, quam elegantia formae, perti-

3. Ad consensum verum requiritur *plena agendi libertas*. An *metus deceptionis* pactum reddat irritum?

§. XIV. *Metus*, qui circa promissa & pacta interuenit, dupliciter sumitur: vel pro *suspicione* probabili, fore, vt ab altero decipiamur; idque, vel quia eiusmodi vitium in animo ipsius haeret, aut quia malignam suam voluntatem sat perspicue significauit: vel pro vehementi *animi terrore*, orto ex intentato graui malo, ni promissum aut pactum inire velimus. Circa priorem speciem metus ita est habendum:

1. *Qui confidit illius promissis & pactis, cui* (1) *fidei religio in vniuersum nihili sit, imprudenter quidem facit; sed eam solam ob causam pactum non redditur irritum.*

2. *Vbi pactum iam sit initum, ac nulla noua emergant indicia intentatae deceptionis; non licebit a pacto resilire ex obtentu vitiorum, quae ante pactum*

pertinent. Idem sentiendum de casu, quem refert CICERO *de offic. Lib. III. Cap. XIV.* supposito, quod non diserte *Pythius Canio* adseruerit, prope hortulos suos adesse quotidie piscatores; & quod *Canius* conspectis ibi forte illa die piscatoribus, vlterius haud percontatus, ordinarie istud fieri opinatus sit.

§. XIV. (1) Tales sunt *piratae*, *latrones*, *meretrices*, *athei &c.* Quantumuis enim male de id genus hominibus sentiamus; eo ipso tamen, quod ad paciscendum cum iis serio ac libere accedimus, declaramus, quod fidem vtique eis habeamus, & hactenus cum ipsis, ceu probis honestisque agimus, eoque exceptioni, quae alioquin ex ipsorum vita & moribus peti poterat, renuntiamus.

pactum erant cognita. Nam quae causa aliquem non prohibuit, quo minus pacisceretur, eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat.

3. *Vbi post pactum initum certissima emergant indicia, alterum id agere, vt mihi,* (2) *quando meum priore loco praestitero, illudat; non prius ad praestandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi cautum sit.*

§. XV. Circa alteram speciem *metus* hae regulae obseruandae: De *metu grauis mali.*

1. *Pacta, quae ineuntur propter metum a tertio incussum,* (1) *valida sunt.* Nam in hoc vtique

(2) Consequenter itaque hic supponitur, ipsum, qui iustam diffidentiae causam habet, promisisse in pacto, se priore loco quid praestiturum. Alioqui nullus datur scrupulus, quoniam si alter ipse debet praestationem inchoare, aut saltem eodem promissa praestare tempore, hoc ipsum quod recusat, satis liberat alterum a priore praestatione.

§ XV. (1) Vt si e.g. in manus piratarum aut latronum illapsus, pecuniam mutuo acceperim ad redimendam libertatem &c. aut si alicui grassante bello, aut itinere minus tuto, vt securitatem mihi praestet, mercedem promiserim, &c. Verum quod ad pactum attinet, per se ad vtilitatem vtriusque paciscentium spectans, quod nihilominus, si vis abfuisset, initum haud fuisset, dispiciendum est, metusne alteri innotuerit, nec ne. Posteriori casu pactum est validum, vt si quis a tertio quodam coactus metu, rem emerit aut vendiderit, quod alioqui non erat facturus. At si venditor aut emtor certo nouerit, alterum paciscentem

vtique nullum residet vitium, quo minus ius ex pacto sibi aduersus me adquirere queat; & metum ab altero intentatum discussisse, pensatione vtique dignum est.

2. *Quae pacta ex metu aut reuerentia* (2) *imperii legitimi ineuntur, aut ob* (3) *auctoritatem eorum, quibus magnopere deuincti sumus, valida sunt.*

3. *Pacta, ad quae ab illo ipso, cui promittit, aut quicum paciscitur, iniusta eiusdem vi quis compellitur, inualida sunt.* Nam iniuria, quam alter, incusso metu iniusto, mihi infert, incapacem eum reddit, vt ius sibi aduersus me ex illo actu quaerere possit. Et cum quis alias teneatur pensare damnum abs se datum; per com-

tem metu fuisse coactum, si saltem hic exceptioni metus non expresse renuntiauerit, libertas ei relinquenda est, velitne pactum, cessante causa, ratum habere, nec ne, saluo tamen alteri iure, damni hinc accepti reparationem exigendi. Vid. dicta ad GROTIVM *Lib. II. Cap. XI.* § 7. *not.* 5.

(2) Vt si Princeps publicae vtilitatis causa iusserit subditos emere certas res, vel vendere, aut alium quempiam contractum inire; siue etiam, non adhibita, qua instructus est, auctoritate potestateue coactiua, simpliciter testificatus fuerit, incursuros in suam indignationem, qui hoc vel illud egerint aut omiserint.

(3) E. g. Si filius aut filia ex reuerentia erga parentes, qui alioqui stricto iure haud gaudebant inuitos cogendi, matrimonium contra voluntatem suam inierint.

compensationem velut tolli obligatio intelligitur, si non soluitur id, quod statim restitui debebat (4).

§. XVI. Praeterea oportet *consensum* non in pactis solum, sed & promissis, esse *mutuum;* sic vt consentire debeat non solum qui promittit, sed & cui promittitur. Quando enim iuius consensus abest, seu quando is oblatum promissum *acceptare* detrectauerit; res promissa penes promissorem manet. Nam qui lteri rem suam offert, neque inuito eam vult mpingere, neque pro derelicta habere. Ergo alter non acceptet, iuri promittentis in rem blatam nihil decedit. Quod si rogatio interssit, censebitur ea durare, nisi expresse fuet reuocata; eoque casu in antecessum accetatio facta intelligitur. Ita tamen vt rogaoni respondeat oblatio. Nam si haec (1) screpet, expressa requiritur acceptatio: quia saepe

Consensus partis alterius actu haud obligat, nisi alterius *acceptatio*, aut mutuus consensus accesserit.

(4) Hac fictione iuris non opus est. Defectus enim ertatis in eo, qui promisit, facultatis autem in eo, i promissum vi extorsit, qualecunque sibi ius ex ismodi pacto quaerendi, sufficiunt ad euincendam nmam eiusdem nullitatem. Vide, [illegible]e disserui *J. N. & G. Lib. III. Cap. VI.* §. 10. *not.* 5. & 11. *not.* 6.

§. XVI. (1) Aliquando tamen etiam recusationis tar haberi potest, si quis non nisi partem eius, quod ;atum est, obtulerit. E. c. si diues quispiam, cui ue facile est, centum thaleros, quam quinquata, mutuo dare, non nisi quinquaginta mutuo offert,

ſaepe mihi non conſulitur, niſi tantundem, quantum rogaui, accepero.

De pactis vel promiſſis circa impoſſibilia verſantibus.

(a) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. VII.

§. XVII. Circa (a) *materiam* promiſſorum & pactorum requiritur, *vt quod promittimus aut paciſcimur, non ſit ſupra noſtras vires, neue id patrare lege aliqua prohibeamur*: alias enim aut ſtolide, aut improbe promittimus.

Exinde conſequitur, neminem ſeſe obligare poſſe ad id, quod ipſi eſt *impoſſibile*. (1) Quod

---

offert, bene gnarus, eum qui mutuum perit, integra ſumma omnino opus habere. In hoc igitur caſu ſolum ſilentium eius, qui centum thaleros petierat, inuoluit recuſationem quinquaginta, qui oblati erant, thalerorum. Quod vero ad promiſſorum abſenti factorum acceptationem attinet, variae circa id quaeſtiones examinandae ſunt, de quibus conferri poteſt GROTIVS *Lib. II. Cap. XI.* §. 14. *ſeq.* cum notis meis, & citata ibi loca ex maiori PVFENDORFII opere de I. N. & G.

§. XVII. (1) Datur *impoſſibilitas abſoluta*, quae eſt ſemper talis, ac reſpectu omnium hominum, ita vt nemo cenſeatur ſerio paciſci aut promittere huiusmodi impoſſibilia, ex c. *ebibere Oceanum, volare, coelum digito tangere*. Obſeruandum tamen, poſſe nonnullos facta certa quaepiam arbitrari poſſibilia, quae omnino pro impoſſibilibus habenda ſunt; ſed quorum impoſſibilitas tamen non niſi rationibus, cuiuslibet captui haud ſtatim obuiis, detegitur. Huius indolis eſt e. g. lapis Philoſophorum, cui adeo longo abhinc tempore tot homines fruſtra inhiarunt. Si itaque quis Alchymiae flagrans prurigine, inaniſque plenus ſpei, alicui rerum Phyſicarum ac Chemicarum imperito promi-

Quod si autem res, quae tempore pacti initi possibilis habebatur, post impossibilis aliquo casu citra paciscentis culpam facta sit; re integra, pactum erit nullum. Vbi quid praestitum ab altero iam fuit, (2) id restituendum, aut aequipollens reponendum. Si ne hoc quidem fieri possit, summus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat.

O Nam

promiserit, se transmutationem metallorum ipsum edocturum, atque hoc pacto consumendis temere opibus ansam praebuerit, aut alia quadam ratione damni quid dederit; quin illud pensare teneatur, nullus dubito. Quantopere enim de possibilitate magni sui artificii persuasus sit facile tamen eius vanitatem, si debita vteretur circumspectione detegere posset, ideoque non est immunis a culpa, quod alterius, cui ad cauendam illusionem non satis erat perspicaciae, abusus simplicitate fuerit. Ceterum impossibilitas circa pacta & promissa, regulariter talis tantum est respectu certorum hominum, aut interuentu casuum quorundam peculiarium. Quoad *promissa mere gratuita* sufficit, promissorem bona fide habuisse rem pro possibili, nec vltro facultate eam praestandi se priuasse. Quoad *conuentiones vtrinque onerosas* autem, si ipso pacti initi tempore res, insciis paciscentibus, nec causam tale quid coniiciendi habentibus, fuerit iam impossibilis, vt si contigerit, locatam villam incendio periisse; cessat tunc obligatio, pactumque euadit nullum.

(2) E. g. Promisi alicui equum meum in supplementum pretii pro re, quam alter mihi exhibuerat. Quod si equus periit, alterum eiusdem qualitatis, aut saltem eius aestimationem in aere praestare teneor.

Nam in pactis primario respicimus ad id, de quo expresse fuit conuentum: vbi hoc obtinere non possumus, sufficit, aequipollens exhiberi; saltem ne damnum sentiamus, omni modo cauendum est. Qui vero dolo, aut graui culpa, sibi ipsi vires praestandi detraxit, (3) non solum ad summum conatum tenetur; sed & velut in supplementi vicem malo insuper poterit mactari.

De pactis circa *res illicitas* versantibus.

§. XVIII. Patet quoque, ad *rem illicitam* praestandam obligari nos non posse. Nam nemo valide se potest obstringere vlterius, quam ipsi est potestas. Ast qui lege actionem prohibet, adimit vtique potestatem eam suscipiendi, & de eadem praestanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe est, ex obligatione per leges confirmata aliquid necessario debere facere, quod per easdem leges est omittendum. Vnde peccat quidem qui illicita promittit, sed bis peccat, qui eadem praestat.

Ex quo & hoc colligitur, non seruari debere promissa, quae illi, cui fiunt, noxae sunt futura; cum naturali lege prohibitum sit, ne quis alteri, etiam stolide volenti, malum inferat.

Si

(3) Talis est casus Debitorum, qui ex luxuria sua, aliisue insanis expensis, soluendo esse desierunt.

Si igitur pactum circa (1) rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur.

 Quin

§. XVIII. (1) Ad tradenda circa vtilissimam hanc, neque hactenus satis pertractatam materiam principia, hae, vt opinor, faciendae distinctiones, ponendaeque regulae sunt. I. Non nisi *res in se*, siue natura sua, siue ex ciuilium legum prohibitione, *illicitae*, pactum, debitis alias instructum requisitis, irritum valent reddere. Si igitur in contractu super re quapiam licita ac innoxia inito, alterutra pars ratione *causae* aut *effectuum* actionis, aut alterius externae atque accidentalis circumstantiae peccet, hoc solum, quo minus conuentio valida sit, non impedit. Sic e. g. *donatio*, aut inconsulta donandi facilitate facta, aut sine selectu ac discretione, aut in fauorem indigni, eaque in vitiorum pabulum vsuri, aut in odium alicuius, qui rem donatam exspectabat, vel ad quem successionis titulo transire poterat: eiusmodi, inquam, donatio, etsi donatoris finis ac propensio vitio laboret, non ideo minus valet. Caupo iis, quos ebriosos nouit, quotidie vinum ministrans, procul dubio male agit, aeque ac illi, qui ebrietatis inde captant occasionem; neque ideo tamen minus ille praebiti vini solutionem exigendi ius habet, & his eandem praestandi incumbit obligatio. Non vno quoque modo naturalem legem violant, qui proposita ingenti pecunia ludunt; inde tamen haud sequitur, vetari eum, qui citra dolum vicit, & emolumentum iure recipere, & quod adhuc debetur, petere. Quippe si vitium paciscenti inhaerens, vitium semper in ipsa re, de qua pactum est, produceret, nemini vel solennissimis promissis & alienationibus firmiter liceret insistere; sed verendum esset continuo, ne fidem datam promissor, dominus traditam rem reuocaturus sit, eo obtentu, quasi in alterutro contrahentium ratione

Quin & vbi turpe facinus ab vno fuit praestitum, alter ad soluendam conuentam mercedem

ratione certarum circumstantiarum, ipsam contractus essentiam non tangentium, aliquid exstaret vitiosi. Quo quidem modo fides, sociabilis hominum vitae, omniumque, quae inter eos geruntur, negotiorum fundamentum, plane euerteretur. II. Distinguendum hic inter *id, quod iuri naturali aduersum*, & *id, quod tantum lege aliqua ciuili prohibente illicitum est.* Ratione pactorum circa *priorem illicitarum rerum speciem* initorum, has regulas constituo. 1. *Si pacto circa rem in se malam inito, seruare illud nolumus, ille, cum quo pepigimus, ius non habet nos ad implendum pactum compellendi, nec queri merito potest, falli fidem, siue hoc nomine receperimus aliquid, siue minus*; sed tantum restitutionem eius, quod dedit, valet exigere. 2 *Si quis ad delictum perpetrandum conductus, illud actu ipso exsecutus fuerit, alter ad soluendam promissam mercedem non tenetur*: quamuis, si vindicare iste fidem hac ratione haud praestitam, tanquam iniuriam, adgrediatur, alteri causa conquerendi tunc omnis defutura sit. 3. *Ast si occasione aut intuitu delicti actu datum aliquid sit, repeti illud ab eo, qui recepit, nequit*: dummodo quasi secundum honestorum ac innoxiorum contractuum leges alienatio facta fuerit, id est, dolus aut vis recipientis non intercesserit, nec enorme delicti pretium fuerit. Non quidem salua conscientia retineri salarium sceleris potest; verum restituendi obligatio hei, ita est comparata, vt is, qui alteri *pro delicto committendo aliquid* soluit, nullum repetendi ius proprie sic dictum inde nanciscatur: quippe legis, reparari damnum iubentis, fauore dignus neuter est, eique de cetero pati modo vterque, eo ipso, quod in illicitum pactum vltro consensit, renuntiauit. III. Quod ad *conuentiones* atti-

dem non obligatur. Quod tamen illo intuitu iam est datum, repeti nequit; nisi forte dolus, aut enormis laesio accesserit.

O 3 §. XIX.

net *ideo tantum illicitas, quod circa rem aliquam ciuilibus legibus vetitam versentur*, distinguendae sunt illae, quae *cum extraneo*, ab iis, quae *inter conciues* ineuntur. 1. Si cum *extraneo* pactum sit circa rem in ciuitate prohibitam, is *aut interdictum nouit, aut non nouit*. Si nouerit, aut desiderauit pactum, aut non desiderauit. *Si desiderauerit, neque ad praestandam ipsam rem, neque ad pensandum, quod inde sentire poterit, damnum, alteri tenemur*, sed hoc tantum, quod iam praestitit, ei erit restituendum. Verum *si nosmetipsi pactum desiderauerimus, non quidem ad illud vere implendum tenebimur, interea tamen indemnem eum, quicum pactum est, praestare oportet.* Quod si *extraneus interdictum non nouerit*, siue pactum desiderauerit, siue minus; *eo validior adhuc incumbit obligatio id omne ipsi refundendi, si quod damni secutus fidem nostram passus est.* Ast *si interdictum post initum pactum demum secutum sit, nulla tunc pensandi damni existit obligatio.* 2. Ratione conuentionum inter *conciues* initarum, cum leges hoc vel illud prohibentes latere ipsos nequeant, ideo censentur pacisci inuicem, ac si nulla super hoc lex exstaret, itemque renuntiare beneficio, quod indulgere illa alterutri posset. Vnde *perfecta semel atque adimpleta conuentio validissima inter contrahentes est*, ita vt qui dedit, repetere quicquam haud possit, & qui dare promisit, praestare id stricte debeat; nisi hoc ipso grauem in se poenam arcessiturus, aut magnum aliud incommodum inde in ipsum redundaturum fuisset, quod si praeuidisset, ei se exponere ausus non esset. Sed hic nihil aliud

volui,

De pactis circa res alienas, aut in quas iam alteri ius est quaesitum.

§. XIX. Denique & hoc manifestum est, frustra promittere nos, aut pacisci circa *res alienas*, (1) in quantum illae non nostrae, sed

volui, quam designare principia mea circa amplam subtilemque materiam. Fulta autem omnibus suis argumentis illa reperientur in prolixiore nota, adiecta secundae Editioni maioris Operis Auctoris nostri de *I. N. & G. Lib. III. Cap. VII.* §. 6. *not.* 2. & in noua Ed. aucta. Cui adiungere oportet duo scripta exigua, quae mihi euoluendae adhuc magis istius materiae, eiusque adplicationis ad illustre exemplum fusius commonstrandae occasionem praebuerunt. Inserta sunt ambo *Diario Eruditorum*, (*Journal des Savans dicto*) prius quidem Mense *Augusto* 1712. Editionis *Parisiensis*, (*Octobri* Edit. *Amstelodamensis*) in forma *Epistolae Responsoriae* ad ea, quae TREMBLAIVS aduersus me differuerat; alterum vero Mense *Decembri* 1713. Edit. *Paris.* (*Februario* ac *Martio* 1714. Edit. *Amstel.*) sub titulo, *Replica prima & sec. ad Trembl. &c.*

§. XIX. (1) Locum hoc habet, siue rem ad alium pertinere sciuerimus aut nesciuerimus, siue illa fuerit iam in potestate aliena, aut saltem desinat in nostra esse ante promissi adimpletionem. Hoc tantummodo interest, quod si sciuerimus eam iam pertinere ad alium, vel si in culpa simus, quod ea non amplius nostra sit, damnum tunc resarciendum sit illi, cui eam promisimus. Ceterum *actiones alienae*, vt perspicuum est, ad eandem classem pertinent, vna cum exceptionibus, quas Auctor deinceps adiungit. Addendae quoque his res sunt, quae reuera ad aliquem pertinent, de quibus tamen is disponere non potest. Qualis casus

ſed alterius directioni & arbitrio ſunt ſubiectae. Quod ſi autem ita promiſero, *me operam daturum, vt alter* (cui pro imperio me quid imperare non poſſe (2) praeſupponitur) *praeſtet;* tunc teneor omni modo moraliter poſſibili (i. e. quantum alter honeſte a me poſtulare poteſt, & quantum vitae ciuilis ratio fert) (3) laborare, vt ad eandem praeſtandam alter permoueatur.

O 4 Sed

ſus eſt *pupillorum* ac *minorum.* Vide, quae tradidi in *Tractatu* meo de *Ludo* (DV JEV) *Lib. II. Cap. IV.* §. 4 *ſeq.*

(2) Ratio huius rei eſt, quod cum ſuper actionibus alterius, in quem mihi eſt imperium, aliquid ſpondeo, cenſeor potius proprium factum, quam alienum, promittere, eo vſque ac poteſtas in alterum mea ſe extendit.

(3) Diſtinguendum hic eſt inter *promiſſiones mere gratuitas*, & *conuentiones vtrinque oneroſas*. Ratione priorum valet id, quod ait Auctor, niſi expreſſe aliquid vlterius promiſſor in ſe receperit, aut ex negotii natura intelligatur recepiſſe. Verum in conuentionibus reciprocis, ſi factam ſpem euentus deſtituerit, penſandum alteri quicquid damni ſentiat; alias enim is nihil dato vel promiſſo aequipollens conſequeretur, quod quidem pacti naturae ac ſcopo repugnat. Atque eo ipſo, quod adiecta clauſula aut exceptio impoſſibilitatis non eſt, oſtenditur rem haberi pro facili. Supponendum tamen, quod penſatio damni non multum excedat pretium eius, quod datum aut promiſſum eſt. Quod ſi enim e. g. alteri decem thaleros dederim, vt

Sed & super rebus (4) aut actionibus nostris, in quas iam alteri ius fuit quaesitum, tertio valide promittere non possum; nisi forte in eum casum, quo alterius ius expirauerit. Nam qui prioribus promissis aut pactis ius suum in alterum iam transtulit, ipse vtique nullum tale ius reliquum amplius habet, quod in tertium possit conferre. Ac nullo negotio omnia promissa & pacta possent fieri irrita, si liceret aliud inire, in quo contraria priori disponerentur, ac quicum prius simul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud, *qui prior tempore, potior iure* (5).

§. XX.

vt debitam mihi mille thalerorum summam faciat solui, ad summum refundere mihi decem aureos teneretur; quin talis ordinarie ius haberet retinendi hanc summam, aut promissam a me exigendi, quia pro insumta, quamuis incassum, opera, loco aequipollentis esse poterat.

(4) Sic e. g. nihil proprietarius potest promittere circa bona, quorum vsusfructus ad alterum pertinet, vel quia ipse hunc illi concessit, vel quia non nisi sub hac conditione eadem bona ad ipsum transierunt. Frustra quoque operam suam alteri seruus addixerit, quamdiu eam praesenti praestare hero obstrictus est. Neque validius dominus aedium locatum iam conclaue, priusquam conductoris tempus exspirauerit, tertio promiserit.

(5) Intelligendum hoc est ratione promissionis in se spectatae, & supposito, quod res adhuc integra sit. Postquam vero ista ad effectum iam est perducta per traditionem eius, quod duobus promissum

§. XX. Est praeterea circa *promissa* potissimum obseruandum, illa concipi solere vel *pure* & absolute, (*a*) vel *sub conditione*; vt scilicet validitas promissionis conferatur in aliquem euentum, a casu, aut arbitrio humano pendentem.

De promissis conditionatis.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. VIII.

Sunt autem *conditiones* vel *possibiles*, vel *impossibiles*. Illae subdiuiduntur in *casuales seu fortuitas*, (1) quae vt existant, penes nos non est, *potestatiuas* seu *arbitrarias*, (2) quae vt existant, vel non existant, penes eum est, cui

missum erat, possessor quamuis posterior tempore, potior nihilominus est iure, v. c. in causa hypothecae & venditionis, dummodo bona fide ignorarit, rem hypothecatam aut venditam iam ad alium pertinuisse. Postulat hoc sane vitae communis ratio, vbi saepissime impossibile est scire, an is, cum quo contrahimus, disposuerit iam de re sua in fauorem tertii. Ita vero in hoc casu priori tempore nihil aliud relinquitur, nisi ius exigendi quantam voluerit damni pensationem pro eo, quod mala promissoris fide amittit Atque sic meo quidem iudicio hac de re statuendum est secundum solum Ius naturale, exclusis legibus ciuilibus, quae de rebus huiusmodi ea possunt constituere, quae publica cuiuslibet ciuitatis vtilitas requirere videtur.

§. XX. (1) Vt si dicatur e. g. *Dabo tibi tantum, si intra octo dies non pluet*, aut *si hoc anno pax coalescet.*

(2) E. g. *Dabo tibi tantum, si intra sex menses non luseris, vel non frequentaueris cauponam*, aut *si hanc vel illam vxorem non duxeris &c.*

promittitur, & *mixtas*, (3) quarum impletio partim ab arbitrio eius, in quem confertur, partim a casu dependet.

Impossibiles autem sunt vel *physice* tales, vel *moraliter*, i. e. quaedam per rerum naturam fieri a nobis non possunt, quaedam per leges & honestatem fieri non debent. Et impossibiles quidem conditiones, si naturalem interpretandi simplicitatem sequamur, orationem promittentem faciunt negatiuam: etsi per leges fieri possit, vt si adiectae sint negotio alicui serio, (4) habeantur pro non adiectis, ne per actus nullum euentū sortituros hominibus illudatur.

De pactis ac promissis per *procuratorem* factis.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. III. Cap. IX.

§. XXI. Denique (*a*) promittimus & paciscimur non solum *per nosmetipsos*; sed etiam *aliorum hominum interuentu*, quos ipsi voluntatis nostrae internuncios atque interpretes constituimus. Per quos, vbi bona fide egerint, quod a nobis in mandatis habebant, valide obligamur

(3) Si dicatur e. g. *Dabo tibi tantum; si hanc vel illam duxeris*: fieri enim potest, vt nubere puella ei, cui quid promittitur, renuat, aut ante nuptias fato defungatur.

(4) Id est, vt promissum aut pactum, non obstante conditione, quae non potest aut debet praestari, validum habeatur. Quod si vero a legibus ciuilibus abstrahamus, tunc nonnullae distinctiones faciendae sunt circa naturam & effectum huiusmodi conditionum pacto adiectarum. Quorsum conferendae Notae meae ad maius Opus de *I. N. & G.* prout in noua Ed. a me correctae & auctae deprehenduntur.

ligamur apud eos, qui cum istis, velut nostras vices gerentibus, egerunt.

§. XXII. Atque haec sunt *officia* hominis *absoluta*; vt & per quae velut transitus ad alia fit. *Reliqua* praesupponunt aliquod *institutum humanum*, generali pacto subnixum, & in genus humanum introductum; vel etiam *statum* aliquem peculiarem. Institutorum istorum deprehenduntur potissimum tria, *sermo*, *dominium rerum*, earundemque *pretium*, & *imperium humanum*. De singulis, vt & quae inde resultant officiis, deinceps exponendum.

Quot sint *instituta humana*, quibus nituntur *officia hypothetica* alterius erga alterum.

CAPVT X.

DE OFFICIIS *SERMOCINANTIVM.*

§. I.

QUam vtile ac plane necessarium sit instrumentum societatis humanae *sermo*, nemo est, qui ignorat; cum multi vel ex ea sola facultate collegerint, hominem ad agendam vitam socialem a natura destinatum. Circa huius ergo legitimum & societati humanae proficuum vsum, id officii lex naturalis hominibus dictitat, *vt nequis sermone, aut aliis signis, ad exprimenda animi sensa institutis, alterum decipiat.*

Nemo signis quibuscunque, ad exprimenda animi sensa institutis decipiendus est.

§. II.

Primum officium circa vsum sermonis.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. I.

§. II. Sed (*a*) vt indoles sermonis penitius intelligatur, sciendum est, circa sermonem voce viua, aut literis expressum, duplicem obligationem occurrere. Vna est; qua isti, *qui eadem lingua vtuntur, certae rei certum vocabulum, prout vsus cuiusque linguae fert, adplicare tenentur.* Cum enim neque voces, neque certi litterarum ductus certam rem natura notent, (alias enim omnes linguae aut scripturae genera coincidere deberent) inde ne vsus linguae foret inanis, si quisque, quo vellet, vocabulo quamlibet rem nuncuparet; necessum est, inter eos, qui eadem lingua vtuntur, (1) tacitam intercessisse conuentionem, vt certam rem certo, & non alio vocabulo denotent. Ni enim in vniformem vocum adplicationem fuerit conspiratum, impossibile esset, ex sermone alterius sensa animi colligere. Vnde vi istius pacti quilibet tenetur ita adhibere in sermone communi vocabula, prout receptus eius linguae vsus fert. Ex quo etiam hoc consequitur, vt quanquam sensa animi a sermone discrepare queant; id tamen in vita humana quisque voluisse censeatur, quod verba eius prae se ferunt, etsi fortasse intrinseca mentis destinatio ab istis discedat. De hoc enim cum nisi

§. II. (1) Melius dixeris, consensum tacitum, cui nihil quidem subest quod obliget, si consideretur in se, ac sepofita peculiari quadam obligatione, aliis sensa animi aperiendi. Vide ad J. N. & G. *Lib. IV. Cap. I. §. 5. not. 1. 2.*

nisi per signa constare nequeat, omnis vsus sermonis redderetur irritus, si interna animi cogitatio, quam sibi quisque pro lubitu fingere posset, id, quod signa prae se ferunt, in communi vita elidere posset.

§. III. Altera obligatio, quae in sermone interuenit, in eo consistit, *vt quis alicui per sermonem animi sui sensa ita debeat pandere, vt haec ex illo liquido cognoscere queat.* Cum enim non loqui tantum, sed tacere homo queat; & cum non semper quod quis in animo voluit, id coram quibusuis aperire teneatur: igitur necessum est, vt peculiaris existat obligatio quae alicui necessitatem adferat tum ad loquendum, tum ad ita loquendum, vt alter sensa animi nostri intelligat. Oritur autem illa obligatio vel ex *peculiari pacto*, vel ex *communi praecepto legis naturalis*, vel ex *praesentis negotii indole*, cui contrahendo sermo adhibetur. Saepe enim expresse cum aliquo conueniatur, vt animi sui sensa super aliquo negotio mihi aperiat; vt si quem informatorem mihi in aliqua disciplina adsciscam. Saepe quoque praeceptum aliquod legis naturalis meam scientiam alteri communicare iubet; vt hoc modo ipsi prosim, vel noxam ab eodem auertam, aut ad noxam accipiendam causam vel occasionem non praebeam. Aliquando denique praesens negotium, quod cum alio susceptum est, aliter expediri nequit, ni iudicium meum super eo pandam: vt circa celebrandos contractus contingit. *Alterum officium.*

§. IV.

Non semper tenemur *sermone vti.*

§. IV. Quia autem non semper vsu venit, vt ex aliquo horum capitum quaeuis cogitata mea alteri sint significanda; patet, me non teneri alteri sermone meo indicare alia, quam ad quae ex me intelligenda *ius perfectum*, aut (1) *imperfectum* habet; adeoque recte tacendo *dissimulare* me posse, vtut maxime interroger, quae vt ex me sciat, alter ius non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor.

Licet aliquando *dissimulare.*

§. V. Imo quia sermo non solum est inuentus propter alios, sed & propter nos ipsos; ideo vbi aliqua mea in eo versatur vtilitas, neque cuiusquam alterius ius laeditur, licebit mihi sermonem ita formare, vt diuersum ab eo, quod in animo voluo, exprimat (1).

§. VI.

§. IV. (1) E. g. Si deliberanti fidele consilium dandum, erranti monstranda via, aut aliud quodpiam, cum possis ac debeas, exhibendum officium sit.

§. V. (1) Quotiescunque illi, quibuscum sermo nobis intercedit, nullum vel *perfectum*, vel *imperfectum ius* habent exigendi, vt sibi ingenue cogitata nostra patefaciamus, nulla ipsis infertur *iniuria*, verum dissimulando; adeoque dissimulatio tunc praecipuum veri *mendacii* characterem haut prae se fert. Verum etiamsi non laedatur sic quodcunque ius alterius, *male* tamen *faciunt*, qui nulla vrgente necessitate, aut in rebus nullius fere momenti, aliter loquuntur aut agunt, ac sentiunt. Nam 1. qui temere falsa loqui gestiunt, omnem postremo fidem in hominum animis amittunt. 2. Et summum praeterea periculum

§. VI. Denique quia saepe isti, ad quos loquimur, ita sunt dispositi, vt si sermone simplici & aperto rem ipsam perciperent, detrimento hoc ipsis futurum esset, nec nobis bonum, quem intendimus, finem adsequi liceret: igitur hisce in casibus licebit vti *ficto* coloratoque *sermone*, & qui nostram sententiam & intentionem audientibus directe non repraesentet. Nam qui alicui prodesse vult & debet, non vtique id tenetur facere eo modo, quo finem suum non erat obtenturus. Licet quoque interdum vti *ficto* coloratoque *sermone*.

§. VII. Ex hisce colligitur, in quonam consistat *veritas*, cuius studio boni viri tantopere commendantur: nempe, *vt verba animi nostri sensa commode repraesentent alteri, cui eadem intelligendi ius, quaeque vt ipsi aperiamus, nobis obligatio perfecta, aut imperfecta incumbit; idque eo fine, vt vel idem ex intellectis animi nostri sensis debitum aliquod commodum nanciscatur, vel non, vbi diuersum fuerit significatum, damno praeter meritum mulctetur.* Ex quo & hoc obiter patet, non semper mendacium admitti, In quo consistat *veritas*, ad quam dicendam quilibet tenetur.

quando

lum est, ne leuissimas ob causas falsa & ficta proferendo, aut dissimulando, habitum contrahamus, quo facile fieri potest, vt etiam tunc nobis desit ingenuitas, cum alii ius eam a nobis exigendi habent. Hisce adhibitis restrictionibus, tuta ab omni insultu stat Auctoris opinio; eamque fuse satis explicui & propugnaui prolixiori obseruatione ad J. N. & G. *Lib. IV. Cap. I. §. 7. not. 1.* quam in noua illius Operis Editione denuo recognoui & latius deduxi.

quando etiam data opera non dicitur, quod vel cum ipſa re, vel cum cogitatis noſtris ad amuſſim congruit: adeoque *veritatem* quaſi *Logicam*, quae in congruentia verborum cum rebus conſiſtit, cum *veritate morali*, non ſemper per omnia coincidere.

Quid ſit *mendacium*.

VIII. *Mendacium* contra eſt, (1) *vbi de induſtria ſermo aliam prae ſe fert ſententiam animi noſtri,*

---

§. VIII. (1) Linguae imperfectio, quae circa res bene multas non ſufficit terminos, ad diſtinguendas ideas diuerſas neceſſarios, in cauſa eſt, vt non pauci hic ſibi ipſis illudant, eamque ob rem ſuperciliofe diſſentientes damnent. *Mendacii* enim vocabulum, & quae illi in aliis linguis reſpondent, ordinarie in odioſo ſenſu accipiuntur, quoniam reuera plerique, qui ſecus ac ſentiunt loquuntur aut agunt, malo animo, aut contra officium quoddam id faciunt; cum interea aliud vocabulum non habeamus, quod in ſpecie ad caſus accommodari queat, vbi ſermo fictus nihil inuoluat vitii, aut alicui quicunque is ſit nocere poſſit. Par ratio quoque eſt in vocabulis *homicidii*, *caedis*, *occidendi &c.* Et cum Lex diuina praecipiat: *Ne occidas*, an propterea nemini alterum priuare vita licet? Et cum v. c. iniuſtum aggreſſorem vita priuauimus, quam nobis eripere voluerat, quomodo tunc innocentiam actus exprimemus, niſi reſtringendo per epitheton quoddam latitudinem verborum, quae videntur nobis referre actum, ceu ſemper illicitum? Vid. LOCKIVS *de intellectu*, Lib. II. Cap. XXVIII. §. 16. vbi propoſita eadem obſeruatione generali, vſum eius in vocabulis *ebrii* & *ebrietatis* commonſtrat. Ita vero nihil infirmius eſt obiectione, quae inde ſumitur, quod ſcriptura ſacra *mendacium* & *mendaces*

ostri, quam quae reuera est; cum tamen hanc ipsam is, ad quem sermo dirigitur, intelligendi ius haberet, nobisque obligatio incumberet efficiendi, vt ille nostram sententiam vtique intelligeret.

§. IX. Ex dictis igitur constat, *mendacii* notam haut quicquam contrahere, qui fictis sermonibus fabulisque vtuntur aduersus pueros, aut similes, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudae veritatis non sunt capaces. Et qui alii fictum sermonem bono fine adhibent, quem plano adsequi non licebat: puta, si innocens protegendus, iratus placandus, moestus demulcendus, meticuloso animus addendus, fastidiosus ad medicamenta capienda mouendus, pertinacia alicuius frangenda, aut malum propositum alterius interuerten-

Exempla *fictionum innoxiarum*

daces damnet, nulla simul restrictione adiecta. An vero condemnatio haec latius pateat, quam illa Legis: *Ne occidas*? aut alterius cuiusdam regulae, quae tametsi modo aeque illimitato concepta videatur, nemo tamen non, praeter fanaticos aut simpliciores quosdam, agnoscit in ea necessitatem exceptionis huius vel illius admittendae. Ceterum in ipsa scriptura sacra tot res occurrunt, quae cum absoluta veritatis in quocunque casu dissimulandae prohibitione conciliari nequeunt, vt mirari conueniat oscitantiam affectatam quodammodo eorum, qui ex immensis difficultatibus, quibus se immergunt, non nisi friuolarum rationum, aut declamationum splendidarum subsidio eniti contendunt.

uertendum; aut si arcana reipublicae & consilia, quae interest aliorum notitiae subtrahi, fictis rumoribus velut obuelanda, & aliorum importuna curiositas sit amolienda; aut si hosti, quem aperta ratione laedere poteramus, fabulis in stratagematis vicem illudamus.

Omnis *aequiuocatio*, ac *reseruatio mentalis* culpabilis est, cum quis verum dicere tenetur.

§. X. Contra si aliquis vtique tenebatur alteri sensa animi sui liquido significare; culpam non effugit, si vel *partem* duntaxat *veri* dicat, aut (1) *ambiguo sermone* alteri illudat, aut *tacitam* quandam (2) *restrictionem*, a communi vsu abhorrentem, *in mente* reseruet.

CAPVT

§. X. (1) Quale quid fecit e. g. Romanus ille, qui post *Cannensem* pugnam, ab *Annibale* cum nouem aliis nobilissimis captiuis *Romam* missus, ea lege, vt *in castra sua redirent*, paulo post quam egressus erat ex castris rediit, quasi aliquid esset oblitus; hocque reditu in castra, liberatum se esse a fide iureiurando confirmata interpretabatur. Vide CICER. *de Offic. Lib. III. Cap. XXXII.*

(2) E. g. Si aliquis, qui licere sibi arbitratur semper & vbique eiusmodi restrictionibus impune vti, interrogetur: *an hunc hominem iste occidit?* audacter respondebit: *non occidit*, subintelligendo, haud factum id esse *sclopeto*, aut *illa die vel hora &c.* de cuiusmodi exceptionibus haud quaquam quaeritur; eaedemque cum in mente eius qui loquitur absconditae retineantur, purum putum relinquunt mendacium. Idem quoque de illis dicendum est, qui subterfugium sibi in hoc quaerunt, quod partem veritatis supprimunt, cum tamen is, ad

quem

CAPVT XI.

)E OFFICIIS *IVRANTIVM.*

§. I.

PEr (*a*) *iusiurandum* sermoni nostro, omnibusque actibus, circa quos sermo interuenit, insigne accedere firmamentum ıdicatur. Est quippe illud *adsertio religiosa, qua*

Definitio *iurisiurandi*, ac officia generale eorum, qui actum hunc religiosum committunt.

P 2

ıem loquuntur, integram scire veritatem desideret ıreque exigendi, ne quid eius reticeatur, polleat. ıterea qui, tanquam pro aris & focis, pugnant :o necessitate indispensabili, tali semper modo loıendi, qui menti nostrae exacte respondeat, ipsi ɔguntur probare huiusmodi subterfugium, quod ıoqui secundum principia sua liberare culpa crassae ıorum corruptelae nequeunt. Nam si vrgeamus eos rca casus & exempla certa, in quibus actum damıre verentur, candide profitentur, eum, qui ad erɔrem pertraxit hos, ad quos locutus est, partem ıntum veritatis suppressisse, ad quam illis aperienıam obligatus haud fuerit. Quod quidem probari osset, si idem eodem tempore ipsis declarasset, quod on nisi dimidium eius quod in animo habebat proılerit. At vero talis id non ausus est in huiusmodi asibus facere; & fere deprehendimus, id quod quis ı mente reseruauit, istud praecise esse, quo alter ıanifeste deceptus est, quoniam hoc ipsum erat, uod alter scire cupiebat. Ita vero partem veritatis b altero abscondere, dum integram se accipere veitatem persuasus erat, idem omnino est, ac si expresse ars suppressa negaretur.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. II.

qua diuinae misericordiae renuntiamus, aut diuinam poenam in nos deposcimus, nisi verum dicamus. Dum autem omniscius & omnipotens *testis* simul & *vindex* inuocatur, praesumtio veritatis ideo excitatur, quod nemo temere tam impius credatur, vt ita petulanter grauissimam Numinis indignationem in se deposcere sit ausurus.

Inde *officium* iurantium hoc esse intelligitur, vt & *ad iurandum cum reuerentia accedant, & quod iuratum est, religiose obseruent.*

Finis & vsus iuramenti.

§. II. *Finis* porro & *vsus* iuramenti in hoc maxime vertitur, vt homines ad enuntiandum verum, aut seruandum promissum pactumue eo firmius adstringantur metu diuini Numinis omniscii & omnipotentis; cuius vindictam, si scientes fallant, per iusiurandum in se inuocant, vbi alias metus ab hominibus imminens non satis efficax videbatur; quippe quorum vires contemnere aut declinare, vel scientiam fallere se posse sperabant.

Iuramentum ultimato semper *ad Deum* referendum

§. III. Quia vero praeter Numen nihil est omniscium aut omnipotens, inde *absurde iuramentum concipitur per rem aliquam, quae opinione Diuinitatis destituitur*, hoc sensu, vt ea res testis atque vltrix periurii inuocetur. Etsi hoc frequens sit, vt in iuramentis certa res nominetur, per quam iuretur, hoc sensu, vt Deus, si iurans fefellerit, vindictam suam in istam potissimum rem exserat,

(1) tan-

1) tanquam iuranti cariſſimam, & maximi aeſtimatam.

§. IV. In iuramentis *formula* illa, *qua Deus, dum testis & vindex inuocatur, deſcribitur, accommodanda eſt ad perſuaſionem, ſeu religionem, quam circa Deum fouet, qui iurat.* Fruſtra quippe iurando quis adigitur per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit. At nemo per Deum iurare ſe putat alia ſub formula, aut alio ſub nomine, quam quod ſuae, i. e. ex opinione iurantis, verae religionis praeceptis continetur. Inde quoque eſt, quod qui *per falſos Deos* iurat, quos ipſe tamen pro veris habet, vtique obligetur; & ſi feſellerit, reuera periurium admittat. Quia ſub quocunque ſpeciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeoque, dum ſciens peierauit, diuinae maieſtatis reuerentiam, qantum in ſe eſt, violauit.

Formula iuramenti accommodanda eſt ad religionem iurantis.

§. V. Ad iuramenti obligationem requiritur,

De *intentione* iurantis.

§. III. (1) Sic e. g. non dubitabant primaeui *Chriſtiani* iurare *per ſalutem* aut *incolumitatem Caeſaris.* Vide *TERTVLLIAN. Apologet. Cap. XXXII.* Ad quem fere etiam modum *Ioſephus* in Veteri Teſtamento deprehenditur iurare, *per ſalutem Pharaonis,* Geneſ. *Cap. XLII. vers.* 15. Conf. CLERICVM. *in Comm. ad h. l.* Senſus rationi conuenientiſſimus, niſi & maxime congruus tali modo iurantium menti, hic eſt, quod aeque vere, ac optarent vitam ac ſalutem perſonarum aut rerum, per quas iurabant, veritatem item bona fide dicerent, promitterentue.

tur, *vt animo deliberato id susceptum sit.* Vnde iuramento haut quicquam obstrictus erit, qui simpliciter *iuramentum* recitando *protulerit*; aut eiusdem verba, concepta in prima persona, alteri praeiuerit. Ast qui speciem serio iuraturi prae se tulit, is vtique obligabitur; quicquid demum in animo suo, dum iurat, agitauerit. Nam alias omnis vsus iuramentorum, immo omnis ratio interuenientibus signis sese obligandi, ex humana vita tolleretur, si quis tacita sua intentione posset impedire, ne effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendo idem est institutus.

Iuramentum non producit nouam obligationem, distinctam a conuentione ipsa, quam inimus,

§. VI. Iuramenta in se non producunt nouam & peculiarem obligationem, sed obligationi in se validae velut *accessorium* quoddam *vinculum* superueniunt. Semper enim, dum iuramus, supponimus aliquid, quo non praestito, diuinam poenam in nos prouocamus. Quod ineptum esset, nisi illicitum foret, non praestare id, quod supponitur, (1) adeoque nisi iam antea obligaremur.

Ex

§. VI. (1) Haec ratio non videtur satis huc quadrare; aut saltem minus commode prolata est. Saepius enim quis iurat atque obligat se simul ad aliquid, ita vt ipsa promissionis verba iuramentum inuoluant: vt si dicatur, *promitto tibi coram Deo, me in tui gratiam hoc vel illud facturum*: tunc sane concipi obligatio iuramentum antecedens, ac citra religiosum istum actum valida, non potest. Ratio autem vera & iusta

Ex quo sequitur, quod actus, quibus in se tium adhaeret, obligationem impediens, per ramentum accedens obligatorii non fiant. cuti nec per subsequens iuramentum antecessa obligatio valida eliditur, aut ius per indem quaesitum alteri tollitur. Inde frustra uis iurauerit, sese alteri debitum non solu-rum.

Nec obligabit iuramentum, vbi constat, im, qui iurauit, factum aliquod supposuisse, uod reuera ita se non habebat, ac, nisi id credidisset, non fuisse iuraturum; inprimis vbi er dolum eius, cui iuratur, in errorem fuerit

 ad-

iusta sententiae Auctoris nostri, & quam maxime onsentaneam veritati iudico, haec est, quod etsi iretur simul ac contrahatur obligatio, iuramentum imen ratione obligationis se habeat, vt modi vel ccidentia ratione substantiae, sine qua subsistere nequeunt. Sane iusiurandum non nisi vt accessorium liquod considerari potest, adhibitum ad confirmandum pactum, quod inire se quis testatur. Deo autem, cum testis inuocatur, nihil promittitur; alias nim inter votum ac iuramentum nihil intercederet iscriminis: & vnde constaret, Deo eiusmodi pronissa grata & accepta esse, quae non nisi temporale pectant commodum, nec ad pietatem quidquam faiunt? Statim igitur ac pactum, cuius inuocatus Deus estis fuerat, aliquid, quod illud in se nullum reddat, nuoluit, omnem suam vim iusiurandum amittit; praesertim si ore tantum iuratum sit; quale quid facere eos verosimile est, quibus metu mortis, aut grauis alicuius periculi, iurata promissio extorque-tur,

adductus. Nec qui iniusto metu me ad iurandum adigit, (2) ex eo iuramento ius sibi adquirit, ad aliquid a me recte postulandum. Nullas quoque habebit vires iusiurandum super praestanda re quapiam illicita; immo & super omittendo aliquo bono, (3) quod legibus diuinis aut humanis praecipitur.

Denique iuramentum non immutat naturam & substantiam promissi pactiue, cui accedit. (4) Inde frustra iurantur impossibilia. Et

(2) Latro e. g. qui sclopeto pectori admoto, peregrinantem in via regia ad promittendum iurato adigit, se ipsi centum dupliones soluturum, aut ipsum non denunciaturum.

(3) Sed nonne hoc aeque illicitum est? Ad inueniendum igitur sensum, qui hic differentiam aliquam constituat, supponendi sunt certi casus, quibus id, quod iurato promissum est, omissionem rei legibus prohibitae per se haud inuoluat? Vid. hanc in sententiam a me dicta ad *I. N. & G. Lib. IV. Cap. II. §. 10. not. 1.*

(4) Ex hisce principiis deduci quoque potest, quare ac quomodo superior obnoxios suo imperio liberare aut absoluere a iuramento praestito queat. Supponendum enim initio, de rebus quaeri, circa quae superior ius habeat postulandi, ne praeter voluntatem suam subditi paciscantur aut promittant. Dispiciendum deinde est, num rem iuratam iam ante prohibuerit, necne. Si iam actu prohibita erat, aut adiecta fuit expressa declaratio, conuentiones super talibus rebus initas nullas fore; atque hoc casu sponte sua

it promissio conditionata per iuramentum non mutatur in absolutam, seu puram. Et neque in iurato promisso requiritur acceptatio.

§. VII. Hoc autem efficiunt iuramenta, propter interpositam Dei inuocationem, quem neque astu quis deceperit, & cui nemo impune illuserit, vt non solum atrocior poena censeatur manere eum, qui iuratam, quam qui iniuratam fidem fefellit; sed & (1) vt a negotiis, quibus adiiciuntur, omnis dolus & cauillatio sit excludenda.

In quo consistat vis peculiaris iuramenti, actui in se iam obligatorio adiecti.

sua iusiurandum fuit, nec vlla superioris dispensatione opus est; ita vt, si illam largiatur, hoc ipso tantum, iuramentum semper irritum fuisse, significet: aut vero interdicto poena nullitatis diserte adnexa non fuit; & tunc nihilominus facultatem iuramenta circa eiusmodi rem praestita annullandi superior tacite sibi reseruasse intelligitur. Vtroque casu, qui prohibitionis conscius iurauerit, graue committit peccatum. Quod si id, circa quod iuratum est, nondum vllo modo fuerit prohibitum, non quidem reuera ob irreuerenter habitum sacrosanctum Dei nomen talis vituperari potest; at istud non obstat, quominus superiori, si praegnantes suaserint rationes, vti suo iure liceat. Et hanc quoque exceptionem, ex ipsa rei natura liquido fluentem, qui aliquid promiserunt, aut acceptarunt, ipsi supponere potuerunt ac debuerunt.

§. VII. (1) Iuriiurando tamen hoc proprium non est: quamuis grauius omnino scelus sit, cauillationes vanasque tricas sectari in actu, cui sanctum Dei nomen adhibuimus.

Iuramentum non excludit *restrictiones & conditiones*, quae ex ipsa rei natura fluunt.

§. VIII. Non tamen semper late, sed & (1) stricte quandoque iuramenta sunt interpretanda, siquidem subiecta materia id requirere videatur: puta, si iuratum sit in odium alterius, & non tam promissioni, quam (2) minis iuramentum sit adiectum. Quin nec iuramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quae ex ipsa rei natura rite fluunt. Puta, si alicui, quicquid velit, petenti optionem iurato concessi, vbi iste iniqua, aut absurda petierit, haut quicquam tenebor. Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam nouerit, quid iste sit petiturus, praesupponit, alterum petiturum honesta, moraliter possibilia, non sibi aut aliis perniciosa.

Verba iuramenti sunt intelligen-

§. IX. Id quoque notandum, *in iuramentis sensum totius orationis valere, prout capere se illum*

§. VIII. (1) Hoc quoque locum habet in simplicibus promissis & pactis, cum alioqui nihil subest vitii, quod eas nullas reddat: secus enim si sit, superfluum id est in pactis cum vel sine iuramento initis. Secutus hic Auctor est inconsiderate ideas parum accuratas veterum nonnullorum, & GROTII. Vid notata ad *I. N. & G. Lib. IV. Cap. II.* §. 13.

(2) Inualida in se sunt iuramenta comminatoria omnia. 1. Quia nulla adest alterius, cui quis minatur, acceptatio, adeoque nec imposita est iuranti obligatio. 2. Quia eiusmodi iuramenta semper inconsiderate, ac citra maturam deliberationem facta sunt. Vide dicta a me ad maioris Operis *cit. l. not. 2.*

illum profitetur is, qui iuramentum defert, seu cui iuratur. Huius enim praecipue, non iurantis caufa, iuramentum praeftatur. Vnde eiusdem quoque eft, concipere verba iuramenti, (1) & quidem, quantum fieri poteft, planiffime; fic vt ipfe fignificet, quomodo illa intelligat, & iurans annuat, fe iftius fenfum probe percipere; eaque mox ab hoc liquido funt exprimenda, fic vt nulla ratione eadem cauillari & eludere queat. da eo fenfu, quo illa accipit, qui iftud defert.

§. X. *Diuifio iuramentorum* commode defumitur ab vfu, cui illa in vita communi adhibentur. Quaedam enim *promiffis* pactisque adduntur, (1) vt eo maiore cum religione obferuentur; quaedam autem adhibentur ad confirmandam alicuius *adfertionem* circa factum illiquidum, & vbi veritas aliis rationibus commodius inueftigari nequit. Quale exigitur a *teftibus*, fiue qui alieni facti confcii habentur. Quandoque etiam ipfi, qui inter *Diuifio iuramentorum.*

§. IX. (1) Confequenter igitur, fi is, qui iuramentum defert, non fatis clare mentem fuam explicet, nec etiam natura rei fufficiat ad fenfum, quem ille in mente habere potuit, definiendum; iurans, qui bona fide aliter verba intellexit, culpam periurii haud contrahet, fi fenfum, in quo iuramentum praeftare voluit, fequatur.

§. X. (1) Haec vocantur *iuramenta promifforia*, altera *iuramenta adfertoria*.

inter se disceptant, deferente iudice, (2) aut altera parte, suo iuramento *litem solvunt*.

CAPVT XII.

DE OFFICIIS CIRCA *ADQVIRENDVM RERVM DOMINIVM.*

§. I.

Fundamentum *iuris homini in ceteras creaturas* animatas & inanimatas competentis.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. III.

CUm ea sit conditio corporis humani, vt adsumtis extrinsecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quae ipsius compagem destructum eunt, muniatur; per complures quoque res isthaec vita commodior & mollior reddi possit: (*a*) inde tuto colligitur, volente vtique summo vniuersi Moderatore fieri, quod homo alias creaturas ad vsus suos adhibeat, quin quod etiam mul-

(2) Si hoc fit iussu iudicis, non possumus non aut iurare, aut alteri parti iuramentum referre. Sed absque hoc, consensu duarum partium opus est. Ceterum effectus iuramentorum huiusmodi varii generis, quatenus ad decidendas in vita ciuili lites refertur, pendet a constitutionibus legum ciuilium eo pertinentibus; salua nihilominus obligatione, quae in foro conscientiae perpetuo durat, cum malae fidei debitor euasit beneficio, quod in foro humano ipsi non potuit denegari.

multas earundem destruat. Neque id solum obtinet circa vegetabilia, & quae citra sensum corrumpuntur; sed & circa innoxia animalia, quae vtut cum dolore moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi causa occiduntur & consumuntur (1).

§. II. Ceterum *ab initio omnes istae res intelliguntur abs Deo velut in medio hominibus expositae*, ita vt non magis ad hunc, quam ad alterum pertinerent; attamen vt sic circa eas disponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conseruandi videretur exigere. (a) Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium subsisteret, placuit, (1) *vt illa quidem cuiusque fierent, nec ab altero ipsi eripi deberent*, *quae*

De communione primaeua, & introducto rerum dominio.

(a) Vid. I. N. & G. Lib. IV. Cap. IV.

§. I. (1) Etenim 1. cum destituta ratione animalia sint, citra quam ius vel obligatio proprie sic dicta concipi nequit; consequenter etiam nullum hominibus intercedit cum animalibus legis consortium. 2. Per mortem animalibus nihil adimitur, pereunte cum corpore eorum anima. 3. Nisi occiderentur animalia, inprimis quae sunt certarum specierum, generi humano eorum multitudo in perniciem cedebet. Et sufficit hic vitare saeuitiam, quae magis improbanda est ob mala, quae promanare inde in homines queunt, quam ipsorum animalium causa, in quae citra necessitatem saeuitur.

§. II. (1) Ad hoc ipsum tamen conuentione vel expressa vel tacita opus non fuit. Ius quippe primi occupantis ex intentione eius, qui rem aliquam pluribus

quae quis adprehendisset hac intentione, ut eadem ad usus suos adplicaret; ipsa tamen corpora, ex quibus illae res prouenirent, in medio ad neminem peculiariter spectantia manerent. Sed postea, multiplicatis hominibus, & cum cultura coepisset adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proueniunt, ad euitandas rixas, & introducendo bono ordini, *ipsa quoque corpora rerum inter homines diuisa, & cuilibet sua portio propria adsignata; hac addita conuentione, vt quae in prima rerum diuisione in medio forent relicta, deinceps eius possent fieri.*

---

ribus communiter in medio proponit, necessario consequitur; ita tamen, vt, quae nullius propria hactenus sunt, adprehendendo, tantum in medio relinquatur, quantum ceterorum necessitatibus sufficit. Sed *dominium* quoque citra conuentionem aliquam generalem introductum est, per solam intentionem, quam quilibet testificabat, seruandi *in perpetuum* id quod occupauerat, praesertim si res ab eo sic possessae aliam formam acceperint, ceu fructum diligentiae eius & laboris. Vid. dicta a me ad J. N, & G. *Lib. IV. Cap. IV.* §. 1. *not.* 2. & §. 4. *not.* 4 Itaque differentia inter ius quod quis in res a se occupatas durante *communione primaeua* habebat & ius quod quis in eas post introductum *Dominium* habet, in hoc consistit, quod prius non durabat amplius possessione, alterum e contrario cum possessione haud quaquam amittitur, nisi dominus eam vere abiecerit & deseruerit. Quod quidem hic nullo modo praesumitur, cum id e contrario vtique praesumeretur, antequam mos inualesceret, rem semel possessam ceu propriam retinendi.

fieri, qui primus eadem sibi adseruisset. Sic igitur; volente Numine, praeuio consensu hominum, pactoque saltem tacito, (2) *proprietas rerum*, siue *dominium* fuit introductum.

§. III. Est autem dominium *ius, quo alicuius rei velut substantia ita ad aliquem pertinet, vt eodem modo in solidum non pertineat ad alium.* Ex quo consequitur, vt de rebus, quae tanquam propriae ad nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ab earundem vsu quosuis alios arcere possimus; nisi quatenus (1) per pacta singulare ius a nobis sibi quaesiuerint. Etsi in ciuitatibus contingere soleat, vt dominium non semper penes quosuis sit illibatum; sed certis limitibus circumscriptum per (2) imperium ciuile, aut ex (3) dispositione & conuentione hominum inter se.

Quid sit *dominium.*

Quando

(2) *La proprieté des biens*, quibus verbis in Versione Gallica semper *dominium* denotatur. Vox enim *dominii* in eo significatu propria ICtorum Romanorum fuit.

§. III. (1) Vt si alteri concessum fuerit ius aliquod *seruitutis*, aut *vsusfructus*, aut *emphyteuseos*, aut *feudi &c.*

(2) Sic ademta est *prodigis*, *pupillis*, *minoribus &c.* bonorum suorum administratio. Dantur quoque res, quas non nisi certo alienare modo leges permittunt. In vniuersum imperans, qua talis, speciem *Dominii*, quod dicunt, *eminentis* in bona subditorum suorum habet. Vide infra *Lib. II, Cap. XV.*

(3) *Donatores* e. g. aut *testatores* bona, de quibus

in

Quando autem res vna ad plures indiuisim eodem modo pertinet, illa istis pluribus vocatur *communis*.

Dantur adhuc res, quae communes mansere.

§. IV. Sicuti autem res non simul & semel in proprietatem iuerunt, sed successiue, & prout vsus humani generis postulare visus est; ita non necessum fuit, vt omnes & singulae res propriae fierent, sed salua pace generis humani *aliquae potuerunt, aliquae debuerunt intra primaeuam velut communionem permanere.* (a) Nam quae vtilia licet hominibus, *inexhausta* tamen sunt; (1) sic vt omnium vsibus possint pate-

(a) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. V.

in gratiam alicuius disponunt, aliquando vetant alienare, aut sub certis tantum conditionibus id ei concedunt. Adiiciuntur etiam saepe *contractibus emtionis venditionis* variae clausulae, quae translatum Dominii ius restringunt. Vide infra *Cap. XV.* §. 9. Aliquando etiam duratio iuris dominii pendet ab aliqua conditione, quae efficit, vt tandem reuertatur eo, vnde profectum est.

§. IV. (1) Haec ratio per se nullam vim habet. Inde enim sequitur e contrario, licere ex talibus rebus, quantum quis voluerit, proprium sibi facere; quoniam tale quid vicissim quiuis alius etiam facere poterit, nec vlli hac ratione quicquam decedit. Vera ratio est, quod vt proprietatem seu dominium res aliqua admittat, requiritur, 1. vt eius sit indolis, quo possideri hoc vel illo modo queat: consistit enim in possessione finis atque vsus proprietatis seu dominii. 2. Vt adprehendere quis eandem rem voluerit, ac custodire valeat: alias superuacuae sunt omnes, quas formare voluerit, praetensiones.

patere, nec tamen singulis vsus iste reddatur malignior; ea diuidere velle, superuacuum simul ac ineptum foret. Vti est (2) *lumen calorque solis, aër, aqua profluens*, & si quae sunt similia. Quo refertur etiam *vastus Oceanus*, magnis continentibus interiectus, quoad partes a littoribus remotissimas. Quippe cum ille non solum omnium vsibus promiscuis sufficientissimus, sed & vni alicui populo *eius custodia moraliter sit impossibilis*. Vbi enim aliqua res ita sit comparata, vt nullo modo alii ab eius vsu arceri queant; illam diuidi, aut propriam cuiuspiam fieri, non superuacuum solum est, sed & inanibus litigiis materiam praebere aptum.

§. V. *Modi adquirendi dominii* sunt *originarii* vel *deriuatiui*. Per illos ab initio in rem aliquam proprietas introducitur; per hos dominium iam constitutum ab vno in alterum transit. *Priores modi* iterum sunt vel *simpliciter tales*, quibus dominium in *corpus alicuius rei* adquiritur; vel *secundum quid*, queis *incre-*

Diuisio *modorum adquirendi dominii.*

Q

(2) Ex eo, quod eiusmodi res in se vsus inexhausti sunt, hoc sequitur tantummodo, ex legibus humanitatis fas esse, earundem vsum, quantum sine proprio incommodo fieri potest, cuilibet permittere. Nam alioqui nihil obstat, quo minus suo modo & *aqua profluens*, & *aër*, & *lumen calorque Solis* possideantur; prout facile, si necessum foret, ostendi posset.

incrementum aliquod ad rem nostram adiungitur.

De adquisitione per *ius primi occupantis.*

§. VI. Post recepta inter homines diuisa rerum dominia, ita inter eos conuentum, vt quaecunque sub primaeuam diuisionem non venerunt, ea cederent occupanti, i. e. ei, qui primus eadem (1) corporaliter adprehendisset, animo sibi habendi. Sic vt (*a*) hodie originarius modus dominium in corpus alicuius rei adquirendi, sit sola *occupatio*.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI.

Hoc igitur modo adquiruntur *regiones desertae*, quas nullus vnquam homo sibi adseruit: quae fiunt illius, qui primus eas ingreditur animo sibi habendi; ita vt culturam eis adhibeat, & certos limites constituat, quousque eas suas esse velit. Vbi autem coetus multorum hominum iunctim occupauerit partem quampiam terrae; vsitatissimum est, vt singulis ex eo coetu aliqua portio adsignetur, quae super-

§. VI. (1) Eo proprie ius *primi occupantis* fundatur, quod prior ipse ante alios animum hanc vel illam rem sibi habendi declarauit. Si ergo intentionem suam alio quouis actu aeque significatiuo declarauit, vt nudis verbis, gestu, nota certis rebus apposita &c. aut ceteri in eius gratiam iuri, quod sibi in aliquam rem aeque ac illi competebat, manifeste renunciarunt; potest tunc originarium huius rei dominium, citra vllam corporalem adprehensionem, adquirere. Vide dicta a me in *notis* ad J. N. & G. *Lib. IV. Cap. VI.* §. 2. 8. 9.

ſuperſunt, ad totum coetum pertinere cenſeantur.

Per occupationem quoque adquiruntur *ferae beſtiae*, *aues*, *piſces* in mari, fluminibus aut lacubus verſantes; item, ſi quae a mari in litus ſolent eiici: modo tamen per imperium ciuile promiſcua eiusmodi rerum captura non ſit interdicta, (2) aut certo alicui adſignata. Quas neceſſum eſt, ſi noſtrae debent fieri, vt corporaliter adprehendamus (3), & in noſtram poteſtatem redigamus.

Occupatione quoque adquiruntur res, in quibus dominium, cui ante ſubiectae fuerant, plane

(2) Cenſetur coetus populi, aut caput ciuitatis, omnes res mobiles in territorio ſuo exiſtentes, ceu totidem acceſſoria occupaſſe. Quippe intentio eiusmodi res ſibi habendi ex ipſa rei natura fluit; ita vt niſi alias manifeſtauerit, velle ſe illas in medio communiter relinquere, illae ad ipſum reuera pertineant, quantum naturalis earum indoles patitur. *Quantum*, inquam, *naturalis earum indoles patitur*: *ferae* enim *beſtiae*, e. g. in ſyluis regionis alicuius vagantes, tranſire in exterae ciuitatis ſyluas poſſunt, vnde eas repetendi ius nullum eſt. Verum non inde ſequitur, illas ante ad dominum ſyluarum, quas deſeruerunt, non pertinuiſſe. Ius enim proprietatis iſtius, tametſi vacillans atque extinctioni obnoxium, non ideo minus verum erat. Perinde hic ſe res habet, ac circa flumina. Aqua enim per agros noſtros quotidie fluens, *noſtra* eſt, quamuis continuo effluat, terras alienas ingreſſura, nec amplius inde ad nos reuerſura.

(3) Vide *not.* 1. ad hunc §.

plane est exstinctum. Puta, si quae abiiciuntur ea intentione, ne amplius ea sint nostra; aut quae ab initio inuiti amittimus, sed post pro derelictis habemus. Quo etiam pertinet *thesaurus*, seu pecunia, cuius dominus ignoratur; qui (4) inuentori cedit, vbi (5) per leges ciuiles aliter non est dispositum.

De *accessionum* adquisitione.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. VII.

§. VII. (*a*) Ceterum plurimae res, quae dominio subiectae sunt, non in eodem semper statu persistunt, sed variis auctibus suam *substantiam* (1) *dilatant*; quibusdam *extrinseca* (2) *incrementa accedunt*; aliae *fructus* proferunt; multis per *formam* industria humana superinductam (3) pretium adcrescit. Quae omnia voca-

(4) Etiamsi illum in fundo alieno inuenerit. Nec enim accessorium hoc est fundi, vt *metalla*, *mineralia*, & id genus alia, quae naturaliter ipsi connexa censentur, & pro quorum possessore proptetea fundi dominus haberi potest.

(5) Statuendum potius e contrario, quod in ciuitate aliqua inuenti *Thesauri* aeque, ac res cunctae domino carentes, ad publicum pertineant, nisi saltem leges per concessionem expressam vel tacitam eas primo occupanti relinquant. Vid. ad *I. N. & G. Lib. IV. Cap. VI.* §. 13. *not.* 1. Ed. nouae.

§. VII. (1) Vt *metallifodinae*, *lapicidinae &c.* Huc quoque pertinent *arbores* ac *plantae*, quae exiguo semine nascuntur atque ex terra prodeuntes sensim excrescunt.

(2) Id cernitur in *alluuionibus*.

(3) Sic ex *frumento farina*, atque ex *farina panis* con-

vocabulo *accessionum* comprehendi possunt, & in duas classes diuiduntur. Quaedam enim citra factum hominis ex sola natura istarum rerum proueniunt; quaedam facto & industria hominum in solidum, aut ex parte procurantur. Circa quas ista est regula, (4) *vt qui*

Q 3

conficitur. Pictor adhibitis coloribus ac penicillo, ex vulgari *linteolo* vel *tabula* raram pretiosissimamque *picturam* parat.

(4) Haec regula ad casus tantum spectat, in quibus accessio aut simpliciter per effectum naturalem, & tanquam fructus rei ipsius prouenit, aut facto & industria eius, ad quem res pertinet, procuratur. Verum vbi accessio aut in totum, aut ex parte ad alium pertinet, aut ex alieno labore ac industria superuenit, haec erunt, meo iudicio, simplicia principia, ex quibus huiusmodi casus, satis alioqui difficiles, facile licebit decidere. 1. Dispiciendum est, an *bona vel mala fide* quis rem suam aut industriam cum re alterius commiscuerit. Quod *si enim mala eius fide id contigerit, facere iacturam rei aut industriae suae is meretur:* cum alias proprietarius impediri quotidie aliorum malitia posset, quominus de re sua pro lubitu valeret disponere. Si quis ergo e. g. solo, quod suum non esse nouerat, arbores implantauerit, aut semen inseuerit, dominus soli non tenetur pati, ipsum arbores repetere, aut secum semen diuidere; quin potius ius habet postulandi pensationem damni, sibi forsan inde emergentis, quod occupatum solum suum, aliisque, quam quibus ipse destinauerat, vsibus adhibitum est. Facienda nihilominus hic est exceptio, si nempe res aliena cum in se, tum etiam in comparatione ad pretium formae ipsi superinductae, leuissimi sit valoris. Posito v. g. aliquem adprehendisse

qui est dominus rei, ad eundem quoque pertineant accessiones, & quaevis emolumenta; & qui ex

hendisse scapum chartarum, aut tabulam ligni vulgaris, aut linteolum, quae pertinere ad alium nouerat, iisque inscripsisse res magni momenti, aut inde egregiam picturam confecisse; hoc casu non adeo multum malae fidei subesse poterit: praesumere enim licet, eum, qui proprio ausu chartam, tabulam aut linteolum sumsit, existimasse, proprietarium non difficulter consensurum, praesertim restituta sibi pari eiusdem generis quantitate, aut eius aestimatione: adeoque vindicare sibi tunc proprietarius scripturam, aut picturam, non poterit. 2. *Cuimcunque rei aliquid alieni iunctum & incorporatum est, vel innocenti ipsius, ad quem pertinebat, facto, vel citra vllum eiusdem factum; ei, ceteris paribus, opus vel compositum inde resultans adcrescit.* Vt plurimum enim in eo, qui errauit, aliquid est imprudentiae; & quamuis ad commixtionem ipse nihil plane contulerit, si incommodum inde experiatur, alterius tamen culpa non est. Sic e. g. si aqua auulsam alicubi terrae particulam vicino agro adiecerit, dominus agri huius propriam sibi reddere illam potest, nisi alter, ad quem pertinebat, statim retraxerit. Nec tenetur prior pretium portionis illius terrae agro suo adhaerentis alteri pendere, cum nullum inde lucrum capiat: quin e contrario contingere potest, vt detrimento hoc ipsi sit; ad quod tamen propterea pensandum prior particulae terrae dominus non obligatur, quoniam, vt supponimus, in causa non fuit, vt hoc fieret. Verum si e. g. alienum quis agrum bona fide conseuerit, ipsi dominus agri pretium seminis ac operae ad serendum adhibitae, tenetur persoluere, quoniam lucrum ex hac re illi accedit; nisi nobi-

ex sua materia speciem fecit, eius speciei sit dominus.

§. VIII. Frequenter tamen contingit, vt alii ex contractu, aut alia via, ius sibi quaesiuerint ex re nostra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi, ne nostra re omni modo vtamur. (*a*) Quae iura solent vocari *seruitutes*. Ac diuiduntur in *personales*, vbi vtilitas ex re aliena ipsi personae immediate obuenit; & *reales*, vbi ex re aliena, mediante re nostra, vtilitas capitur.

De *seruitutibus.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. VIII.

Q 4 Inter

nobiliori agrum suum semini, aut rei alteri, maiorem prouentum editurae, destinauerit. 3. *Si alterius duorum res aut opera per aliam, quae vices eius suppleat, pensari potest, alterius vero minus, nec vlla vtrinque mala fides interuenerit; is, cuius res ista, aut opera est, recepta alia prorsus simili eiusdem generis, aut eius aestimatione, debet adquiescere.* Nec enim posteriori tunc quicquam detrahitur; cum alteri aliquando plurimum inde posset decedere, imo in perpetuum decederet, si loco rei suae aut operae nihil prorsus reciperet. Hinc vi huius principii, *plantata* aut *consita* domino *soli* solent ordinarie cedere, *acta* aut *scripta* ei, qui fecit, non vero ei, cuius charta fuit, *pictura pictori*, non domino *tabulae* aut *linteoli*, *sigillum* ei, qui sculpsit, aut sculpendum curauit &c. Verum pari ratione, si proletarius aliquis pictor pretiosae ac rariori tabulae vel linteo, ad me pertinenti, ineptum quid illeuerit, aut si quis gemmae pretiosae, quae mea fuit, quid insculpserit, restitui mihi tabula mea, linteum, aut gemma debent.

Inter *illas* numerantur (1) *vsusfructus*, (2) *vsus*, (3) *habitatio*, (4) *operae seruorum. Reales* iterum diuiduntur in seruitutes *praediorum* (5) *vrbanorum*, & *rusticorum.* Illae sunt v. g. *seruitus oneris ferendi*, *luminum*, *ne luminibus officiatur*, *prospectus*, *stillicidii recipiendi*, *&c.* Hae sunt v g. *iter*, *actus*, *via*, *aquaeductus*, *aquae haustus*, *pecoris ad aquam adpulsus*, *ius pas-*

§ VIII. (1) *Vsusfructus* est ius *gratis* (hoc enim in omnibus eiusmodi iuribus in res alienas supponendum; alias species contractus locati conducti fuerit) aliena re vtendi fruendi, & omne emolumentum, quod prouenire inde potest, percipiendi, salua ipsius rei substantia.

(2) Id, quod Auctor cum Iureconsultis Romanis, quorum conceptus in vniuersa hac seruitutum diuisione sequitur, *vsum* vocat, est ius re aliena vtendi fruendi, in quantum ordinaria vitae suae suorumque, pro conditione eius & dignitate, necessitas requirit, salua rei substantia.

(3) *Habitatio* est ius, omne emolumentum, ex inhabitatione aedium alienarum prouenire solitum, percipiendi, siue aedes quis ipse inhabitet, siue aliis inhabitandas locet.

(4) Facile intelligitur, hoc esse ius, omnem vtilitatem, quae ex seruitio & operis serui alieni prouenire potest, percipiendi.

(5) Id omne rursus ex Romano iure desumtum est. *Vrbana praedia* vocabantur aedificia, siue in vrbe, siue ruri sita fuerint. *Praedia* vero *rustica* vocabantur agri, aut solum, vbicunque fundus existat. In versione Gallica vocantur *héritages de ville & de campagne.*

pascendi, &c. Quae omnes fere ex occasione viciniae introductae sunt.

§. IX. Inter *modos adquirendi deriuatiuos* alii sunt, quibus res deuoluitur in alium *ex dispositione legis*; alii, quibus *facto prioris domini*. Et quidem vt vel *bonorum* alicuius *vniuersitas*, vel *certa* eorundem *portio* transferatur. Quotuplices sint *modi adquirendi deriuatiui.*

§. X. *Vniuersitas bonorum* (1) *lege* transit per mortem prioris domini in (*a*) successionibus ab intestato. De *successionibus ab intestato.*

Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minime omnium conducat, bona, quae quis tanto cum labore, dum viueret, quaesiuisset, a domini morte haberi pro derelictis, & cuiuis occupanti patere: inde, suadente ratione, apud omnes populos receptum, vt si quis de suis (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. XI.

Q 5

§. X. (1) Hic modus adquirendi non vnice nititur ciuilibus legibus. Pendet enim iste ex tacita voluntate defuncti, quam omnino licet praesumere, & quae talis vtique praesumi debet, qualem inclinatio non minus ac officium defuncti requirit. Interuenire quidem hic inter eos, qui eiusdem ciuitatis membra existunt, plures legum ciuilium ordinationes solent; id tamen non obstat, quin *successiones ab intestato* ad certum usque gradum valeant etiam inter illos, qui in naturali libertate viuunt. Et ipse Auctor noster originem & fundamentum huiusmodi successionum ad ius naturae refert in maiori Opere *Lib. IV. Cap. XI. §. 1.*

ſuis bonis ipſe nihil diſpoſuiſſet, eius bona deuoluantur ad eos, quos pro communi hominum adfectu cariſſimos habere iudicatur. Quales ſunt regulariter, *qui ex nobis deſcendunt*; & iuxta hos *alii ſanguine nobis iuncti*, pro gradu quisque propinquitatis. Et licet aliqui homines dentur, qui vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem adfectum, alienos quosdam magis ament, quam ſuos conſanguineos: tamen pacis interfuit, non conſiderato paucorum quorundam adfectu, communem potius mortalium inclinationem ſequi, modumque ſuccedendi obſeruare planiſſimum, & nullis impeditis diſceptationibus obnoxium. Quae emerſurae erant, ſi benefactores & amici cum iis, qui ſanguinis iure nituntur, poſſent concurrere. Et ſi quis omnino benefactores aut amicos cognatis volebat praeferre; debebat expreſſe ſuper ea re diſpoſuiſſe.

Ordo ſucceſſionum ab inteſtato

§. XI. Ex his conſequitur, proximos cuiusque heredes eſſe ſuos *liberos*; quos & natura parentibus alendos educandosque ſollicite commendauit, & quibus quisque parentum cenſetur quam lautiſſime voluiſſe proſpicere, ac quae ſibi ſuperſunt, ipſis potiſſimum relinquere. Per liberos autem intelliguntur praecipue, qui *ex legitimo matrimonio nati* ſunt, His enim & ipſa ratio, & decor vitae ciuilis, & leges populorum cultiorum prae-

prae (1) *naturalibus* fauent. Sub *liberis* etiam comprehenduntur ii, qui ſunt *vlteriorum graduum;* quos vti alere, ipſorum parentibus defunctis, auus tenetur, ita, vt & ipſi cum patruis & auunculis ad hereditatem aui concurrant, aequiſſimum eſt, ne ſuper calamitatem mature defuncti patris, etiam aui hereditate excludantur.

Iſta tamen ita demum obtinent, niſi pater aliquem pro ſuo filio ob ſufficientes rationes noluerit agnoſcere; aut niſi ob atrociſſimam malitiam eundem abdicauerit.

Vbi deſcendentes deſunt, par eſt, ad *parentes* defunctorum liberorum bona deuolui. Quibus liberi & parentes non ſunt ſuperſtites, iis *fratres* ſuccedent. Vbi & hi deficiunt, heres erit, *prout quisque defunctum ſanguine propius contingit.* Etſi ad lites euitandas, quae heic exoriri poſſunt frequentiſſimae, ſimulque vt ea res ad vſum reipublicae probe adtemperetur, in plerisque ciuitatibus ſuper ordine ſucceſſionis accurate deprehenditur diſpoſitum. Et hunc ordinem vt ſequantur priuati, tutiſſimum eſt; niſi graues cauſae peculiariter diſponere ſubigant.

§. XII. Huc quoque referendus peculiaris De *vſucapione.*

alias

§. XI. (1) Debentur his nihilominus alimenta & educatio, aeque ac liberis vel maxime legitimis.

(a) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. XII.

alias adquirendi modus, (1) *vsucapio*, (a) per quam is, qui bona fide iustoque titulo rei alicuius possessionem nactus est, eamque diu quietam & non interruptam obtinuit, demum pro perfecto domino eius rei habetur; ita vt antiquum dominum, si postea rem eam vindicare velit, repellere queat. Cuius iuris introducti (2) ratio fuit, partim quod pro derelicto rem habere iudicaretur, qui diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occasiones vix deesse iudicentur; partim quod tranquillitatis & pacis interesset, aliquando possessiones rerum extra controuersiam collocari. Praesertim cum longe grauius videatur, post diuturnam possessionem re bona fide parta priuari, quam olim amissa, & cuius desiderium dudum erat digestum, in perpetuum carere. Vt tamen in ciuitatibus certi termini, prout ratio & vtilitas ciuitatis suggesserit, definiantur, intra quos vsucapio compleatur, tranquillitatis & pacis interest.

De testamentis.

§. XIII. *Facto domini prioris* vniuersitas

§. XII. (1) Dicendum heic idem ipsum, quod in *nota* ad §. 10. circa *successiones ab intestato* obseruaui. Quippe *vsucapio* in se modus est adquirendi fundatus iure naturali, cuius tantummodo tempus ac modum leges ciuiles definiunt. In versione Gallica *praescriptionis* vocabulum loco *vsucapionis* adhibetur.

(2) Hoc ius ex ipso dominii fine sequitur. Quod fuse ac noua ratione ostendi in commentario meo ad Opus maius de J. N. & G, *Lib. IV. Cap. XII.* §. 8. *not.* 3.

tas rerum *mortis causa* transit per *testamentum* (*a*). Nam & illud in qualecunque solatium mortalitatis apud plerosque est receptum, vt quis viuus sua bona transferre posset, in euentum mortis, in eum, quem maxime amaret. Ceterum cum antiquissimis temporibus vsitatum fuisse videatur, vt imminente iam fato palam suos heredes nuncuparent, & patrimonium de manu in manum ipsis traderent; postea graues ob rationes multis populis aliud testamenti genus magis arrisit. Vt nempe, (1) quocunque tempore placeret, vltimam suam voluntatem vel palam significare, vel literis tacite consignare possent, quam mutare pro lubitu liceret, & ex qua heredibus nuncupatis, aut scriptis, tunc demum ius nasceretur, quando testator exspiraret. Atque tales vltimae voluntates, licet merito magnum habeant fauorem, ita tamen temperandae erunt, prout necessitudinum ratio, & vtilitas ciuitatum requirit. Quae & inde legibus sueuerunt cauere, quomodo cuique testamenta sint ordinanda. A quarum dispositione qui discesserit, queri non potest, suae voluntatis non fuisse habitam rationem.

§. XIV.

---

§. XIII. (1) Hoc etiam est iuris naturalis. Vide quae dixi ad Opus maius eiusque Caput supra ad marginem citatum §. 2. *not.* 1. & §. 4. *not.* 2. praesertim in Ed. noua.

De *translatione dominii inter viuos.*

§. XIV. *Inter viuos*, facto prioris domini, res transeunt vel *gratis*, vel interposito *contractu*. Prioris generis translationes vocantur (1) *donationes*. De contractibus infra erit agendum.

De adquisitionibus *inuito domino factis.*

§. XV. Quandoque etiam *inuito* priore *domino* res transferuntur, & quidem in ciuitatibus potissimum per modum *poenae*, dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa eorum portio, eripiuntur, & vel publico, vel laeso adplicantur. Sic & in *bello* inuitis res per hostem viribus superiorem (*a*) eripiuntur, raptorique adquiruntur; ad quas tamen recuperandas pari violentia prior dominus ius non amittit, quousque per subsequentes pacis tractatus omni praetensioni ad easdem renunciauerit.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI. §. 14. & infra Lib. II. Cap. XVI. §. 13.

CAPVT XIII.

DE OFFICIIS, QVAE *EX DOMINIO RERVM* PER SE RESVLTANT; NEC NON *DE BONAE FIDEI POSSESSIONE.*

§. I. *Ex*

---

§. XIV. (1) Nulla est essentialis differentia inter translationem per *donationem* & per *contractum* factam. Vid. *I. N. & G. Lib. V. Cap. IV.* §. 1. *not.* 1.

§. I.

Religiose abstinendum a rebus alienis.

EX *introducto rerum dominio* ista (*a*) *officia* inter homines prouenerunt:

1. *Vt quilibet teneatur alterum, non hostem, pati rebus suis quiete frui; nequi vi, aut per fraudem illas corrumpere, interuertere, aut ad se trahere sustineat.* Quo ipso *furta*, *rapinae*, & similia crimina, in res alienas tendentia, vetantur.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. IV. Cap. XIII.

Ad quid teneatur is, qui rem alienam adhuc in sua potestate habet, quam bona fide possidebat.

§. II. 2. *Quando res aliena ad nos peruenit sine nostro crimine, & bona nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habemus; tenemur efficere, quantum in nobis est, vt illa in potestatem legitimi sui domini redeat.* Non tamen tenemur illam rem restituere nostris impensis; & si quas in eam seruandam fecimus, recte possumus repetere, aut rem tantisper, quoad illae soluantur, retinere. Et ad restituendum tum demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem esse alterius. Tunc enim debemus significare, rem eam penes nos esse, nec per nos stare, quo minus dominus suum possit recipere. Quod tamen iusto titulo adquisiuimus, non tenemur ipsi in dubium reuocare, & velut publice denunciare, an quis eam rem sibi velit vindicare. Atque isthoc officium praeponderat contractibus particularibus, iisque exceptionem dat: v. g. si fur apud me inscium furti rem furtiuam deposuerit, & post verus eiusdem dominus

adpa-

adparuerit, huic, non furi, eadem erit restituenda.

Officium generale *possessoris bonae fidei*, re aliena consumta.

§. III. 3. *Quod si autem res aliena, bona fide parta, sit consumta; officii est, tantum restituere domino,* (1) *quantum facti sumus locupletiores:* ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus.

Regulae circa varios casus speciales.

§. IV. Ex hisce porro sequentes conclusiones deducuntur:

1. *Possessor bonae fidei non tenetur ad vllam restitutionem, si res periit:* quia nec res ipsa penes eum est, nec lucrum ex ea re.

2. *Bonae fidei possessor tenetur ad restituendam non solum rem, sed &* (1) *fructus adhuc exstantes.* Naturaliter enim ad quem pertinet

---

§. III. (1) Hoc necessarium non est. Sequitur enim heic Auctor falsos conceptus, qui vulgo circa iura *possessoris bonae fidei* circumferuntur. Hoc verum est, eiusmodi possessorem non nisi ad restituendam rem ipsam teneri, si non eam alienauerit, aut ipsa non perierit. Quicquid autem tanquam bonae fidei possessor, ratione rei alienae, quam arbitrari suam poterat, egit atque exsecutus est, id tanquam verus dominus egit & exsecutus est, cuius & omnia iura habuit; ita vt dominii emolumenta, subsistente hacce interregni quasi specie, iure ad ipsum pertineant. Vnde etiam ad nullius fructus aut lucri restitutionem obligatur. Vide quae monui ad J. N. & G. *Lib. IV. Cap. XIII.* §. 3. *not.* 1. 2dae Edit.

§. IV. (1) Imo ad hoc non tenetur. Vide *notam* praecedentem.

net res, ad eundem quoque fructus pertinent, Licebit tamen possessori detrahere omnes impensas in rem, eiusque culturam, quo fructus prouenirent, factas.

3. *Bonae fidei possessor tenetur ad restitutionem rei &* (2) *fructuum consumtorum, si modo alias tantundem consumturus fuerat; & possit rei euictae pretium ab auctore suo recuperare.* Nam in hoc factus est locupletior, dum rem alienam consumendo suae pepercit.

4. *Bonae fidei possessor non* (3) *tenetur pensare fructus, quos neglexit.* Quia nec rem habet, nec quicquam rei successit.

5. *Si bonae fidei possessor rem alienam sibi donatam alii donauerit, non tenetur; nisi omnino ex officio aliquo tantundem* (4) *donaturus fuerat.* Tunc enim lucrum erit, rei suae pepercisse.

6. *Si bonae fidei possessor rem alienam oneroso titulo partam, quocunque modo alienauerit, non tenetur, nisi quatenus ex ea lucrum fecit* (5).

R 7. *Bonae*

(2) Haec decisio minus adhuc fundata est, quam quae priore regula continetur. Vide *notam* ad §. 3. & in Opere maiori *Lib. IV. Cap. XIII. §. 9. not.* 1. 2.

(3) Hoc secundum communia principia non satis patet. Vide ad *cit. l.* §. 10. *not.* 1.

(4) Superflua haec est exceptio, propter grauem rationem supra adlegatam.

(5) Ob eandem rationem ipsi hoc lucrum iure cedit.

7. *Bonae fidei possessor etiam oneroso partam titulo rem alienam tenetur restituere, (6) neque dominum id, quod erogauit, reposcere potest; sed illum duntaxat, abs quo eam rem accepit.* Nisi quatenus (7) dominus rei suae possessionem recipere sine aliquo impendio probabiliter non potuit, aut μήνυτρον (indicii praemium) vltro pollicitus fuerit.

Officium eius qui rem inuenit, cuius dominum ignorat.

§. V. *Qui rem alienam inuenit, quam domino inuito excidisse probabile sit, non potest eam colligere hoc animo, vt eandem domino requirenti subtrahat. Vbi autem dominus non adparet, recte eandem sibi retinere potest* (1).

CAPVT

(6) Omnino potest, si medium non sit ab ipso id, quod erogauit, recuperandi, abs quo rem accepit. Vt verbo rem complectar, bonae fidei possessor non tenetur rem pure ac simpliciter restituere, nisi cum ex mero eam dono accepit, aut inuenit, nullasque alioquin occasione huius rei expensas fecit, quae lucro ex ea percepto non fuerint compensatae. Vide dicta ad J. N & G. *Lib. IV. Cap. XIII.* §. 3. *not.* 1. & §. 13. *not.* 1. Ed. nouae.

(7) Vid. dicta a me ad GROTIVM *Lib. II. Cap. X.* §. 9. *not.* 3.

§. V. (1) Et tandem propriam facere, si nemo eam repetat, neque id amplius metuendum sit.

CAPVT XIV.

DE *PRETIO* RERVM ET ACTIONVM.

§. I.

POst introducta rerum dominia, cum nec omnes res eiusdem essent naturae, nec eundem vsum humanis necessitatibus praeberent, nec cuiuis ista rerum copia adesset, quam ad vsus suos desideraret; mature inter homines receptum, res inuicem *permutare*. Sed quia saepissime contingeret, vt res disparis naturae aut vsus essent transferendae; ne alteruter eiusmodi permutatione laederetur, necessum erat, conuentione hominum rebus adsignari aliquam *quantitatem*, iuxta quam res inuicem comparari exaequarique possent. Quod itidem contigit circa actiones, quas in aliorum vsum non gratis adplicari placuit. (*a*) Ea quantitas nomine *pretii* venire solet.

Quid sit pretium rerum & actionum.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. I.

§. II. Diuiditur *pretium* in (1) *vulgare*, & *eminens*. Illud spectatur in *rebus* & *actionibus*, seu operis, in commercium venientibus: quatenus

Quotuplex sit pretium.

§. II. (1) Vox haec impropria est, aut saltem obscura. Vnde pro pretio *vulgari* in versione Gall. dicitur *proprium aut intrinsecum*. Pretium *eminens* quoque ibidem vocatur *virtuale*.

tenus vſum aliquem & delectatiónem hominibus adferunt. Hoc autem cernitur in *nummo:* quatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iisdem menſuram praebere intelligitur.

Fundamentum internum *vulgaris pretii.*

§. III. *Vulgaris pretii fundamentum in ſe eſt* (1) aptitudo illa rei vel operae, qua aliquid mediate, aut immediate, conferre poteſt ad vitae humanae neceſſitates, & ad eandem commodiorem, aut iucundiorem reddendam.

Quae ſint res nullius pretii.

Vnde & res nullum plane vſum praebentes, *nullius pretii* ſolemus vocare.

Dantur tamen res quaedam vitae humanae vtiliſſimae, quibus nullum certum pretium impoſitum intelligitur, (2) vel quia domi-

§. III. (1) Haec ratio non eſt ſufficiens. Res quippe actu recipere pretium aptae, non ſolum debent *alicuius* eſſe *vſus*, ſin minus vere, ſaltem ex hominum opinione, atque adfectu, quo in eas feruntur; ſed etiam eius indolis, *vt non omnium hominum neceſſitatibus ſufficiant.* Quo *vtilior* iam, aut *rarior* res aliqua hoc ſenſu fuerit, eo *vulgare* eius *pretium* intenditur magis, aut remittitur. *Aqua*, etſi res ſit adeo vtilis, pretio tamen non aeſtimatur, niſi certis locis ac circumſtantiis peculiaribus, quibus rarior deprehenditur.

(2) Proprie loquendo, nihil eſt rerum omnium, quae vtilitatem veram aut falſam, magnam aut exiguam habent, cui imponi pretium nequeat: ſufficit enim, contrahentes inuicem tanti rem aliquam habere, vt aeſtimationem recipere ſit idonea. Verum

.re, v.

dicen-

dominio ſunt & debent eſſe vacuae, vel quia ad permutationem ſunt ineptae, & inde a commerciis ſepoſitae, vel quia in commerciis nunquam aliter, quam appendix alterius rei conſiderantur. Sic quia *ſuperiores partes aëris*, *aether*, ac *coeleſtia corpora*, *vaſtusque Oceanus*, a dominio humano ſunt exemta, nullum quoque pretium iisdem tribui poteſt. Sic *liberi capitis* (3) nullum eſt pretium, quia liberi homines in commercium non veniunt. Sic *apricum Solis lumen*, *liquidus & purus aër*, *amoena facies terrae*, quatenus oculos duntaxat paſcit, *ventus*, *vmbra*, & ſimilia, in ſe & ſeorſim conſiderata, pretium non habent, cum homines talibus ſine vſu terrae frui nequeant.

dicendum eſt, nonnullas res ita eſſe comparatas, vt ponere ipſis pretium ſuperuacuum foret, vti *corpora coeleſtia*, *vaſtus Oceanus &c.* quoniam tales nec ipſi poſſidere, nec earum poſſeſſionem ad alios transferre poſſumus; alias vero addici pretio non debere, vetante lege aliqua diuina vel humana; ita vt, ſi hoc fiat, *turpe pretium* ſit, quamuis in ſe aeque *verum*, ac illud, quod rebus vel maxime licitis atque innoxiis conſtituitur.

(3) Soli enim *ſerui* in commercium veniunt. At tamen perſona libera ſaltem pretium ſtatuere poteſt iuri, quod in proprias actiones, & commoda inde reſultantia concedit. Sed nec plena ſeruitus per ſe dominum vere proprietarium ſerui ſui efficit, niſi quoad poteſtatem eum alienandi, & ſic in commercium adducendi. Vide infra *Lib. II, Cap. IV. §. 5. not. 1.*

queant. Quibus ipsis tamen magnum momentum inest circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum, atque praediorum.

Sed & dum lex diuina aut humana quasdam actiones extra commercium remouit, seu pro mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxisse intelligitur. Sic illicitum est, pretio addicere actiones sacras, quibus effectus aliquis moralis ex (4) instituto diuino est adsignatus; quod crimen *Simoniam* vocant. Et improbe iustitiam venalem habet iudex (5).

Causae externae pretium rerum

§. IV. *Causae* autem, *cur vnius & eiusdem rei pretium intendatur, vel remittatur*, quodque

(4) Qualis e. g. est exhibitio *Sacramentorum &c.*

(5) Sedulo tamen in his omnibus obseruandum, pretio non adiici e. g. *iustitiam*, aut *res sacras*, cum *iudices* ac *ministri ecclesiae* pro labore suo, ac impenso functionibus muneris sui tempore, aliquod salarium recipiunt. Verum iustitiam tunc venalem habet iudex, si corrumpi se donis patiatur, aut etiam pro pecunia de iure respondeat. Et minister ecclesiae vendit res sacras, si exercere singulares muneris sui functiones non nisi in gratiam eorum, qui mactare ipsum largitionibus valent, velit. Mercatum quoque sacrarum rerum collatores beneficiorum atque officiorum ecclesiasticorum faciunt, quando ea non in dignissimos, sed plurimum offerentes, aut ob alias priuatas vtilitates conferunt.

que adeo vna res alteri praeferatur, licet haec aequalem, aut maiorem vſum in vita humana videatur obtinere, ſunt variae. Heic enim vsque adeo neceſſitas rei, aut nobilitas vſus, primas ſemper non tenent, vt potius viliſſima eſſe cernamus, quibus vita humana minime carere poteſt, ideo quod non ſine ſingulari Dei prouidentia vberem eorum prouentum natura profundat. *in genere intendentes vel remittentes.*

Ad intenſionem igitur pretii inprimis facit *raritas*; quae non parum commendatur, vbi ex locis remotis res adferuntur. Inde ambitioſa hominum luxuria multis rebus, quibus vita humana commodiſſime carere poterat, enormia pretia poſuit, puta, *vnionibus* & *gemmis*. Rerum vero quotidiani vſus pretia, potiſſimum intenduntur, quando raritas earundem coniungitur cum neceſſitate ſeu indigentia. Pretia rerum artificialium, praeter raritatem, maxime ſolent intendere (1) ſubtilitas & elegantia artis, quam prae ſe ferunt;

§. V. (1) At nonne etiam excellentes artifices, & conſequenter opera egregia, rara ſunt? Male igitur heic Auctor ab raritate diſtinguit res eodem ſeſe referentes. Et in vniuerſum poteſt adſeri, omnes illas circumſtantias, quibus pretium intenditur, hanc virtutem non aliunde habere, quam quod hoc vel illo modo efficiant, vt res in commercium veniens, & cuius nobis copiam ab altero fieri re ipſa cupimus, minime vulgaris habeatur. Nec difficulter horum applicatio ad exempla omnia ab Auctore allegata fiet.

runt; quandoque & fama artificis, nec non operis difficultas, artificum & operariorum raritas, & similia.

Operarum & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, vtilitas, necessitas, agentium raritas, dignitas, libertas, & denique ipsa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria horum pretium minuere solent.

Aliquando denique certa aliqua res non in vniuersum, sed a singulis magni aestimatur ex peculiari adfectu; puta, quod ille, a quo ista in nos profecta est, maximi a nobis fiat, exprimendoque ipsius adfectui data sit, aut quod eidem adsueuerimus, aut quia insignis casus sit monumentum, aut eiusdem ope magnum malum declinauerimus, aut quia a nobismet ipsis confecta sit. Quod solet vocari *pretium adfectionis* (2).

De pretio lege definito.

§. V. Ast *circa definienda singularum rerum pretia*, alia quoque considerari sueuerunt.

Et inter eos quidem, qui in *naturali lila-tate* inuicem viuunt, rerum singularium pretia non aliter, quam contrahentium co uentione definiuntur. Quippe cum illis erum sit,

(2) Et in his omnibus maxima depre ditur raritas, quoniam res eiusmodi vnica est. Nulla enim alia res, licet eiusdem generis, id in abet, quod istius pretium constituit in illius anir qui eam ob peculiares prorsus rationes magni ae nat.

ſit, (1) alienare aut adquirere, quae velint, nec communem habeant dominum, qui eorum commercia moderetur.

Aſt in *ciuitatibus* duplici modo pretia rerum definiuntur; vno, per decretum ſuperioris, aut per legem, altero, per communem hominum aeſtimationem atque iudicium, ſeu vſum fori, accedente conſenſu eorum, qui inter ſe contrahunt. Illud pretium aliqui ſolent vocare *legitimum*, hoc, (2) *vulgare*.

Vbi pretium legitimum in gratiam emtorum fuit conſtitutum, quod frequentius fit, non licebit venditoribus plus exigere; etſi minus accipere, ſi velint, non (3) prohibeantur.

§. V. (1) Addenda tamen eſt exceptio, niſi agatur de rebus ad vitae ſuſtentationem plane neceſſariis, quibus quis abundat, & quas alter magnopere eis indigens comparare ſibi aliunde non poteſt: tunc enim inhumanum fuerit, ex iſtius indigentia occaſionem arripere, enorme ab ipſo pretium exigendi.

(2) In Verſione Gallica *pretium vulgare* hic redditur *prix commun*, vel *prix courant*.

(3) Niſi forte magiſtratus, figendo pretium, obicem hac ratione ponere monopoliis, aut conſulere in vniuerſum mercatoribus ac commercio, propoſitum fuerit. Quod ſi vero pretium conſtitutum eſt in venditorum gratiam, non debent vtique plus exigere, poſſunt tamen, ſi velint minus accipere, niſi magiſtratui item, dum conſtituit pretium, propoſitum fuerit hac ratione impedire tenuioris fortunae homines, ne res, quibus facile carere poſſunt, emant.

tur. Sic vbi merces operarum publice sit taxata, in gratiam eorum, qui conducunt, operario non licet plus exigere; etsi idem non prohibeatur minus accipere.

De *pretio communi.* §. VI. Enimuero *vulgare pretium*, quod per leges non est taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minusue dari & accipi potest ac solet, prout inter contrahentes fuit conuentum. Quod tamen fere sequitur *vsum fori.*

Vbi 1. solet haberi ratio *laborum* & *expensarum*, quas *mercatores* communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis.

2. Nec non quo modo ematur, aut vendatur; *in magna quantitate*, an *minutatim.*

3. Subito quoque interdum mutatur commune pretium, *ex copia* aut *paucitate ementium*, *pecuniae* aut *mercium.* Nam paucitas ementium & pecuniae, (ex peculiari causa emergens,) & mercium abundantia pretium minuit; contra emturientium & pecuniae copia, & mercium raritas pretium intendit.

4. Sic & ad minuendum pretium facit, *si merx quaerat emtorem*: contra intenditur pretium, *vbi venditor vltro rogatur*, alias non vendíturus.

5. Denique & illud solet adtendi, *paratam* quis *pecuniam* offerat, an *in diem solutionem* differat; cum etiam dies sit pars pretii.

§. VII.

§. VII. Ceterum postquam a primaeua simplicitate mortales desciuerunt, & varia quaestus genera introduxerunt; facile fuit deprehensum, solum illud *vulgare pretium* non sufficere expediendis hominum negotiis, & gliscentibus commerciis. Nam tunc sola permutatione commercia constabant, & operae aliorum locari aliter, quam mutua opera, aut re tradita, non poterant. Atqui postquam tam varia desiderare ad commoditatem aut voluptatem coepimus; non sane in procliui fuerat cuiuis, eiusmodi res possidere, quas alter suis mutare vellet, aut quae alterius rebus aequiualerent. Et in ciuitatibus cultis, vbi ciues variis statibus distinguuntur, complura hominum genera dari necessum est, quae, si simplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam plane non, aut aegre, tueri queant. Hinc plerisque gentibus, queis amplior vitae cultus adridebat, visum fuit, (1) conuentione quadam *pretium eminens* certae rei imponere, ad quod certarum rerum *pretia* *vul-*

Origo & vsus *pretii eminentis*, siue *nummi*.

§. VII. (1) Imo hic nulla intercessit conuentio generalis, proprie sic dicta, & quae per se vim obligandi habeat; prouti ab aliis iam obseruatum est. Sensim enim res ista vsu recepta est, vt in cunctis consuetudinibus solenne est; ceterum deprehensa semel eius vtilitas sufficiebat, vt quilibet deinceps lubenti animo in commerciis adhiberet medium vel maxime idoneum rerum permutationibus facilitandis ac conficiendis.

vulgaria exigerentur, & in quo eadem virtualiter continerentur. Adeo vt interueniente illa re, quamlibet rem venalem quis sibi comparare, & quaeuis commercia & contractus commode posset exercere.

De materia ex qua *nummus* conficitur.

§. VIII. Hunc ad finem plerisque gentibus placuit adhibere *metalla* nobiliora, & non admodum frequentia. Nam & illa substantiae sunt valde compactae, sic vt vsu non facile deteri queant, & diuisionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minus custodiae & tractationi eadem sunt habilia; & propter raritatem multis aliis rebus aequiualere possunt. Etsi quandoque ex necessitate, & apud quasdam gentes, ex defectu metallorum, aliae res in vicem nummorum sint adhibitae.

De valore nummi.

§. IX. In ciuitatibus porro *valorem nummi* definire, est penes summos imperantes; & inde publica signa eidem solent imprimi. Est tamen, in eo definiendo, respicienda communis gentium vicinarum, aut quibuscum nobis commercia exercentur, aestimatio. Alias enim, si nimis magnum nummis suis valorem posuerit ciuitas, aut si materiam eorum rite non temperauerit, commercia ciuium suorum cum extraneis, quae quidem sola rerum permutatione absolui non possunt, valde sufflaminabit. Et ob eam ipsam causam non temere in valore nummorum fieri debet mutatio; nisi summa reipublicae necessitas id

exigat.

exigat. Etsi, gliscente auri argentique copia, paulatim nummorum valor in comparatione ad pretium fundorum, & quae inde dependent, soleat velut vltro decrescere.

CAPVT XV.

DE *CONTRACTIBUS*, QVI DOMINIVM ET PRETIVM RERVM PRAESVPPONVNT, ET FLVENTIBVS INDE OFFICIIS.

§. I.

Discrimen inter contractum & simplex pactum.

PActum in genere est *consensus & conuentio duorum pluriumue in idem placitum.* (a) Sed quia frequenter *simplicia pacta* (1) *contractibus* contradistinguuntur, id discrimen in hoc potissimum videtur consistere, quod *contractus* vocentur *pacta, quae circa res & actiones in commertium venientes versantur*, adeoque dominia & pretia rerum praesupponunt; sed

(a) Vid. J.N. & G. Lib. V. Cap. II.

§. I. (1) Reuera nulla est essentialis differentia inter *pactum simplex* & *contractum*. Quodsi tamen sic distinguere placet, studio hoc fit subtilitatum Romanae Iurisprudentiae, secundum quas *pactum simplex* seu *nudum* per se nullam vim habet, neque in foro actionem concedit.

ſed *quae circa alia ineuntur conuentiones*, *communi pactorum vocabulo inſigniuntur*. Etſi ex hiſce quibusdam promiſcue pactorum & contractuum nomen tribuatur.

Generaliſsima diuiſio *contractuum*.

§. II. *Contractus* diuidi poſſunt (1) in *beneficos*, & *onerosos*. Illi alteri contrahentium parti (2) gratis commodum aliquod adferunt; hi vtramque partem ad aequale onus adſtringunt; quippe in quibus eo fine praeſtatur aut datur aliquid, vt tantundem recipiatur.

De *contractibus beneficis*, & I. quidem de *mandato*.

(*a*) Vid. J N, & G. Lib. V. Cap. IV. §. 1-5.

§. III. Contractus benefici ſunt praecipue tres, *mandatum*, *commodatum*, & *depoſitum* (*a*). *Mandatum* eſt, *quando quis gratis alterius negotia, ipſo requirente & committente, expedienda ſuſcipit*. Idque contingit duplici ratione, vel vt praeſcribatur ipſi modus rei expedi-

§. II. (1) In verſione Gallica *contractus benefici* vocantur & *gratuiti*, *onerosi* autem *intereſſez de part & d'autre*, *mandatum la commiſſion* &c.

(2) Conſequenter hic nulla quaerenda eſt *aequalitas*, cum ipſa *inaequalitas* conſtituat eſſentiam huiusmodi contractuum, in quibus omne commodum ab vna tantum parte conſiſtit. Hoc ſolummodo probe attendendum eſt, ne benefica obligatio alterius contrahentium vltra voluntatem eius extendatur, eo pertinentem, vt alteri inſeruiat, non vero vt damnum inde patiatur, dum ſe periculo ſua amittendi, aut aliud grauius incommodum ſubeundi exponat. Non enim praeſumitur vllum, quod tanti conſtet, beneficium, ſed formale deſuper ineundum erat pactum,

pediendae, vel vt is eiusdem iudicio ac dexteritati relinquatur.

In hoc contractu, vti summa cum fide & industria versandum est, quippe cum nemo fere nisi amico, & de quo optime sentit, mandet: ita contra mandatarius indemnis praestari debet a sumtibus in rem sibi commissam factis, nec non a damnis, in quae ex causa mandati incidit, & quae (1) proprie ex ipsa re mandata profluxerunt.

§. IV. *Commodatum (a) est, quo rei nostrae vsum alicui gratis concedimus.* In quo obseruandum: 2. De commodato. (a) Vid. J. N. & G. ib. §. 6.

1. Vt quis eandem rem sollicite, & summa cum (1) diligentia seruet tractetque:

2. Ne-

§. III. (1) Quin & a casibus fortuitis, in quos probabiliter, nisi istud mandatum fuisset, non incidisset: veluti e. g. si spoliatus in itinere, eique vestimenta, aliaue necessaria ademta fuerint; aut si naufragio ea amiserit &c.

§. IV. (1) Quacunque ratione alterius rem quis secum habuerit, aut negotia expedienda susceperit; iure naturali, & citra respectum ad leges ciuiles, ad omnem, quae in ipsum cadit, diligentiam circa illa adhibendam obstrictus est; nunquam vero ad amplius quid, nisi temere se ac sine necessitate, negotio sibi ab iis, quorum interest, haud demandato immiscuerit; aut nisi conuentionis expresse vel tacite initae indoles certum curae ac solertiae gradum requirat, siue pertingere ipse eo queat, siue minus. Intelligo autem per *eam, quae in ipsum cadit, diligentiam*, illam attentionem, quam in propriis ipse rebus, quas habet carissi-

2. Neque ipſam ad alios vſus adhibeat, aut vlterius, quam commodans conceſſit:

3. Ac illaeſam, & prout accepta fuit, reſtituat; niſi quantum per ordinarium vſum eidem deceſſit.

4. Quod ſi res ad certum tempus fuerit conceſſa, & interea dominus eadem valde indigere incipiat, ex caſu aliquo tempore commodationis factae non praeuiſo, repetenti eadem citra tergiuerſationem erit reſtituenda.

5. Quod ſi autem res commodata caſu fortuito & improuiſo, citra omnem commodatarii culpam perierit; eius aeſtimatio non erit ſoluenda, vbi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. Alias aequum videtur, commodatarium aeſtimationem rei praeſtare; (2) quippe quam dominus amiſſurus non fuerat, ni aduerſus alterum benignus fuiſſet.

Vice

cariſſimas, adhibuiſſet. Vide notata a me ad Operis maioris *Lib. V. Cap. IV.* ex poſtremis Editionibus, & praeſertim §. 3. *not.* 1.

(2) Subeſt hic ordinarie conuentio tacita, vi cuius ad reſtituendam rem ipſam, aut praeſtandam eius aeſtimationem, commodatarius ſeſe obligat. Vide quae dixi ad J. N. & G. *Lib. V. Cap. IV.* §. *6. not.* 2. 9. 10. 11. Edit. nouae. Ipſius quoque contractus natura hanc reſtrictionem requirit, ſecundum dicta a me ſupra §. 2. *not.* 1. Iuris Romani aliud hic conſtituentis auctoritas illis impoſuit, qui abſolute volunt, rem domino perire.

Vice versa, si quid vtilium aut necessariarum impensarum in rem commodatam factum sit, extra eas, quae alias vsum rei regulariter comitantur; id a domino refundendum erit (3).

§. V. *Depositum* est, *quo rem nostram, aut ad nos quocunque modo spectantem, alterius fidei committimus, vt eandem gratis custodiat.* In quo requiritur: 3. De deposito.

1. Vt res concredita diligenter custodiatur, & quandocunque deponenti placuerit, restituatur; nisi ea restitutio domino, (1) aut aliis noxia sit futura, eoque intuitu differenda sit.

2. Neque licebit re deposita citra consensum domini vti, siquidem ea vllo modo per

S vsum

(3) Sunt qui alium casum adiiciunt, quo dominus commodatario pensare damnum debeat, scilicet, si prioris culpa res commodata non sit idonea ei, ad quod alter vti ea volebat, ita vt hic eo nomine amittat quid aut patiatur. At nisi a parte domini mala fides interuenerit, aut nisi is expresse pollicitus sit, se rem in statu integro traditurum, sane commodatarii vtique fuisset, rem diligentius examinare. Vid exemplum prioris casus in DIGEST. *L*, 18. §. 3. *commodati vel contra*.

§. V. (1) Veluti e. g. si qui gladium apud nos deposuit, furore correptus eum repetat: aut si deprehenderimus, rem depositam quaesitam furto esse; aut si is, qui pecuniam deposuit, illam sit adhibiturus ad bellum patriae inferendum &c.

vsum fiat deterior, aut domini intersit, ne ea conspiciatur. Ac si quis hoc ausus fuerit, quaeuis pericula, in quae res ob vsum incidit, praestabit. Sed nec licet rem depositam exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus a deponente fuit inclusa. Cum autem valde turpe sit, & foedius furto, depositum abnegare; tum id multo est turpius, si quis inficiatus fuerit *depositum miserabile*, seu quod ob periculum incendii, ruinae, tumultus, deponitur.

Vicissim a deponente sumtus in rem depositam facti, sunt refundendi (2).

Versari *in contracti-bus onerosis aequalitas* debet: quem in finem *la-tentia* rei,

§. VI. (*a*) Habent autem hoc omnes *contractus onerosi*, vt in illis versari *aequalitas* debeat; seu vt vterque contrahentium (1) tantundem

(2) Tribus hisce contractuum beneficorum speciebus, quas Auctor ita explicauit, ac si plures amplius haud essent, adiicienda etiam erat *Donatio*, ceu contractus vel maxime insignis, & cum ingenti prae ceteris omnibus vtilitate coniunctus, vtpote qui non minus *dominium* & *pretium* rerum praesupponit, secundum conceptum, quem ipse *contractibus*, a *nudis pactis* distinctis, assignauit. Qua in re rursus eum praeiudicia Jureconsultorum Romanorum fefellerunt. Vide dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. IV.* §. 1. *not.* 1.

§. VI (1) Scilicet non secundum internam rerum aestimationem, & quemadmodum alii inuicem comparatas aestimare possent; sed secundum id, quod singuli contrahentium accipere voluerunt, arbitrantes quippe id aequiualens eius, quod dederant.

tundem nanciscatur, & vbi inaequalitas interuenerit, alteri, qui minus accepit, nascatur ius ad postulandum, vt suppleatur, quod sibi deest, aut ad contractum plane abrumpendum. Id quod tamen in ciuitatibus potissimum obtinet, vbi vsu fori, aut lege, pretia rerum definiuntur.

circa quam contrahitur, *vitia indicanda.*

(a) Vid. J. N & G. Lib. V. Cap. III.

Ad hanc autem aequalitatem inueniendam & determinandam requiritur, *vt vtrique contrahentium res ipsa, circa quam contrahitur, cum eius qualitatibus, quae aliquod momentum heic habent, sit cognita.* Vnde & qui per contractum rem in alterum est translaturus, indicare debet non solum qualitates rei aestimabiles, sed & earundem priuationes & *vitia.* (2) Citra hoc enim iustum pretium constitui nequit. Etsi illas circumstantias, (3) quae per se rem non contingunt, indicare non sit necessum. Vitia autem vtrinque iam nota non opus est indicari. Et qui sciens vitiosi quid comparat, habet, quod sibi imputet.

§. VII. Eo vsque autem in hisce contractibus aequalitas est adhibenda, vt, licet nihil

Si inito contractu, postea in-

 dissi-

(2) Dicendum potius, emtorem aut tantum non daturum, si de istis priuationibus ac vitiis ipsi constitisset, aut prorsus non initurum contractum fuisse. Vid. supra *Cap. IX.* §. 12. 13. cum *notis.*

(3) Vt si nuncium quis acceperit, aduectam esse, aut aduectum iri magnam mercium aut similium rerum copiam, diminutionem pretii earundem mox inducturam &c.

aequalitas deprehendatur, ea corrigenda est.

dissimulatum sit, tamen *si* postea *inaequalitas deprehendatur, etiam citra culpam contrahentium, puta, quia vitium latebat, aut in* (1) *pretio est erratum; ea corrigenda sit*, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Etsi ad declinandam multitudinem litium, leges ciuiles vix aliis, quam enor-

§. VII. (1) Hoc valet praecipue in rebus, quarum pretium lege est definitum. Sed dici quoque potest, quod ratione earum rerum, quae pretium commune, satis definitum, quamuis paullulum variabile habent, nemo eas regulariter vltra summum istius pretii gradum emere, neque infra infimum vendere velle censeatur. Verum si variatio magna & frequens fuerit, nec quoad essentiales rei qualitates fraus vel error interuenerit, procul dubio id semper iustum erit pretium, de quo inter contrahentes vltro conuenerit. Vt vero in singulorum potestate est, velintne contrahere, nec ne, ita licet hoc etiam facere quibuscunque visum fuerit conditionibus, secundum regulas *iustitiae* proprie sic dictae, & consequenter, quale placuerit, pretium exigere pro re, ad quam concedendam alteri obligati haud erant. Alterius iam erit dispicere, sitne e re sua negotium tali modo conficere. Ob hanc vero causam, quantumuis definitum fuerit pretium vel *legitimum*, vel *commune*, si vterque contrahentium id satis cognouit, neuter merito potest conqueri, si lubenti animo in pretium plane diuersum consenserit; nisi forte ratio legis quid contineat, quod obstet, quo minus quis renuntiare commodo suo queat. Sed alia hic res est, vt & alibi, quaerere, quid leges *humanitatis*, & regulae *prudentiae* requirant.

enormibus laesionibus heic medeantur; de cetero quemque rerum suarum satagere iubeant.

§. VIII. Inter *contractus onerosos* antiquissimus fere, & quo solo ante inuentum nummum commercia expediebantur, est (*a*) *permutatio, qua vtrinque res pro re aequiualente datur.* Etsi & hodie post inuentam pecuniam, inter mercatores cumprimis, vsitatum sit genus permutationis, quo non simpliciter res inter se comparantur, sed prius pecunia taxantur, & deinde loco pecuniae inuicem traduntur.

De *contractibus onerosis*, & 1. de *permutatione.*

(*a*) Vid. J N. & G. Lib. V. Cap. V. §. 1.

Diuersum tamen negotii genus a contractu permutationis est *reciproca donatio*; in qua vt aequalitas obseruetur, necessum non est.

§. IX. (*a*) *Emtio venditio est, qua pro pecunia, rei alicuius dominium, aut eidem aequipollens ius adquiritur.*

2. De *emtione venditione.*

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. V. §. 2. seq.

Eius simplicissimum genus est, si vbi in pretium fuit consensum, emtor statim *pretium*, venditor *mercem* offerat tradatque. Frequenter tamen ita conuenitur, vt merx quidem statim tradatur, *pretium* autem *post certum interuallum sit soluendum.* Aliquando super pretio quidem conuenitur; sed vt traditio rei, seu mercis, ad certum terminum debeat fieri. Vbi aequitati conueniens videtur, (1) vt ante elap-

§. IX. (1) Quod ad hanc quaestionem attinet, in qua

elapſum eum terminum res ſit periculo venditoris: ſed ſi poſt eum elapſum emtor in mora fuerit, quominus eam ſibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit.

Solent & emtionis venditionis contractui varia *pacta* adiici: vti eſt *addictio in diem, qua res ita venditur, vt liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare:* item, *lex commiſſoria*, quando ita conuenit, *vt ſi ad certum diem pretium non ſoluatur, res ſit inemta:* item *retractus*, ſeu pactum de retrouendendo; quod vel ita concipitur, vt ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque offeratur, emtor rem teneatur venditori reſtituere; vel vt ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere; vel vt ſi emtor vltro ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum prae ceteris admittatur, quod etiam dicitur *ius protimeſeos.* Sic & frequens eſt, vt ex praediis venditis aliquam ſibi particulam, aut certum eius vſum recipiat venditor.

Eſt quoque emtionis genus, quod vocant *per auerſionem*, quando multae res diſparis pretii, non ſigillatim aeſtimatae, ſed coniunctim, & velut confuſe taxatae emuntur.

In

qua Juris Romani principia, quanquam parum ſolida & cohærentia, non paucos in errorem adduxerunt, videantur dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. V.* §. 3. & ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XII.* §. 15. *not.* 5. 6.

In eo modo venditionis, quae vocatur *auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit.

Est denique & genus emtionis, quo non certa res, sed *probabilis* tantum *spes emitur*; (2) cui aleae quid est admixtum, sic vt neque emtor, si spes fefellerit, neque venditor, si ea multum supra fuerit, queri debeat.

§. X. (a) *Locatio conductio est, qua pro mercede alicui vsus rei, aut opera addicitur.*

3. De *locatione conductione.*

(a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VI.

In qua licet regulariter in antecessum de *mercede* soleat conueniri; tamen si quis citra definitam prius mercedem alteri operam, aut vsum suae rei addixerit, censetur id exspectare, quantum communis vsus, aut conductoris aequitas tulerit.

Circa hunc contractum obseruandum, si res locata plane perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem, seu pensionem, non amplius teneri.

Quod si res locata certum ac definitum habeat vsum, vti dominus eam praestare debet, (1) quo ei vsui sit idonea; ita si illa detrimenti quid

(2) Vt si ematur a piscatore iactus retis, aut a venatore captura hodie successura &c.

§. X. (1) Adde, quod locator rem locatam conductori relinquere debeat, donec locationis exspirauerit terminus; nisi eiusmodi superuenerint casus, quos, si praeuidisset, probabiliter fuisset excepturus; vt si pensionem conductor per longum temporis spatium

quid ceperit, conductor de pensione detrahit, quantum vsui rei decesserit. Sed si rei locatae prouentus sit incertus, & aliquid aleae contineat, vti exuberans prouentus conductoris lucro; ita malignus eiusdem damno est, nec stricto iure de pensione ob sterilitatem quicquam detrahendum; praesertim cum vnius anni sterilitas, alterius vbertate soleat pensari. Nisi casus, qui prouentum interceperint, rariores fuerint (2), & de quorum alea in se susci-

tium non soluerit, si aedes corruperit, aut ita eis vtatur, vt incendii immineat periculum, aut si illicitum ibi exerceat commercium, siue exerceri patiatur. Hisce enim casibus omnibus locatori ius est, conductorem pure ac simpliciter expellendi. At si dominus aedium vendere eas, aut necessarias ibidem instituere reparationes velit, aut ad propriam inhabitationem ipse iis indigeat; locatio, si ex solo naturali iure id metiaris, abstrahendo a legibus ciuilibus & conuentionibus particularibus, ea tantum lege dissoluitur, vt locator indemnem praestet conductorem, quod e. g. habitationem ita commodam, aut tam modica mercede alibi reperire non licuerit; quippe non nisi hac restrictione censeri conductor potest tacite consensisse, quod re locata vsque ad conuentum tempus non vsurus sit. Tenetur quoque locator sarcire damna, quae ex vitiis rei, de quibus ipsi constitit, aut constare debuit, conductor sentit; veluti si locata vitiosa dolia fuerint, ex quibus effusum vinum perierit &c.

(2) Veluti gelu insolitum, aut summa ariditas, fluminis exundatio, aliiue eiusmodi extraordinarii casus, quibus prouentus omnis, vel maxima ex parte intercipitur.

ſuſcipienda conductor non cogitaſſe praeſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam aut remittendam valere, vtique aequum eſt.

Ceterum vti qui rem aliquam alteri locauit, praeſtare tenetur, vt ipſa vſui ſit habilis, impenſasque neceſſarias tolerare; ita conductor ad boni patrisfamilias modum eadem vti, & quae ipſius culpa perdita fuerunt, reſtituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, quod (3) ſua culpa corruptum eſt, itidem praeſtat.

Qui momentaneam ſuam operam alicui locauit, vbi eam quocunque caſu praeſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicuius operam conduxit, vbi is morbo, aut alio caſu, per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione deiicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

§. XI. (a) In contractu *mutui datur alicui res fungibilis, ea lege, vt is poſt intervallum idem genus reddat, in eadem quantitate & qualitate.* 4. De contractu *mutui.*

(a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VII.

S 5 Vocan

(3) Aut ignorantia artis, quam profitebatur; niſi forte ſe peritiorem, quam fuit, haud venditauit. Nam ſi, quod potuit, fecit, is qui inſcitiam eius haud ignorans, nihilominus eius opera uſus eſt, ſibi ipſi damnum imputet.

Vocantur autem res, quae mutuo solent dari, *fungibiles*, seu quae functionem in suo genere recipiunt, ideo, quia quodlibet ex isto genere vicem alterius ita subire potest, vt qui ex eodem genere eadem quantitate & qualitate receperit, idem, quod dedit, recepisse dicatur (1). Eaedem quoque res pondere, numero, & mensura determinantur & specificantur: quo respectu etiam (2) *quantitates* solent adpellari, *speciebus* contradistinctae.

Ceterum datur aliquid mutuo vel gratis, ita vt non plus, quam datum fuit, recipiatur, vel cum aliquo emolumento, quod *vsurae* vocabulo insignitur. Quae nihil habet naturali iuri repugnans, siquidem fuerit modica, & respondens lucro, quod alter ex pecunia, aut alia re credita facit, meoque damno, aut lucro cessanti, quod ex absentia rei meae capio; & vbi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud

§. XI. (1) Talis est *pecunia, aurum rudel*, ac reliqua metalla haut fabricata, *frumentum, vinum, sal, oleum, lana, panis &c.* Sub censum etiam *rerum fungibilium* veniunt illa omnia, quae venalia habentur, etiamsi vsu non consumantur. Si enim is, qui mihi librum e. g. credidit, bibliopola sit, sufficit, si aliud ipsi exemplar aeque bonum restituam; nisi restiturum me praecise idem specie exemplar, expresse receperim.

(2) Sic dicitur e. g. *tibi mutuo do mille aureos*, aut *centum ferri libras*, aut *viginti modios frumenti*, aut *decem vini amphoras*, aut *centum mensuras olei &c.*

apud quos mutuum vicem eleemosynae subit (3).

§. XII. (*a*) In contractu *societatis duo plu-resue inter se pecuniam, res, aut operas conferunt, eo fine, vt quod inde redit lucri, inter singulos pro rata diuidatur, & si quid damni capiatur, id si-mili modo a singulis pro rata feratur.* 5. De contractu societatis. (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VIII.

1. In qua societate, vti officii est, fidem & industriam adhibere; ita ex illa intempestiue, & in fraudem socii discedi non debet.

2. Ceterum societate soluta, quilibet post detractum lucrum, aut damnum, quantum intulit, recipit. (1) Quod si autem vnus pecu-

(3) Vt pro legitimo habeatur *mutuum cum usura*, sufficit secundum Ius naturale, quod quilibet non magis stricte tenetur gratis concedere alteri vsum e. g. argenti summae, quam aedium, equi &c. Qui contra absolute damnant contractum eiusmodi, aut ignari prorsus sunt verorum iustitiae principiorum, aut nimio auctorum veterum & recentiorum studio laborant, qui falsos suos conceptus vana pietatis specie obuelant. Vid. copiose dicta in textu & notis ad maius opus de *I. N. & G Lib. V Cap. VII.* §. 9. *seq.* vt & in Tractatu meo *de la Morale des Pères* Cap. IX §. 7 sq.

§. XII. (1) In Versione Gallica hic locus sic exprimitur: *Societate soluta, si singuli non nisi pecuniam aut res contulerunt, quilibet initio, quantum intulit, recipit, & deinceps proportionatam partem suam de lucro, quod remanet, accipit.* Ad quem locum haec notantur: Aut quae collata sunt, aequalia fuere, aut erat in illis inaequalitas. In priori

pecuniam, aut rem, alter operam contulerit, videndum est, quo modo facta sit collatio. Quando enim alterius opera tantum versatur circa istius pecuniam, aut rem tractandam, aut distrahendam, partes lucri ita definiuntur, prout sese pecuniae, aut rei emolumentum ad pretium operae habet, & sors salua est, ac perit ei, qui contulit. Quando antem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam, iste pro ratione meliorationis, in ipsa quoque re partem habere intelligitur (2).

3. Ast

priori casu partitio aequaliter debet fieri, nisi conuenerit, alium plus debere accipere alio. Hic enim aeque ac in omnibus reliquis contractibus, si neque error neque fraus interuenerit, omnia ex modo contrahendi pendent; adeoque falsum est, quod non pauci existimant, cuiusuis contractus certam esse naturam au formam naturaliter determinatam; cum potius clara contrahentium voluntas sit, siue expressa, siue tacita, quae eam producit, saepeque mixturam facit plurium diuersi generis contractuum, quos ordinarie vsus per certa pacta & iura essentialia distinguit. Sin vero ea, quae socii contulere, fuerunt inaequalia, nec in antecessum partes, quas singuli recipere debeant, sunt definitae, dispiciendum, vtrum differentia inter collata leuis & exigua, an vero magna sit. Et in priori casu, meo quidem iudicio, socii censeri possunt voluisse, ne adeo leuis & exigua differentia in considerationem veniat.

(2) Hoc casu condominium socius nanciscitur. Pone e. g. me pannorum textori dare centum thaleros, pro quibus rudem lanam emat. Ex ea igitur pannos conficit, eiusque opera itidem valet centum thale-

3. Ast vbi *omnium bonorum societas* est inita, singuli socii, vti quae lucrantur, fideliter conferre debent; ita contra ex communi massa pro ratione conditionis suae singuli sustentandi. Soluta autem societate, diuisio bonorum fit pro ratione eorum, quae singuli in societatem initio intulerunt; non adtendendo, per cuius bona societati lucrum, aut damnum prouenerit, nisi aliter sit conuentum.

§. XIII. Dantur quoque complures (*a*) *contractus*, *qui aleam continent*. Quos inter referre possis, 1. *sponsiones*, quando euentus alicuius, nondum (1) vtrinque notorii, existentiam alter adfirmat, alter negat; certo pretio vtrinque deposito, quod illi cedat, cuius adsertioni euentus congruere deprehensus fuerit.

6. *De contractibus aleam continentibus.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. IX.

2. Huc pertinent omnia *ludorum* genera, in quibus (2) aliquo pretio certatur. Inter quos

---

chaleros. Vbi venditi panni fuerint, pecunia inde redacta, aequaliter erit diuidenda.

§. XIII. (1) Valet tamen sponsio, etsi alterutri contendentium de euentu certo constiterit; nisi forte dolose simulauerit se id nescire, aut de eo dubitare, eoque alterum ad ineundam sponsionem induxerit. Vide quae dixi in *Tractatu de Ludo, Lib. II. Cap. II.* §. 16.

(2) Ad institiam ludorum, ceterorumque contractuum aleam continentium, non id tantum requiritur, vt quae vtrinque periculo exponuntur, sint aequa-

aequalitas deprehendatur, ea corrigenda est.

dissimulatum sit, tamen *si* postea *inaequalitas deprehendatur, etiam citra culpam contrahentium, puta, quia vitium latebat, aut in* (1) *pretio est erratum; ea corrigenda sit*, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Etsi ad declinandam multitudinem litium, leges ciuiles vix aliis, quam enor-

§. VII. (1) Hoc valet praecipue in rebus, quarum pretium lege est definitum. Sed dici quoque potest, quod ratione earum rerum, quae pretium commune, satis definitum, quamuis paullulum variabile habent, nemo eas regulariter vltra summum istius pretii gradum emere, neque infra infimum vendere velle censeatur. Verum si variatio magna & frequens fuerit, nec quoad essentiales rei qualitates fraus vel error interuenerit, procul dubio id semper iustum erit pretium, de quo inter contrahentes vltro conuenerit. Vt vero in singulorum potestate est, velintne contrahere, nec ne, ita licet hoc etiam facere quibuscunque visum fuerit conditionibus, secundum regulas *iustitiae* proprie sic dictæ, & consequenter, quale placuerit, pretium exigere pro re, ad quam concedendam alteri obligati haud erant. Alterius iam erit dispicere, sitne e re sua negotium tali modo conficere. Ob hanc vero caussam, quantumuis definitum fuerit pretium vel *legitimum*, vel *commune*, si vterque contrahentium id satis cognouit, neuter merito potest conqueri, si lubenti animo in pretium plane diuersum consenserit; nisi forte ratio legis quid contineat, quod obstet, quo minus quis renuntiare commodo suo queat. Sed alia hic res est, vt & alibi, quærere, quid leges *humanitatis*, & regulæ *prudentiae* requirant.

enormibus laesionibus heic medeantur; de cetero quemque rerum suarum satagere iubeant.

§. VIII. Inter *contractus onerosos* antiquissimus fere, & quo solo ante inuentum nummum commercia expediebantur, est (*a*) *permutatio, qua vtrinque res pro re aequiualente datur.* Etsi & hodie post inuentam pecuniam, inter mercatores cumprimis, vsitatum sit genus permutationis, quo non simpliciter res inter se comparantur, sed prius pecunia taxantur, & deinde loco pecuniae inuicem traduntur.

De *contractibus onerosis*, & 1. de *permutatione*.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. V. §. 1.

Diuersum tamen negotii genus a contractu permutationis est *reciproca donatio*; in qua vt aequalitas obseruetur, necessum non est.

§. IX. (*a*) *Emtio venditio est, qua pro pecunia, rei alicuius dominium, aut eidem aequipollens ius adquiritur.*

2. De *emtione venditione*.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. V. §. 2. seq.

Eius simplicissimum genus est, si vbi in pretium fuit consensum, emtor statim *pretium*, venditor *mercem* offerat tradatque. Frequenter tamen ita conuenitur, vt merx quidem statim tradatur, *pretium* autem *post certum interuallum sit soluendum.* Aliquando super pretio quidem conuenitur; sed vt traditio rei, seu mercis, ad certum terminum debeat fieri. Vbi aequitati conueniens videtur, (1) vt ante elap-

§. IX. (1) Quod ad hanc quaestionem attinet, in qua

elapſum eum terminum res ſit periculo venditoris: ſed ſi poſt eum elapſum emtor in mora fuerit, quo minus eam ſibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit.

Solent & emtionis venditionis contractui varia *pacta* adiici: vti eſt *addictio in diem, qua res ita venditur, vt liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare*: item, *lex commiſſoria*, quando ita conuenit, *vt ſi ad certum diem pretium non ſoluatur, res ſit inemta*: item *retractus*, ſeu pactum de retrouendendo; quod vel ita concipitur, vt ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque offeratur, emtor rem teneatur venditori reſtituere; vel vt ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere; vel vt ſi emtor vltro ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum prae ceteris admittatur, quod etiam dicitur *ius protimeſeos*. Sic & frequens eſt, vt ex praediis venditis aliquam ſibi particulam, aut certum eius vſum recipiat venditor.

Eſt quoque emtionis genus, quod vocant *per auerſionem*, quando multae res diſparis pretii, non ſigillatim aeſtimatae, ſed coniunctim, & velut confuſe taxatae emuntur.

In

qua Juris Romani principia, quanquam parum ſolida & cohærentia, non paucos in errorem adduxerunt, videantur dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. V.* §. 3. & ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XII.* §. 15. *not.* 5. 6.

In eo modo venditionis, quae vocatur *auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit.

Est denique & genus emtionis, quo non certa res, sed *probabilis* tantum *spes emitur*; (2) cui aleae quid est admixtum, sic vt neque emtor, si spes fefellerit, neque venditor, si ea multum supra fuerit, queri debeat.

§. X. (*a*) *Locatio conductio est, qua pro mercede alicui vsus rei, aut opera addicitur.* 3. *De locatione conductione.*

In qua licet regulariter in antecessum de *mercede* soleat conueniri; tamen si quis citra definitam prius mercedem alteri operam, aut vsum suae rei addixerit, censetur id exspectare, quantum communis vsus, aut conductoris aequitas tulerit. (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VI.

Circa hunc contractum obseruandum, si res locata plane perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem, seu pensionem, non amplius teneri.

Quod si res locata certum ac definitum habeat vsum, vti dominus eam praestare debet, (1) quo ei vsui sit idonea; ita si illa detrimenti quid

(2) Vt si ematur a piscatore iactus retis, aut a venatore captura hodie successura &c.

§. X. (1) Adde, quod locator rem locatam conductori relinquere debeat, donec locationis exspirauerit terminus; nisi eiusmodi superuenerint casus, quos, si praeuidisset, probabiliter fuisset excepturus; vt si pensionem conductor per longum temporis spatium

quid ceperit, conductor de pensione detrahit, quantum vsui rei decesserit. Sed si rei locatae prouentus sit incertus, & aliquid aleae contineat, vti exuberans prouentus conductoris lucro; ita malignus eiusdem damno est, nec stricto iure de pensione ob sterilitatem quicquam detrahendum; praesertim cum vnius anni sterilitas, alterius vbertate soleat pensari. Nisi casus, qui prouentum interceperint, rariores fuerint (2), & de quorum alea in se susci-

tium non soluerit, si aedes corruperit, aut ita eis vtatur, vt incendii immineat periculum, aut si illicitum ibi exerceat commercium, siue exerceri patiatur. Hisce enim casibus omnibus locatori ius est, conductorem pure ac simpliciter expellendi. At si dominus aedium vendere eas, aut necessarias ibidem instituere reparationes velit, aut ad propriam inhabitationem ipse iis indigeat; locario, si ex solo naturali iure id metiaris, abstrahendo a legibus ciuilibus & conuentionibus particularibus, ea tantum lege dissoluitur, vt locator indemnem praestet conductorem, quod e. g. habitationem ita commodam, aut tam modica mercede alibi reperire non licuerit; quippe non nisi hac restrictione censeri conductor potest tacite consensisse, quod re locata vsque ad conuentum tempus non vsurus sit. Tenetur quoque locator sarcire damna, quae ex vitiis rei, de quibus ipsi constitit, aut constare debuit, conductor sentit; veluti si locata vitiosa dolia fuerint, ex quibus effusum vinum perierit &c.

(2) Veluti gelu insolitum, aut summa ariditas, fluminis exundatio, aliiue eiusmodi extraordinarii casus, quibus prouentus omnis, vel maxima ex parte intercipitur.

ſuſcipienda conductor non cogitaſſe praeſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam aut remittendam valere, vtique aequum eſt.

Ceterum vti qui rem aliquam alteri locauit, praeſtare tenetur, vt ipſa vſui ſit habilis, impenſasque neceſſarias tolerare; ita conductor ad boni patrisfamilias modum eadem vti, & quae ipſius culpa perdita fuerunt, reſtituere debet. Et qui opus faciendum conduxit, quod (3) ſua culpa corruptum eſt, itidem praeſtat.

Qui momentaneam ſuam operam alicui locauit, vbi eam quocunque caſu praeſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicuius operam conduxit, vbi is morbo, aut alio caſu, per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua functione deiicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

§. XI. (*a*) In contractu *mutui datur alicui res fungibilis, ea lege, vt is poſt interuallum idem genus reddat, in eadem quantitate & qualitate.* 4. De contractu *mutui.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VII.

S 5 Vocan

(3) Aut ignorantia artis, quam profitebatur; niſi forte ſe peritiorem, quam fuit, haud venditauit. Nam ſi, quod potuit, fecit, is qui inſcitiam eius haud ignorans, nihilominus eius opera uſus eſt, ſibi ipſi damnum imputet.

Vocantur autem res, quæ mutuo solent dari, *fungibiles*, seu quae functionem in suo genere recipiunt, ideo, quia quodlibet ex isto genere vicem alterius ita subire potest, vt qui ex eodem genere eadem quantitate & qualitate receperit, idem, quod dedit, recepisse dicatur (1). Eaedem quoque res pondere, numero, & mensura determinantur & specificantur: quo respectu etiam (2) *quantitates* solent adpellari, *speciebus* contradistinctae.

Ceterum datur aliquid mutuo vel gratis, ita vt non plus, quam datum fuit, recipiatur, vel cum aliquo emolumento, quod *vsurae* vocabulo insignitur. Quae nihil habet naturali iuri repugnans, siquidem fuerit modica, & respondens lucro, quod alter ex pecunia, aut alia re credita facit, meoque damno, aut lucro cessanti, quod ex absentia rei meae capio; & vbi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud

---

§. XI. (1) Talis est *pecunia, aurum rude*, ac reliqua metalla haut fabricata, *frumentum, vinum, sal, oleum, lana, panis &c.* Sub censum etiam *rerum fungibilium* veniunt illa omnia, quae venalia habentur, etiamsi vsu non consumantur. Si enim is, qui mihi librum e. g. credidit, bibliopola sit, sufficit, si aliud ipsi exemplar aeque bonum restituam; nisi restituturum me praecise idem specie exemplar, expresse receperim.

(2) Sic dicitur e. g. *tibi mutuo do mille aureos*, aut *centum ferri libras*, aut *viginti modios frumenti*, aut *decem vini amphoras*, aut *centum mensuras olei &c.*

apud quos mutuum vicem eleemosynae subit (3).

§. XII. (a) In contractu *societatis duo plures ue inter se pecuniam, res, aut operas conferunt, eo fine, vt quod inde redit lucri, inter singulos pro rata diuidatur, & si quid damni capiatur, id simili modo a singulis pro rata feratur.* 5. De contractu societatu. (a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. VIII.

1. In qua societate, vti officii est, fidem & industriam adhibere; ita ex illa intempestiue, & in fraudem socii discedi non debet.

2. Ceterum societate soluta, quilibet post detractum lucrum, aut damnum, quantum intulit, recipit. (1) Quod si autem vnus pecu-

(3) Vt pro legitimo habeatur *mutuum cum usura*, sufficit secundum Ius naturale, quod quilibet non magis stricte tenetur gratis concedere alteri vsum e. g. argenti summae, quam aedium, equi &c. Qui contra absolute damnant contractum eiusmodi, aut ignari prorsus sunt verorum iustitiae principiorum, aut nimio auctorum veterum & recentiorum studio laborant, qui falsos suos conceptus vana pietatis specie obuelant. Vid. copiose dicta in textu & notis ad maius opus de *I. N. & G Lib. V Cap. VII. §. 9. seq.* vt & in Tractatu meo *de la Morale des Pères* Cap. IX §. 7 sq.

§. XII (1) In Versione Gallica hic locus sic exprimitur: *Societate soluta, si singuli non nisi pecuniam aut res contulerunt, quilibet initio, quantum intulit, recipit, & deinceps proportionate partem suam de lucro, quod remanet, accipit.* Ad quem locum haec notantur: Aut quae collata sunt, aequalia fuere, aut erat in illis inaequalitas. In priori

3. Ast vbi *omnium bonorum societas* est inita, singuli socii, vti quae lucrantur, fideliter conferre debent; ita contra ex communi massa pro ratione conditionis suae singuli sustentandi. Soluta autem societate, diuisio bonorum fit pro ratione eorum, quae singuli in societatem initio intulerunt; non adtendendo, per cuius bona societati lucrum, aut damnum prouenerit, nisi aliter sit conuentum.

§. XIII. Dantur quoque complures (a) *contractus*, *qui aleam continent*. Quos inter referre possis, 1. *sponsiones*, quando euentus alicuius, nondum (1) vtrinque notorii, existentiam alter adfirmat, alter negat; certo pretio vtrinque deposito, quod illi cedat, cuius adsertioni euentus congruere deprehensus fuerit.

6. *De contractibus aleam continentibus.*

(a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. IX.

2. Huc pertinent omnia *ludorum* genera, in quibus (2) aliquo pretio certatur. Inter quos

chaleros. Vbi venditi panni fuerint, pecunia inde redacta, aequaliter erit diuidenda.

§. XIII. (1) Valet tamen sponsio, etsi alterutri contendentium de euentu certo constiterit; nisi forte dolose simulauerit se id nescire, aut de eo dubitare, eoque alterum ad ineundam sponsionem induxerit. Vide quae dixi in *Tractatu de Ludo, Lib. II. Cap. II. §. 16.*

(2) Ad institiam ludorum, ceterorumque contractuum aleam continentium, non id tantum requiritur, vt quae vtrinque periculo exponuntur, sint aequa-

quos tamen minus aleae habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, solertiae, aut roboris continent. In quibusdam ingenium & alea pari vigore sese exserit. In aliis denique alea praedominatur. Etsi rectorum ciuitatis sit, dispicere, quousque ex vsu publico, aut singulorum sit, eiusmodi contractus tolerari.

3. Huc spectat *lotaria*, quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, post sorte decernunt, cui soli ea tota debeat cedere. Item *olla fortunae*, quando deiecto in vrnam certo tesserarum seu schedularum, inscriptarum & inanium, numero, pretio redimitur facultas easdem extrahendi; ita vt extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio prae se fert.

4. Hisce contractibus adfinis est *adsecuratio*, seu contractus periculi auertendi & praestandi; (3) quo quis, certa pecunia accepta, in se suscipit & praestat pericula, quae subiturae sunt

aequalia; sed vt etiam periculum amittendi & spes lucrandi vtrinque proportionem iustam habeat cum re, de qua certatur. Vide modo citatum *Tractatum de Ludo*, in quo de ludis ex professo agitur, non solum quoad iustitiam, eiusque regulas, sed & quoad aliarum virtutum praecepta.

(3) Maiorem vel minorem exigere adsecurator mercedem potest, prout grauioribus vel leuioribus periculis res subiicitur. Verum nullus est contractus, si

ſunt merces in alia loca transportandae; ita vt ſi has interire contigerit, adſecurator earundem pretium domino reſtituere teneatur.

§. XLV. Ad maiorem firmitatem & ſecuritatem contractibus frequenter ſolent adiici *fideiuſſiones & pignora* (1). *De fideiuſſionibus.*

(*a*) In *fideiuſſione alius homo, qui creditori idoneus iudicatur, principalis debitoris obligationem velut in ſubſidium in ſe ſuſcipit*; ita vt niſi iſte ſoluat, hic ipſius vices ſubeat: vt tamen quod erogauit, a principali debitore ipſi refundi debeat. (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. X. §. 9. ſq.

Etſi autem ad maiorem ſummam fideiuſſor, quam debitor principalis, teneri non poſſit: non tamen repugnat, iſtum, quam hunc, (2) arctius teneri: quippe cum huic plus, quam illi, fidei fuerit habitum. Naturaliter tamen

ſi quidem adſecurans rem, cui cauetur, ſaluam iam perueniſſe, quo debebat, aut mercator eandem iam periiſſe nouerit.

§. (1) In verſione Gallica adhibentur hic vocabula *vne Caution* & *vn Gage*. Et *expromiſſor* redditur *vne Caution ſolidaire*.

(2) Fideiuſſor e. g. poteſt ſolutionem breuiori tempore, aut loco minus commodo praeſtandam in ſe recipere &c. Negat quidem hoc CARMICHAEL, etſi concedat, fideiuſſorem datis pignoribus aut iureiurando coërceri poſſe, cum neutro forte modo teneatur principalis debitor. Anne vero fideiuſſio minus naturam mutat, cum fideiuſſor neceſſitatem ſibi dandi pignora imponit, ad quam debitor haud tene-

tamen principalis debitor prius, quam fideiussor est adpellandus; nisi hic istius obligationem plane in se receperit, qui *expromissor* vocari solet.

Quod si plures pro vno fideiusserint, pro rata duntaxat erunt singuli conueniendi; nisi forte quis eorum soluendo non sit, aut eiusdem conueniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui huius portione onerabuntur.

De *pignoribus ac hypothecis.*

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. X. §. 13. seq.

§. XV. Saepe quoque solet creditori in securitatem crediti tradi, aut adsignari a debitore certa quaepiam res, (*a*) *pignoris* aut *hypothecae* nomine, quousque istud fuerit exsolutum. Cuius finis est non solum, vt debitor ad soluendum vrgeatur desiderio rei suae recuperandae; sed & vt in promtu sit, vnde sibi soluatur. Inde & regulariter pignora tanti, aut maioris esse solent, quam ipsum debitum.

Cete-

tenebatur; quam cum promittit alio tempore aut loco soluere? Sed certum est, essentiam pacti a debitore principali initi consistere in quantitate debiti, reliqua omnia autem esse accidentalia, & ad modum solummodo obligationis subsidiariae, aut executionem eius spectare. Et si omnia perpendetis, nihil obstat, quin pleno & libero fideiussoris consensu misceatur hic fideiussio cum quouis alio obligationis genere, e. c. quin fideiussor pure & simpliciter id promittat, ad quod non nisi conditionate se debitor principalis obligauerat. Vid. dicta hanc in sententiam supra §. 12. *not.* 1. & ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. X.* §. 10. *not.* 6. Ed. nouae.

Ceterum *res, quae pignori opponantur*, sunt vel *fructuosae*, vel *steriles*. Circa priores saepe adiici solet pactum ἀντιχρήσεως, seu vt creditor loco vsurae fructus istius pignoris percipiat. Circa posteriores autem *lex commissoria*, (1) vt nempe pignus cedat creditori, vbi intra certum tempus solutio non sit facta. Id quod naturaliter iniquum non est, vbi pignus pluris non est, quam debitum, & vsurae intermedii temporis; aut si quod excedit, (2) domino restituatur.

Vti autem creditor pignus, solutione facta, debet restituere; ita interea (3) non minorem, quam propriis rebus illi custodiam debet: & vbi

§. XV. (1) Quia censeri debet haec clausula commissoria, (sic enim in Versione Gall. vocatur) tanquam tacite adposita, locum habere, quoties per longius temporis spatium debitor pignus non reluit. Nemo enim citra isthanc clausulam credere suum in diuturnum tempus, oblato pignore, voluerit; & sine hoc, cumulatis sensim vsuris, pignus sterile haud amplius suffecerit ad praestandum indemnem creditorem, huiusque iura postremo in nihilum redigerentur. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. X.* §. 13. *not.* 2. Ed. novae.

(2) Stricto iure hoc necessarium non est, cum expresse conuentum est, pignus censeri debere venditum, & quasi aequiualens debito. Tunc enim ipse debitor pretium constituit.

(3) Ita vt si pignus ipsius culpa amittitur aut perit, eo nomine teneatur. Debitum vero tunc extinguitur, & si pignus multo maioris fuit pretii, quam debi-

vbi pactum antichreticum non accesserit, sitque talis res, quae vsu adteratur, aut si debitoris vllo modo intersit; inuito hoc, eadem vti non potest.

Differt *hypotheca* a *pignore*, quod hoc constituatur rei traditione: illa autem, re non tradita, constat nuda adsignatione rei, inprimis immobilis, ex qua, solutione non facta, creditor suo credito potiri queat.

De officiis contrahentium.

§. XVI. Ceterum quaenam contrahentium sint officia, ex *fine* & *natura* horum *contractuum* liquido adparet.

CAPVT XVI.

DE *MODIS, QVIBVS SOLVANTVR OBLIGATIONES*, QVAE EX PACTIS ORIVNTVR.

§. I.

Obligationes ex pactis soluuntur 1. *Solutione*.

INter (a) *modos soluendi obligationes* ex pactis oriundas, quibusque adeo officia inde promanantia exspirant, maxime naturalis est 1. *Expletio*, aut *solutio* eius, de quo fuit conuentum. Vbi licet regulariter is, qui debet,

(a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. XI.

debitum, superfluum restituere debet. Vid. dicta a me ad Opus maius *Lib. V. Cap. X.* §. 14. *not.* 5. Ed. nouae.

bet, soluere teneatur; tamen si praestatio fiat ab alio, nomine ejus, qui obligationem contraxit, haec dissoluitur; (1) siquidem alias nihil interfit, abs quo expletio fiat. Ita tamen vt qui pro altero, (2) animo non donandi, soluit, ab hoc, quod erogauit, repetere queat.

Soluendum praeterea ei, cui debetur, aut quem hic delegauit, vt ipsius nomine debitum recipiat.

Et denique illud ipsum praestandum, aut soluendum, de quo conuentum fuit, non aliud eius loco; integrum, non mutilum; non pars duntaxat, non diuisum; loco itidem & tempore conuento. Etsi saepe humanitas cre-

T 2 ditoris,

§. I. (1) Sic e.g. si credita sit pecunia, modo tantundem, ac creditum est, in proba moneta recipiatur, vndecunque procedat solutio, nihil interest. Verum si opus aliquod peritus artifex promiserit, per quemcunque alium praestare illud nequit: quoniam plures sunt artifices, quibus non prorsus eadem, quae ipsi, dexteritas fuerit; ita vt alteri, cui operam iste suam addixit, inde decederet, quod ignobile opus pro egregio, quod exspectabat, consequeretur.

(2) Locum hoc ordinarie habet, cum quis inscio debitore soluit. Cum quis vero inuito eo soluit, stricto iure nihil potest ab eodem exigere, quoniam censetur aut gratis ipsum exonerare debito voluisse, aut libero eius arbitrio relinquere, velitne restituere nec ne id, quod pro eo solutum est. Vide quae dixi ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. XI. §. 2. not. 1.* Ed. nouae.

ditoris, aut impotentia debitoris subigat terminum solutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

2. Compensatione. §. II. 2. Tolluntur quoque obligationes *compensatione*, quae est crediti & debiti inter se contributio; seu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipse creditor rem eiusdem generis, & quae tantidem est, vicissim liquido debet. Cum enim, inprimis in rebus fungibilibus, tantundem sit idem; & vero vbi mutuum est debitum, mihi statim tantundem esset reddendum, atque ipse accepi: igitur declinandis inutilibus solutionibus commodissimum est, vtrumque suum retinendo solutione defungi.

Patet autem, compensari proprie posse res fungibiles eiusdem generis, quarum soluendarum tempus praesens est, aut praeteriit; non alias res, aut praestationes diuersae naturae, nisi forte illae vtrinque in sui aestimationem, seu in pecuniam resoluantur.

3. Condonatione seu *remissione debiti.* §. III. 3. Tollitur quoque obligatio *condonatione* seu *remissione* eius, cui quid debebatur, & cuius interest, obligationem fuisse expletam. Ea solet fieri vel *expresse*, per adhibita signa consensum testantia, puta, data acceptilatione, redditis (1) aut abolitis chirogra-

§. III. (1) Auctor hic debet supponere, quod simul ac quis reddit aut abolet chirographum, consilium

rographis; vel *tacite*, si quis ipse impediat, aut in causa sit, quominus quod sibi debetur, possit praestari.

§. IV. 4. Solent quoque solui obligationes, quae vtriusque partis praestatione constant, re adhuc integra, *mutuo dissensu*; nisi leges (1) positiuae id prohibuerint. Vbi autem ab altera parte iam quid sit praestitum; accedat oportet vel huius condonatio, (2) vel vt alia ratione id sarciatur. 4. *Mutuo dissensu* partium.

§. V. 5. Praeterea non tam soluitur, quam abrumpitur (1) obligatio *alterius partis perfidia*. Quando enim vnus non praestat, de quo est conuentum, neque alter tenetur praestare, quod intuitu istius praestationis in se recepit. 5. *Perfidia alterius partis.*

 cepit.

filium abolendi debitum declaret. Alioqui consensus non nisi tacitus est. Sed possunt etiam existere casus, quibus creditor hac ratione nullatenus obligatione liberat debitorem. Vid. dicta a me ad J.N. & G. *Lib. V. Cap. XI.* §. 7. *not.* 5. Ed. nouae.

§. IV. (1 Quod fit e. c. *in contractibus matrimonialibus, aut matrimonio non consummato.*

(2) Vt si emtor, merce nondum sibi exhibita, pretium soluerit; aut vice versa venditor, pretio nondum accepto, mercem tradiderit. Priori enim casu venditor pretium, altero mercem emtor tenetur restituere.

§. V. (1) Id est, pactum non subsistit amplius, si ita velimus. Sed possumus tamen etiam velle contrarium, vt scilicet nihilominus subsistat. Vid. dicta a me ad Opus maius *Lib. V. Cap. XI.* §. 9. *not.* 3. Ed. nouae.

cepit. Nam capita praestandorum in pactis priora, posterioribus insunt per modum conditionis; quasi ita dictum foret: *praestabo, si tu praestiteris prius.*

6. Mutatione status. §. VI. 6. Exspirant quoque obligationes, quando *statum*, in quo eaedem vnice fundabantur, *mutauerit* vel ille, qui praestare, vel is, (1) cui praestari debebat.

7. Tempore. §. VII. 7. Ipso *tempore* exspirant obligationes, quarum duratio a puncto aliquo temporis suspensa fuit; nisi expressa, aut tacita partium conuentione illa prorogata fuerit. Necessum est tamen, vt intra illud tempus facultas exigendi obligationem (1) extiterit.

8. Delegatione. §. VIII. 8. Per (1) *delegationem* substituit quis creditori suo consentienti debitorem suum,

§. VI. (1) Ciuis e. g. ad praestandum priori magistratui obsequium non amplius tenetur eo ipso momento, quo in aliam ciuitatem transierit; aut qui magistratum gerebant, iam munere suo abierint.

§. VII. (1) Intelligenda est haec restrictio de eiusmodi conuentionibus, de quarum essentia est, vt quis per totum conuentionis tempus ipse eo fruatur, de quo cum altero conuenit. Si enim e. c. conductis in annum aedibus, in alio loco morbo decubuerim, ita vt per totum illud tempus inhabitare istas aedes non licuerit; vti non ideo abrupta est locatio, ita nec illo obtentu postulari eiusdem prorogatio potest. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. XI.* §. 11. *not.* 2. Ed. nouae.

§. VIII. (1) *Delegatio* verbum est Iuris Romani, quod

suum, vt his loco ipsius debitum suum exsoluat. Vbi creditoris quidem consensus requiritur; non autem tertii istius debitoris, quem etiam ignarum & inuitum alteri volenti delegare possum. Nam nihil interest, vtri quis soluat; multum autem, a quo quis debitum exigat.

§. IX. 9. *Morte* denique soluuntur obligationes in persona alicuius radicatae. Subiecto quippe sublato, accidentia quoque extingui necessum est. Saepe tamen in superstitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque, vel quia superstes ex officio pietatis, aut alias ob rationes defuncti obligationes explendas in se suscipit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat satisfaciendum, quae cum isto onere in heredem transierunt. 9. *Morte.*

CAPVT XVII.

DE *INTERPRETATIONE* PACTORVM ET LEGVM.

§. I.

ITa quidem est, vt neque in illis, quae imperio iniunguntur, quis vlterius obligetur, quam Necessitas pacta & leges rite *interpretandi.*

quod vero hic Auctor noster in alio sensu accipit. Vid. ad maius Opus *Lib. V. Cap. XI.* §. 13. *not.* 2. Ed. nouae.

quam superior voluit; neque ad quae quis vltro sese adstringit, vlterius teneatur, quam ipse voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo iudicare non potest, nisi ex actibus & signis in sensus incurrentibus: inde *demum in id quilibet obligari in* (1) *foro humano censetur, quod recta signorum interpretatio suggerit.* Vnde tam ad leges, quam ad pacta rite intelligenda, & exinde officio explendo (2), plurimum prodest, (*a*) *regulas bonae interpretationis*, circa *verba* potissimum, tanquam communissimum signum, constitui.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. XII.

§. II.

§. I. (1) Etsi in animo quis habuerit, ad quid vlterius sese obligare, quam quod verba secundum naturalem suam interpretationem prae se ferunt; non ideo tamen, nec in foro diuino, praestandi hoc ipsum, quod excedit vlla existit obligatio: quippe cum circa istud acceptatio defuerit alterius partis, quae internam augurari mentis destinationem haud potuit. Vnde non perspicio, in quem finem hanc restrictionis speciem Auctor heic adiecerit. Explicare quidem verba *in foro humano* ita voluit CARMICHAEL, quasi hoc saltem Auctor dixerit: *in negotiis quae homini cum aliis hominibus intercedunt*. Sed in omnibus aliis locis huius Compendii & maioris Operis, idem semper *forum humanum* opponit *foro diuino*, seu foro conscientiae, quatenus hoc ea a nobis exigit, quae secundum leges humanas omitti poterant.

(2) Atque hoc eo magis necessarium est, quod leges ciuiles saepe regulas interpretationis valde arbitrarias constituunt. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. XII.* §. 1. *not.* 1. Ed. nouae.

§. II. De *verbis popularibus* haec est regula: *verba regulariter intelligenda sunt in proprio suo & famoso significatu, quem ipsis imposuit non tam proprietas aut analogia grammatica, aut deriuationis conformitas, quam pupularis vsus*, quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi. Quomodo sint intelligenda *verba popularia.*

§. III. *Vocabula artium explicanda sunt secundum* (1) *definitiones prudentum cuiusque artis.* Quod (2) si vocabula artium a diuersis diuersimode definiantur; ad lites praescindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus. Quomodo explicanda *vocabula artium.*

§. IV. *Coniecturis* autem ad eruendum genuinum sensum opus est, si vel verba simplicia, aut verborum complexio, sint *ambigua*; aut si partes quaedam orationis sibi inuicem *videantur repugnare*, vt tamen dextra explicatione adhibita conciliari inuicem possint. Nam vbi certa & manifesta est repugnantia, posterius derogabit prioribus. *Coniecturis* opus est, si occurrat *ambiguitas*, aut *adparens contradictio.*

T 5 §. V.

§. III. (1) Nisi is, qui loquitur, cum artis, tum vocabulorum eius sit imperitus. Tunc enim ex sermonis serie aliisue circumstantiis, quem forte sensum iste habuerit in animo, iudicandum est.

(2) Alienum a proposito est hoc monitum. Nec enim heic quaeritur de modo, quo loqui conueniat, vt propriam quis voluntatem liquido significet; sed tantum de regulis, ex quibus de alterius mente, vbi ea obscurius expressa fuerit, constare queat: id quod ad Opus maius iam obseruatum est.

Hae coniecturae petuntur

§. V. *Coniecturae* voluntatis rectique sensus, in sermone ambiguo aut intricato, petuntur potissimum *ex substrata materia, ex effectu*, & *coniunctis*.

1. *Ex substrata materia.*

1. Circa *materiam* haec est regula: *Verba regulariter sunt intelligenda secundum substratam materiam.* (1) Nam semper illi, qui locutus est, materia, de qua sermo institutus est, ob oculos versari praesumitur; ideoque semper ad eandem sententia verborum adtemperanda.

2 *Ex effectu & consequentibus.*

§. VI. 2. De *effectu* & *consequentibus* haec est regula: *Vbi verba crude & simpliciter accepta, vel* (1) *nullum, vel* (2) *absurdum aliquem effe-*

§. V. (1) Sic si initae inter duos duces bellicos induciae *quindecim dierum* fuerint, testatur abunde ipsa induciarum natura, intellectum esse per vocem *diei* spatium 24. horarum aequalium; noctem aeque ac moram solis supra Horizontem complectens. Vnde friuola fuerit cauillatio, si non obstante conuentione, alter hostium alterum noctu inuadere, hostilesque aduersus ipsum actus exercere sustinuerit.

§. VI. (1) Talis fuit illius discipuli cauillatio, qui promissa in mercedem magisto Rhetorices certa pecuniae summa, tunc demum soluenda, *vbi primam, quam acturus in foro esset, causam obtinuisset*; passus deinde est, se a magistro, cui satisfacere renuebat, in foro conueniri, reputans, se hac ratione a soluendo fore liberum, si condemnatus a iudicibus, praetexere posset, se *primam suam causam amisisse.* Quippe si ita verba interpretari fas foret, conuentio nullum plane effectum sortiretur.

(2) Huc pertinet casus misselli illius barbitonsoris, qui

effectum post se essent tractura; a receptiore sensu paulisper deflectendum, quatenus nullitatis, aut absurditatis vitandae necessitas requirit.

§. VII. 3. Ex *coniunctis* validissimae sumuntur coniecturae, quia regulariter quilibet sibi constare praesumitur. Coniuncta sunt vel *loco*, vel tantum *origine*. De prioribus haec est regula: *Si sensus in eiusdem sermonis loco aliquo plane & perspicue sit expressus, obscuriores locutiones ex illis planis sunt interpretandae.* Cui vicina est altera: *In omni sermone interpretando accurate ad antecedentia & consequentia est adtendendum*, quibus interiecta adtemperari & respondere praesumuntur. De posterioribus autem ista habetur regula: *Vnius & eiusdem hominis obscurum dictum interpretandum est ex ipsius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis*; nisi manifeste adpareat, ipsum sententiam mutasse. 2. Ex *coniunctis loco vel origine.*

§. VIII. Plurimum quoque prodest ad verum sensum inuestigandum, in legibus cumprimis, inspicere *rationem legis*, seu causam & respectum illum, qui ad legem ferendam lato- De *ratione legis.*

qui *Bononiae* in ius vocatus est, quod alicui in platea venam secuisset, quia lege ibi statutum erat, vt quicunque in platea alteri *sanguinem elicuisset*, grauissimas poenas daret. Vide EVERHARDI *Locos Legales, Loc. ab absurdo pag.* 144. Manifeste enim absurdum fuerat, sub verbis, *elicere sanguinem*, salutarem chirurgi operationem comprehendere.

latorem monerit; inprimis vbi constat, vnicam eam legis rationem fuisse. De qua haec regula est: *Illa interpretatio legis est sequenda, quae rationi legis congruit, & contra reiicienda, quae ab eadem discrepat.* Item: *Cessante ratione legis vnica & adaequata, cessat ipsa lex.* Verum vbi plures eiusdem legis fuerint rationes, non statim vna cessante, tota lex cessat; cum reliquae rationes ad eius vim sustinendam sufficere possint. Saepe quoque sola voluntas legislatoris sufficit, vtut ratio legis subiectos lateat.

Extendenda aut *restringenda* est vocabulorum significatio, prout *materia fauorabilis* est, aut *odiosa*.

§. IX. Obseruandum praeterea est, multa vocabula habere *plures vna significationes*, alteram *laxiorem*, alteram *strictiorem*. Sed & aliam materiam esse *fauorabilem*, aliam *odiosam*, aliam *mixtam* (1). *Fauorabile* est, quod vtriusque partis aequalem facit conditionem, quod communem vtilitatem spectat, quod actus quoslibet

§. IX. (1) Incerta pariter ac inutilis est haec distinctio. Promissa enim & pacta, vt & priuilegia, cum circa res licitas ac innoxias, prout hoc loco supponendum, versentur, natura sua indifferentia sunt, adeoque nec extendi, nec restringi, nisi quantum eorum auctoris intentio postulat, debent. Praeterea in casibus adlegatis aut eadem interpretatio locum habere potest, non habito ad id, quod odiosum vel fauorabile in iis deprehenditur, respectu; vt si quis dicat, hoc vel illud ius *alicui & descendentibus eius* concessum esse, vulgaris vocabuli, *descendentium*, vsus sufficit, ne priuilegium ad eos qui primi sunt gradus

bet conferuat, quod pacem promouet &c. *Odiosum* est, quod vnam duntaxat partem, aut vnam magis, quam alteram grauat, quod poenam in se continet, quod actum reddit irritum, aut priora immutat, quod bellum promouet. *Mixtum* est, v. g. si quod priora quidem immutet, sed pacis tamen causa.

De istis haec est regula: *Fauorabilia latius, odiosa strictius interpretanda.*

§. X.

---

gradus, restringatur: aut vero interpretatio ista aliquid ipsis Auctoris nostri principiis minus consentaneum inuoluit: dicit enim e. g. fauorabile esse, quod communem vtilitatem spectat: iam vero quis nescit, poenarum irflictionem, quam inter odiosa recenset, publicae vtilitati conuenire? Denique praeterquam quod nonnunquam deprehenditur rationum conflictus, impediens quominus decidi quicquam possit, cum eadem res pro diuersa considerandi ratione *fauorabilis* aut *odiosa* apparere possit; distinctio eadem saepenumero interpretationem sensui loquentis manifeste aduersam suggerere posset. Pone enim e. g. magistratum sub graui comminatione exportari extra fines frumentum vetuisse, & nihilominus aliquem exportare farinam; hoc casu, ex principiis Auctoris, is qui in exteras regiones farinam exportauit, non poterit puniri: imminuitur enim eius libertas, ac prohibitio poenam secum trahit, quae ambo odiosa sunt. Ceterum vide quae adnotaui ad J. N. & G. *Lib. V. Cap. XII.* §. 12. *sq.* in noua Ed. auctiora, item ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XVI.* §. 10. *seq.* vnde auctor noster distinctionem istam repetiit.

De *extensione legum* ad certos casus non expressos.

§. X. Dantur quoque *coniecturae aliunde, quam ex verbis ortae*, quae efficiunt, vt *interpretatio* quandoque sit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Etsi facilius dentur rationes, quae suadeant interpretationem coarctari, quam extendi.

Potest igitur lex ad casum, qui in lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quae in illum casum quadrat, vnicam fuisse, quae legislatorem mouerit; eamque ab ipso consideratam fuisse in sua generalitate, & vt (1) aequipollentes quoque casus complecteretur. Sed & extendi lex debet ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus praue solertibus inueniuntur.

De *restrictionibus* prouenientibus *ex defectu voluntatis originario*.

§. XI. Vt autem verba generaliter posita restringantur, contingit aut *ex defectu voluntatis originario*, aut *ex casus emergentis cum voluntate repugnantia* (1). Quod

---

§. X. (1) Non enim necessum existimat legislator, omnes semper ac singulos casus enunciare. Quippe tales dantur, quibus res ita est euidens, vt ob hoc ipsum nemini in mentem veniat, omne id, quod legis vel pacti ambitu comprehenditur, exprimere. E. g. cum lex certum supplicium ei, qui *patrem occiderit*, infligendum decernit, manifestissimum est, voluisse legislatorem, istud pariter de eo, qui *matrem* interemerit, intelligi; & quod *matris*, cui eandem filius, quam patri, reuerentiam debet, peculiariter mentionem non iniecerit, inde esse, quod exprimere rem, cuilibet per se patentem, superfluum duxerit.

§. XI. (1) Diuisionem hanc ex GROTIO repetitam

Quod aliquis ab initio quid noluisse praesumatur; intelligitur 1. *ex absurdo*, quod alias inde sequeretur, id quod nemo sanus voluisse iudicatur. Inde *verba generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura.* 2. *Ex* (2) *defectu rationis*, quae vnice

tam nonnulli Auctores censura affecerunt, quos ipse secutus sum in secunda editione versionis meae maioris Operis de *I. N & G. Lib V. Cap. XII* §. 19. *not.* 2. Cum vero postea GROTII versionem adornarem, studiosius mentem eius peruestigaui, eamque assecutus mihi videor. Paucis eam indicaui in *nota* 1. ad *I. B. & P. Lib. II. Cap. XVI.* §. 22. vbi totum hoc argumentum pertractauit. Sed fusius deinceps hac de re disserui in nouis Notis ad Auctoris maius Opus de *I. N. & G. Lib. V. Cap. XII.* §. 19. *not.* 2. & §. 22. *not.* 1. ex quibus apparebit, distinctionem istam vsu haud destitui, sed in re ipsa vtique fundatam esse.

(2) Addendae hic sunt nonnullae exceptiones. 1. Si plures fuerint rationes, quae ad determinandum legislatorem vel contrahentes parem efficaciam habuerint, vna quidem cessante, eatenus verba legis aut conuentionis licet restringere. Ast si principalis ratio adsit, quamdiu haec subsititerit, etsi vna aut plures rationes subordinatae forsan cessauerint, non tamen propter hanc solam causam restrictio locum habebit: quemadmodum e contrario, statim ac ista principalis ratio deficit, reliquae omnes vim suam amittunt. 2. Non sufficit ad approbandam in hoc vel illo casu restrictionem, malum, cui lex obuiam ire debuit, actu non contigisse; modo enim certum sit, accidere potuisse illud malum, totam nihilominus suam vim lex retinet. 3. Etsi ratio legis in certis casibus extraordinariis cessauerit, non ideo tamen restringere generalem locu-

cepit. Nam capita praestandorum in pactis priora, posterioribus insunt per modum conditionis; quasi ita dictum foret: *praestabo, si tu praestiteris prius.*

6. Mutatione status. §. VI. 6. Exspirant quoque obligationes, quando *statum*, in quo eaedem vnice fundabantur, *mutauerit* vel ille, qui praestare, vel is, (1) cui praestari debebat.

7. Tempore. §. VII. 7. Ipso *tempore* exspirant obligationes, quarum duratio a puncto aliquo temporis suspensa fuit; nisi expressa, aut tacita partium conuentione illa prorogata fuerit. Necessum est tamen, vt intra illud tempus facultas exigendi obligationem (1) extiterit.

8. Delegatione. §. VIII. 8. Per (1) *delegationem* substituit quis creditori suo consentienti debitorem suum,

§. VI. (1) Ciuis e. g. ad praestandum priori magistratui obsequium non amplius tenetur eo ipso momento, quo in aliam ciuitatem transierit; aut qui magistratum gerebant, iam munere suo abierint.

§. VII. (1) Intelligenda est haec restrictio de eiusmodi conuentionibus, de quarum essentia est, vt quis per totum conuentionis tempus ipse eo fruatur, de quo cum altero conuenit. Si enim e. c. conductis in annum aedibus, in alio loco morbo decubuerim, ita vt per totum illud tempus inhabitare istas aedes non licuerit; vti non ideo abrupta est locatio, ita nec illo obtentu postulari eiusdem prorogatio potest. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. XI.* §. 11. *not.* 2. Ed. nouae.

§. VIII. (1) *Delegatio* verbum est Iuris Romani, quod

ſuum, vt his loco ipſius debitum ſuum exſoluat. Vbi creditoris quidem conſenſus requiritur; non autem tertii iſtius debitoris, quem etiam ignarum & inuitum alteri volenti delegare poſſum. Nam nihil intereſt, vtri quis ſoluat; multum autem, a quo quis debitum exigat.

§. IX. 9. *Morte* denique ſoluuntur obligationes in perſona alicuius radicatae. Subiecto quippe ſublato, accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Saepe tamen in ſuperſtitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque, vel quia ſuperſtes ex officio pietatis, aut alias ob rationes defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcipit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, quae cum iſto onere in heredem tranſierunt. 9. *Morte.*

CAPVT XVII.

DE *INTERPRETATIONE* PACTORVM ET LEGVM.

§. I.

ITa quidem eſt, vt neque in illis, quae imperio iniunguntur, quis vlterius obligetur, Neceſſitas pacta & leges rite *interpretandi.*

 quam

quod vero hic Auctor noſter in alio ſenſu accipit. Vid. ad maius Opus *Lib. V. Cap. XI.* §. 13. *not.* 2. Ed. nouae.

quam superior voluit; neque ad quae quis vltro sese adstringit, vlterius teneatur, quam ipse voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo iudicare non potest, nisi ex actibus & signis in sensus incurrentibus: inde *demum in id quilibet obligari in* (1) *foro humano censetur, quod recta signorum interpretatio suggerit.* Vnde tam ad leges, quam ad pacta rite intelligenda, & exinde officio explendo (2), plurimum prodest, (a) *regulas bonae interpretationis*, circa *verba* potissimum, tanquam communissimum signum, constitui.

(a) Vid. J. N. & G. Lib. V. Cap. XII.

§. II.

§. I. (1) Etsi in animo quis habuerit, ad quid vlterius sese obligare, quam quod verba secundum naturalem suam interpretationem prae se ferunt; non ideo tamen, nec in foro diuino, praestandi hoc ipsum, quod excedit vlla existit obligatio: quippe cum circa istud acceptatio defuerit alterius partis, quae internam augurari mentis destinationem haud potuit. Vnde non perspicio, in quem finem hanc restrictionis speciem Auctor heic adiecerit. Explicare quidem verba *in foro humano* ita voluit CARMICHAEL, quasi hoc saltem Auctor dixerit: *in negotiis quae homini cum aliis hominibus intercedunt.* Sed in omnibus aliis locis huius Compendii & maioris Operis, idem semper *forum humanum* opponit *foro diuino*, seu foro conscientiae, quatenus hoc ea a nobis exigit, quae secundum leges humanas omitti poterant.

(2) Atque hoc eo magis necessarium est, quod leges ciuiles saepe regulas interpretationis valde arbitrarias constituunt. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. V. Cap. XII.* §. 1. *not.* 1. Ed. nouae.

§. II. De *verbis popularibus* haec est regula: *verba regulariter intelligenda sunt in proprio suo & famoso significatu, quem ipsis imposuit non tam proprietas aut analogia grammatica, aut deriuationis conformitas, quam pupularis vsus*, quem penes arbitrium est, & ius & norma loquendi. Quomodo sint intelligenda *verba popularia.*

§. III. *Vocabula artium explicanda sunt secundum* (1) *definitiones prudentum cuiusque artis.* Quod (2) si vocabula artium a diuersis diuersimode definiantur; ad lites praescindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus. Quomodo explicanda *vocabula artium.*

§. IV. *Coniecturis* autem ad eruendum genuinum sensum opus est, si vel verba simplicia, aut verborum complexio, sint *ambigua*; aut si partes quaedam orationis sibi inuicem *videantur repugnare*, vt tamen dextra explicatione adhibita conciliari inuicem possint. Nam vbi certa & manifesta est repugnantia, posterius derogabit prioribus. *Coniecturis* opus est, si occurrat *ambiguitas*, aut *adparens contradictio.*

T 5 §. V.

§. III. (1) Nisi is, qui loquitur, cum artis, tum vocabulorum eius sit imperitus. Tunc enim ex sermonis serie aliisue circumstantiis, quem forte sensum iste habuerit in animo, iudicandum est.

(2) Alienum a proposito est hoc monitum. Nec enim heic quaeritur de modo, quo loqui conueniat, vt propriam quis voluntatem liquido significet; sed tantum de regulis, ex quibus de alterius mente, vbi ea obscurius expressa fuerit, constare queat: id quod ad Opus maius iam obseruatum est.

Hae coniecturae petuntur 1. *Ex substrata materia.*

§. V. *Coniecturae* voluntatis rectique sensus, in sermone ambiguo aut intricato, petuntur potissimum *ex substrata materia, ex effectu*, & *coniunctis*.

1. Circa *materiam* haec est regula: *Verba regulariter sunt intelligenda secundum substratam materiam.* (1) Nam semper illi, qui locutus est, materia, de qua sermo institutus est, ob oculos versari praesumitur; ideoque semper ad eandem sententia verborum adtemperanda.

2 *Ex effectu & consequentibus.*

§. VI. 2. De *effectu* & *consequentibus* haec est regula: *Ubi verba crude & simpliciter accepta, vel* (1) *nullum, vel* (2) *absurdum aliquem effe-*

§. V. (1) Sic si initae inter duos duces bellicos induciae *quindecim dierum* fuerint, testatur abunde ipsa induciarum natura, intellectum esse per vocem *diei* spatium 24. horarum aequalium, noctem aeque ac moram solis supra Horizontem complectens. Vnde friuola fuerit cauillatio, si non obstante conuentione, alter hostium alterum noctu inuadere, hostilesque aduersus ipsum actus exercere sustinuerit.

§. VI. (1) Talis fuit illius discipuli cauillatio, qui promissa in mercedem magistro Rhetorices certa pecuniae summa, tunc demum soluenda, *vbi primam, quam acturus in foro esset, causam obtinuisset*; passus deinde est, se a magistro, cui satisfacere renuebat, in foro conueniri, reputans, se hac ratione a soluendo fore liberum, si condemnatus a iudicibus, praetexere posset, se *primam suam causam amisisse.* Quippe si ita verba interpretari fas foret, conuentio nullum plane effectum sortiretur.

(2) Huc pertinet casus miselli illius barbitonsoris, qui

effectum post se essent tractura; a receptiore sensu paulisper deflectendum, quatenus nullitatis, aut absurditatis vitandae necessitas requirit.

§. VII. 3. Ex *coniunctis* validissimae sumuntur coniecturae, quia regulariter quilibet sibi constare praesumitur. Coniuncta sunt vel *loco*, vel tantum *origine*. De prioribus haec est regula: *Si sensus in eiusdem sermonis loco aliquo plane & perspicue sit expressus, obscuriores locutiones ex illis planis sunt interpretandae.* Cui vicina est altera: *In omni sermone interpretando accurate ad antecedentia & consequentia est adtendendum*, quibus interiecta adtemperari & respondere praesumuntur. De posterioribus autem ista habetur regula: *Vnius & eiusdem hominis obscurum dictum interpretandum est ex ipsius dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis;* nisi manifeste adpareat, ipsum sententiam mutasse. 2. Ex *coniunctis loco vel origine.*

§. VIII. Plurimum quoque prodest ad verum sensum inuestigandum, in legibus cumprimis, inspicere *rationem legis*, seu causam & respectum illum, qui ad legem ferendam lato- De *ratione legis.*

qui *Bononiae* in ius vocatus est, quod alicui in platea venam secuisset, quia lege ibi statutum erat, vt quicunque in platea alteri *sanguinem elicuisset*, grauissimas poenas daret. Vide EVERHARDI *Locos Legales, Loc. ab absurdo pag.* 144. Manifeste enim absurdum fuerat, sub verbis, *elicere sanguinem*, salutarem chirurgi operationem comprehendere.

latorem mouerit; inprimis vbi constat, vnicam eam legis rationem fuisse. De qua haec regula est: *Illa interpretatio legis est sequenda, quae rationi legis congruit, & contra reiicienda, quae ab eadem discrepat.* Item: *Cessante ratione legis vnica & adaequata, cessat ipsa lex.* Verum vbi plures eiusdem legis fuerint rationes, non statim vna cessante, tota lex cessat; cum reliquae rationes ad eius vim sustinendam sufficere possint. Saepe quoque sola voluntas legislatoris sufficit, vtut ratio legis subiectos lateat.

Extendenda aut *restringenda* est vocabulorum significatio, prout *materia fauorabilis* est, aut *odiosa*.

§. IX. Obseruandum praeterea est, multa vocabula habere *plures vna significationes*, alteram *laxiorem*, alteram *strictiorem*. Sed & aliam materiam esse *fauorabilem*, aliam *odiosam*, aliam *mixtam* (1). *Fauorabile* est, quod vtriusque partis aequalem facit conditionem, quod communem vtilitatem spectat, quod actus quoslibet

§. IX. (1) Incerta pariter ac inutilis est haec distinctio. Promissa enim & pacta, vt & priuilegia, cum circa res licitas ac innoxias, prout hoc loco supponendum, versentur, natura sua indifferentia sunt, adeoque nec extendi, nec restringi, nisi quantum eorum auctoris intentio postulat, debent. Praeterea in casibus adlegatis aut eadem interpretatio locum habere potest, non habito ad id, quod odiosum vel fauorabile in iis deprehenditur, respectu; vt si quis dicat, hoc vel illud ius *alicui & descendentibus eius* concessum esse, vulgaris vocabuli, *descendentium*, vsus sufficit, ne priuilegium ad eos qui primi sunt gradus

bet conseruat, quod pacem promouet &c. *Odiosum* est, quod vnam duntaxat partem, aut vnam magis, quam alteram grauat, quod poenam in se continet, quod actum reddit irritum, aut priora immutat, quod bellum promouet. *Mixtum* est, v. g. si quod priora quidem immutet, sed pacis tamen causa.

De istis haec est regula: *Fauorabilia latius, odiosa strictius interpretanda.*

§. X.

gradus, restringatur: aut vero interpretatio ista aliquid ipsis Auctoris nostri principiis minus consentaneum inuoluit: dicit enim e. g. fauorabile esse, quod communem vtilitatem spectat: iam vero quis nescit, poenarum inflictionem, quam inter odiosa recenset, publicae vtilitati conuenire? Denique praeterquam quod nonnunquam deprehenditur rationum conflictus, impediens quominus decidi quicquam possit, cum eadem res pro diuersa considerandi ratione *fauorabilis* aut *odiosa* apparere possit; distinctio eadem saepenumero interpretationem sensui loquentis manifeste aduersam suggerere posset. Pone enim e. g. magistratum sub graui comminatione exportari extra fines frumentum vetuisse, & nihilominus aliquem exportare farinam; hoc casu, ex principiis Auctoris, is qui in exteras regiones farinam exportauit, non poterit puniri: imminuitur enim eius libertas, ac prohibitio poenam secum trahit, quae ambo odiosa sunt. Ceterum vide quae adnotaui ad J. N. & G. *Lib. V. Cap. XII.* §. 12. *sq.* in noua Ed. auctiora, item ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XVI.* §. 10. *seq.* vnde auctor noster distinctionem istam repetiit.

De *extensione legum* ad certos casus non expressos.

§. X. Dantur quoque *coniecturae aliunde, quam ex verbis ortae*, quae efficiunt, vt *interpretatio* quandoque sit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Etsi facilius dentur rationes, quae suadeant interpretationem coarctari, quam extendi.

Potest igitur lex ad casum, qui in lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quae in illum casum quadrat, vnicam fuisse, quae legislatorem mouerit; eamque ab ipso consideratam fuisse in sua generalitate, & vt (1) aequipollentes quoque casus complecteretur. Sed & extendi lex debet ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus praue solertibus inueniuntur.

De *restrictionibus* prouenientibus *ex defectu voluntatis originario*.

§. XI. Vt autem verba generaliter posita restringantur, contingit aut *ex defectu voluntatis originario*, aut *ex casus emergentis cum voluntate repugnantia* (1). Quod

§. X. (1) Non enim necessum existimat legislator, omnes semper ac singulos casus enunciare. Quippe tales dantur, quibus res ita est euidens, vt ob hoc ipsum nemini in mentem veniat, omne id, quod legis vel pacti ambitu comprehenditur, exprimere. E. g. cum lex certum supplicium ei, qui *patrem occiderit*, infligendum decernit, manifestissimum est, voluisse legislatorem, istud pariter de eo, qui *matrem* interemerit, intelligi; & quod *matris*, cui eandem filius, quam patri, reuerentiam debet, peculiariter mentionem non iniecerit, inde esse, quod exprimere rem, cuilibet per se patentem, superfluum duxerit.

§. XI. (1) Diuisionem hanc ex GROTIO repetitam

Quod aliquis ab initio quid noluisse praesumatur; intelligitur 1. *ex absurdo*, quod alias inde sequeretur, id quod nemo sanus voluisse iudicatur. Inde *verba generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura*. 2. *Ex* (2) *defectu rationis*, quae vnice

tam nonnulli Auctores censura affecerunt, quos ipse secutus sum in secunda editione versionis meae maioris Operis de *I. N & G. Lib V. Cap. XII.* §. 19. *not.* 2. Cum vero postea GROTII versionem adornarem, studiosius mentem eius peruestigaui, eamque assecutus mihi videor. Paucis eam indicaui in *nota* 1. ad *I. B. & P. Lib. II. Cap. XVI.* §. 22. vbi totum hoc argumentum pertractauit. Sed fusius deinceps hac de re differui in nouis Notis ad Auctoris maius Opus de *I. N. & G. Lib. V. Cap. XII.* §. 19. *not.* 2. & §. 22. *not.* 1. ex quibus apparebit, distinctionem istam vsu haud destitui, sed in re ipsa vtique fundatam esse.

(2) Addendae hic sunt nonnullae exceptiones. 1. Si plures fuerint rationes, quae ad determinandum legislatorem vel contrahentes parem efficaciam habuerint, vna quidem cessante, eatenus verba legis aut conuentionis licet restringere. Ast si principalis ratio adsit, quamdiu haec substiterit, etsi vna aut plures rationes subordinatae forsan cessauerint, non tamen propter hanc solam causam restrictio locum habebit; quemadmodum e contrario, statim ac ista principalis ratio deficit, reliquae omnes vim suam amittunt. 2. Non sufficit ad approbandam in hoc vel illo casu restrictionem, malum, cui lex obuiam ire debuit, actu non contigisse; modo enim certum sit, accidere potuisse illud malum, totam nihilominus suam vim lex retinet. 3. Etsi ratio legis in certis casibus extraordinariis cessauerit, non ideo tamen restringere generalem locu-

vnice ipsius voluntatem mouit. Inde *sub generali locutione non comprehenduntur casus, in quos ratio legis vnica & adaequata non quadrat.* 3. *Ex defectu materiae*, de qua semper is, qui loquitur, cogitasse censetur. Inde & *ad eandem verba generalia semper sunt adtemperanda.*

De restrictionibus prouenientibus *ex casus postea emergentis cum voluntate repugnantia.*

§. XII. Quod autem *casus, qui postea emergit, cum voluntate* eius, qui aliquid constituit, (1) *pugnet*, id deprehenditur vel *ex naturali ratione*, vel *ex aliquo signo voluntatis.*

Prius

locutionem licet; cum credibile sit, legislatorem ad eiusmodi exceptiones respicere noluisse, siue quod rarius obueniant, siue ad euitandam difficilis admodum discussionis perplexitatem, aut quod periculum erat, ne iudices eludendi leges, sub praetextu mentis & intentionis earum amplectendae, occasionem arripiant, &c. Sic testamentum factum ab impubere, non desinit esse nullum, etsi forte contigerit, talem sufficienti praeditum esse iudicio ad testandum matura cum deliberatione ac prudentia; lex vero ob hanc ipsam rationem, quod isthaec fere in ista aetate deficiant, testamenta impuberum irrita declarauerit.

§. XII. (1) Hoc est, quod casus adeo extraordinarius sit, vt omnino verisimile sit, eum legislatori aut paciscentibus in mentem nec venisse, nec venire potuisse. Difficile tamen est coniectura assequi, quae voluntas eorum futura esset, si casus eiusmodi ipsis in mentem venisset. Principia enim, quibus restrictio superstruitur, non aeque immediatum & manifestum habent cum ipsa rei natura nexum, quam in casibus ordinariis, de quibus, quod aliquo modo praeuisi fuerint, praesumi potest, ideoque ibi supponitur

defectus

Prius contingit, si ab *aequitate* foret discedendum, nisi certi casus ab generali lege eximerentur. Est quippe (*a*) aequitas correctio eius, in quo lex deficit ob vniuersalitatem. Quia enim non omnes casus praeuideri, nec ob infinitam varietatem exprimi possunt; ideo *quando generalia verba ad speciales casus sunt adplicanda, eximendi sunt illi casus, quos exemturus fuerat ipse legislator, si super tali casu consultus fuisset.* Ad isthanc tamen aequitatem decurrere non licet, nisi sufficientia indicia subigant. Inter quae certissimum est, si adpareat, (2) violatum iri legem naturalem, vbi expresse quis litteram legis humanae sequi velit. Proximum ab hoc, si non quidem illicitum sit verba legis sequi, sed tamen rem humaniter aestimanti (3) id nimis videatur

(*a*) Vid. supra Cap. II. §. 10.

V graue

defectus voluntarie originarius. Videantur Notae ad Opus maius citatae supra §. 11. *not.* 1.

(2) Supponamus e. g. legem iubentem, vt quicunque alicuius criminis capitalis reum nouerit, eum denunciet. Jam vero filius aliquis scit patrem eiusmodi crimen commisisse, nec tamen eum denunciat. Interim si hoc fecisset, culpam quodammodo parricidii contraxisset. Postulat itaque naturalis aequitas, vt hic in gratiam filii exceptio a lege fiat. Quoad conuentiones exemplum supra reperietur *Cap. XV.* §. 5. *not.* 1.

(3) Et ex hoc fundamento lex de *Sabbatho*, quanquam a Deo profecta, sed tamen positiua tantum, exceptiones admittebat, prout Christus ipse eam explicat MATTH. *XII.* 3. *& sq.* Sic in promissis & con-

graue & intolerabile, siue in vniuersum omnibus hominibus, siue certis personis; aut si finis tanti non videatur, qui tam care sit redimendus.

De collisione duarum legum, aut conuentionum.

§. XIII. Denique ab vniuersali locutione facienda est exceptio, si verba alio loco posita, cum praesenti lege aut pacto non quidem directe pugnant, sed propter certam temporis circumstantiam heic & nunc simul obseruari nequeunt. Heic igitur certae sunt obseruandae regulae, vt intelligi possit, quaenam lex in eo casu, vbi vtrique simul satisfieri nequit, praeferri debeat.

1. *Id, quod permittitur tantum, cedit* (1) *ei, quod iubetur.*

2. *Quod*

---

contractibus saepe obligatio, quamuis generalis, eandem ob causam restringitur. Vide supra *Cap. XV.* §. 4. *num.* 4. & § 10. *num.* 1. Similiter si quis ex lege foederis tenetur, in auxilium socio quoties & quantas postulauerit copias submittere, nihilominus ab hac obligatione liber censebitur, si ipse inuasionem metuat, aut ob alium casum fortuitum copiis suis indigeat.

§. XIII. (1) Non valet haec regula, nisi cum permissio generalis, iussio vero specialis fuerit. Constat enim e contrario, id, quod generaliter iubetur, cedere ei, quod specialiter permittitur. Quippe posteriori hoc casu, permissio iussui exceptionem dat; sicuti priori, iussio permissum limitat. Vid. quae obseruaui ad Opus maius *Lib. V. Cap. XII.* §. 23. *not.* 1. & ad GROTIVM *Lib. II. Cap. XVI.* §. 29. *not.* 3.

2. *Quod faciendum est certo tempore, praefertur ei, quod quouis tempore fieri potest.*

3. *Adfirmatiuum praeceptum cedit* (2) *negatiuo:* seu quando praecepto *adfirmatiuo* satisfieri nequit, nisi violato praecepto *negatiuo*, istius impletio (3) erit in praesens omittenda.

4. *Inter conuentiones legesque, cetera aequales, peculiaris praefertur generali* (4).

5. *Inter duas praestationes, certo temporis articulo inuicem collisas, quarum vna causas magis honestas aut vtiles, quam altera, habet, hanc isti cedere par fuerit* (5).

V 2 6. (6)

(2) Distinguendum heic etiam, praeceptum adfirmatiuum aut negatiuum generale sit, an speciale. Vid. dicta a me ad J. N. & G. *Lib. V. Cap. XII.* §. 23. *not.* 3. Ed. nouae.

(3) Sic e. g. erogari eleemosyna non debet, si fieri istud, nisi ablata re aliena, nequeat. Posito, gloriam Dei, vexatis religionis causa hominibus, promoueri posse; tali tamen medio, cum legis naturalis, tum Euangelii prohibitioni aperte contrario, vti nefas habendum est. Vide supra *Cap I* §. 22.

(4) Inde est, quod naturaliter minus generalis restrictionem aut exceptionem magis generali inferat; vt si duae sint leges, quarum vna filiosfamilias non emancipatos facere vetet testamentum, altera vero illud filiisfamilias militiae vel ecclesiae operam nauantibus indulgeat. Ex isto quoque principio peculiaria prouinciae aut vrbis alicuius statuta generalibus regni legibus derogant.

(5) Sic praestat inseruire publico, quam priuato; & satius

6. (6) *Iniuratum pactum cedit iurato*, quando vtrique simul satisfieri nequit.

7. *Obligationi perfectae cedit imperfecta* (7).

8. *Lex beneficentiae, ceteris paribus, cedit legi gratitudinis.*

DE

& satius est, elegantiores litteras excolere, quam arti alicui illiberali dare operam.

(6) Quoniam qui iurato promittit, videtur sibi fortiorem obligationem voluisse imponere, quam qui non iurato. Sed hoc verum non est, nec secundum ipsa Auctoris nostri principia verum esse potest, nisi cetera omnia supposueris esse paria. Si enim de duobus pactis directe inuicem oppositis agatur, posterius tempore priori, siue iuratum sit, siue minus, praeualere debet. Quod si autem ambo pacta tantum diuersa fuerint, peculiare maiorem, quam generale, vim obtinet.

(7) Sic exsoluenda potius debita, quam eroganda eleemosynae. Posteriores hae duae regulae quinta continentur, eiusque, vt cuilibet patet, non nisi consectaria sunt.

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

secundum

LEGEM NATVRALEM.

Liber Secundus.

CAPVT I.

DE *STATV* HOMINVM *NATVRALI.*

§. I.

PRoximum est, vt inquiramus de illis officiis, quae homini obeunda incumbunt ex *diuerso statu*, in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem *statum* in genere, illam (*a*) *conditionem, in qua homines constituti intelliguntur* (1), ad

Quid sit *status moralis.*

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. I. Cap. I. §. 6. sq.

V 3

§. I. (1) Fundata est haec conditio in certis relationibus moralibus, quae non sunt momentaneae, sed perpe-

ad certum genus actionum obeundum; quem etiam peculiaria fere iura comitantur.

Quotuplex sit status.

§. II. *Status* hominum est vel *naturalis*, vel *aduentitius*.

Naturalis triplici modo considerari, solo praelucente rationis lumine, potest: vel *in ordine ad Deum* creatorem, vel *in ordine singulorum hominum ad se ipsos*, vel *in ordine ad alios homines*.

De *statu naturali*, considerato *in ordine ad Deum*.

§. III. Priori modo consideratus *naturalis status* hominis, est illa *conditio, in qua a creatore est constitutus; dum eximium prae ceteris animal eundem esse voluit.* Ex quo statu fluit, quod homo debeat auctorem sui agnoscere, colere, & ipsius opera admirari; ac diuersa plane ratione a brutis vitam suam exigere. Inde & ei *statui* opponitur *vita & conditio brutorum* (1).

§. IV.

---

perpetuae, aut eius naturae, vt tales esse possint, & quae consequenter continuam actionum seriem requirunt, aut iura non caduca & fluxa tribuunt. Officiorum autem hinc nascentium regulae in vniuersum nihil aliud sunt, quam officiorum supra explicatorum applicatio ad diuersum statum, in quo homines moraliter collocati sunt.

§. III. (1) Haec *statum naturalem* considerandi ratio ab hoc loco aliena est, & alioquin adeo generalis, vt omnia hominum officia, qualiacunque demum sint, complectatur; cum nullum eorum sit, quod necessitatem secundum *rationem* viuendi non supponat, sine qua nec *ius*, nec *obligatio* potest concipi.

§. IV. Altero modo statum hominis naturalem considerare possumus, (a) *si animo fingamus, qualis eiusdem conditio futura esset, si quilibet sibi soli relictus foret, sine vllo adminiculo ab aliis hominibus accedente*; (1) & quidem posita illa naturae humanae conditione, qualis iam deprehenditur. Quae sane miserior, quam cuiusuis belluae, videtur futura fuisse, si expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum iam egrediatur homo, periturus statim sine aliorum auxilio; & quam rudem sit vitam idem exacturus, si nihil aliud cuique adesset, quam quod propriis viribus ingenioque debeat. Quin potius, quod ex tanta imbecillitate adolescere potuimus, quod infinitis iam commoditatibus fruimur, quod animum corpusque in nostrum & aliorum vsum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum prouenit. Et in hoc sensu, *status naturalis* opponitur *vitae per industriam hominum excultae*.

De statu naturali, in ordine singulorum hominum ad seipsos.

(a) Vid. supra Lib. I. Cap. III. §. 3.

§. V. Tertio modo *statum* hominis *naturalem* consideramus, *prout intelliguntur homines sese inuicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quae ex similitudine naturae resultat, ante pactum aliquod, aut factum humanum, quo peculiariter vnus alteri redditus fuit obstrictus.* Quo sensu

De statu naturali, in ordine ad alios homines.

§. IV. (1) Apparet hinc, non nisi *physicum* hunc esse *statum*, quo de iam supra Auctor fuse disseruit.

ſenſu in ſtatu naturali inuicem viuere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum vnus alteri non eſt ſubiectus, quique inter ſe neque beneficio, neque iniuria ſunt cogniti. Quo ſenſu *ſtatus naturalis* opponitur *ſtatui ciuili* (1).

Concipitur is vel *per fictionem*, vel *prout reuera exiſtit.*

(a) Vid. I. N. & G. Lib. II. Cap. II.

§. VI. Huius porro *ſtatus naturalis* indoles conſiderari poteſt, vel prout *per fictionem repraeſentatur*, vel *prout reuera exiſtit.* (a) Prius fit, ſi vel concipiamus, ab initio aliquam multitudinem hominum ſimul extitiſſe, ſine vlla vnius ab altero dependentia; vti de *Cadmaeis* fratribus in fabulis eſt: vel ſi fingamus, totum genus humanum iam ita diſſolutum eſſe, vt quilibet ſeipſum ſeorſim gubernaret, & nemo vlli alio eſſet vinculo coniunctus, quam ſimilitudine naturae. Sed ſtatus naturalis, qui reuera exiſtit, id habet, vt quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate iungatur; cum reliquis autem omnibus nihil praeter ſpeciem humanam obtineat commune, nec alio nomine

§. V. (1) Vel potius, vt ex ſequentibus apparebit, omni ſtatui, in quo reſpectiue alii iure gaudent quacunque ratione imperandi, alii ad parendum obſtricti ſunt. Conſequenter itaque *Parens* & *liberi*, qui adhuc in eius poteſtate ſunt, *Dominus* & *Serui* eius &c. qua tales ſunt non minus extra *ſtatum naturalem*, hoc ſenſu acceptum, quam *Princeps* & *ſubditi eius*. Ceterum nemini obſcurum eſſe poterit, *ſtatum naturalem* ſic conſideratum eſſe, de quo pro argumenti connexione hic vnice agitur.

nomine quicquam ipsis debeat. Qualis status iam inter diuersas ciuitates, ac ciues diuersarum rerumpublicarum existit; & quondam inter familias segreges obtinebat.

Qua ratione emerserit *status naturalis*, prout nunc existit.

§. VII. Manifestum quippe est, vniuersum genus humanum nunquam simul & semel in statu naturali extitisse. Qui enim ex protoplastis geniti erant, ex quibus quicquid est mortalium originem ducit, prout diuinae tradunt scripturae, eidem potestati patriae subiecti erant. Neque tamen eo minus postea status hicce naturalis inter quosdam homines emersit. Nam primi mortalium, vt orbem adhuc vastum implerent, & laxiorem sibi suisque pecoribus habitationem quaererent, relictis laribus paternis, in diuersa discesserunt, suamque sibi fere singuli mares familiam constituerunt. Inter quorum posteros itidem sese dispergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde adfectus paulatim exoleuit, & commune tantum illud, ex similitudine naturae resultans, remansit. Donec postea, cum genus humanum insigniter fuisset multiplicatum, deprehensis vitae segregis incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes in ciuitates coiuere; minores primo, dein maiores, ex pluribus minoribus vltro aut per vim coalitis. Quas inter ciuitates, vtpote nullo alio, quam communis humanitatis vinculo iunctas, status naturalis vtique adhuc existit.

De iuribus statum naturalem comitantibus.

§. VIII. Eorum autem, qui in statu naturali viuunt, hoc est praecipuum *ius*, quod nemini, praeterquam Deo, sint subiecti atque obnoxii. Quo respectu etiam ille status nomine *libertatis naturalis* venit: per quam quilibet citra antegressum factum humanum, sui iuris potestatisque, ac nullius hominis imperio subiectus esse intelligitur. Quo ipso etiam quiuis cuiuis alteri, cui neque ipse subiectus est, neque eundem sibi subiectum habet, *aequalis* censetur.

Cum porro homini lumen rationis sit insitum, quo praelucente actiones suas temperare possit; consequitur, quemlibet, qui in naturali libertate viuit, in regendis suis actionibus a nullo mortalium dependere; sed ex proprio iudicio atque arbitrio omnia, quae sanae rationi congruunt, agendi habere potestatem. Et cum homo ob communem inclinationem, omnibus animantibus insitam, non possit non ad conseruationem sui corporis vitaeque, nec non ad dispellenda ea, quae eandem destruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & vero in statu naturali nemo habeat alterum hominem superiorem, cui voluntatem iudiciumque suum submiserit: inde in eo statu quilibet ex proprio iudicio definit de aptitudine mediorum, an ad conseruationem sui conducant, nec ne. Nam si vel maxime alterius consilium audiat, penes ipsum tamen est, an velit alienum con-

silium

filium probare, vel non. Vt tamen isthaec propria sui gubernatio recte sese habeat, requiritur, vt ea iuxta dictamen rectae rationis legemque naturalem suscipiatur.

§. IX. Status naturalis, vtut libertatis nomine & immunitatis ab omni subiectione insigniter blandiatur: idem tamen, antequam ab hominibus in ciuitates fuerit concessum, plurima habet adiuncta *incommoda*; (*a*) siue fingamus, omnes & singulos in eo existere, siue consideremus conditionem patrumfamilias segregum. Nam si animo concipias hominem, etiam adulta aetate, in hoc mundo destitutum solum, & sine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit solertia hominum: videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, sitim obuia aqua, iniurias aëris antris vtcunque dispellens, feris bestiis expositum, & ad cuiusuis occursum pauidum. Paulo cultior vita potuit esse inter eos, qui in familiis segregibus degebant; sed quae tamen cum vita ciuili nullo modo comparari poterat, non tam ob indigentiam, quam inter coërcitas cupiditates familia sic satis videtur posse dispellere, quam quod securitati parum ibi sit consultum. (1) Et vt in pauca rem conferamus,

De *incommodis* status naturalis, respectu eorum, qui extra omnem societatem ciuilem sunt constituti.

(*a*) Vid. supra Lib. I. Cap. III. §. 3.

§. IX. (1) Auctor hic in commodis status ciuilis prae statu naturali exaggerandis modum fere excedit. Vide

mus, in ſtatu naturali quisque propriis tantum viribus protegitur, in ciuitate omnium; ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus, heic omnibus; ibi imperium adfectuum, bellum, metus, paupertas, foeditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas; heic imperium rationis, pax, ſecuritas, diuitiae, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiae, beneuolentia.

Quam infida ſit pax in ſtatu naturali, etiam reſpectu eorum, qui in ciuili ſocietate degunt.

§. X. Quanquam autem (a) natura ipſa inter homines aliquam cognationem eſſe voluerit, cuius vi nefas ſit, alteri homini nocere, & potius fas ſit cuiuis, aliorum commodis ſeſe diſpenſare: tamen inter eos, qui in naturali libertate inuicem viuunt, haec cognatio ſat debiles fere exerit vires; ita vt quiuis homo, qui non eſt noſter ciuis, ſeu quicum in ſtatu naturali viuimus, non quidem pro hoſte, ſed tamen pro amico parum firmo ſit habendus. Cuius rei ratio eſt, quod homines non ſolum ſibi inuicem maxime poſſint, ſed & (b) variis de cauſis ſaepiſſime velint nocere. Alios quippe prauitas ingenii, aut dominandi & ſuperflua habendi libido ad laedendos alios incitat: alii, modeſto licet ingenio, ſtudio ſe conſeruandi, & ne ab aliis praeueniantur, in arma ruunt. Multos eiusdem rei deſiderium, alios ingeniorum contentio committit. Inde in

(a) Vid. J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. 12.

(b) Vide ſupra Lib. I. Cap. III. §. 4.

Vide quae dixi in notis ad J. N. & G. *Lib. II. Cap. II.* §. 2. praeſertim cum additionibus editionis nouae.

in isto statu tantum non perpetuae vigent suspiciones, diffidentia, studium aliorum vires subruendi, libido alios praeueniendi, aut ex aliorum ruina vires suas augendi. Ergo vti probi est hominis, rebus suis contentum, alios non lacessere, nec aliena adpetere; ita cauti est, suaeque salutis amantis, ita omnes homines amicos credere, vt tamen iidem mox hostes fieri queant; ita pacem cum omnibus habere, quasi quae mox bello mutari possit. Qua de causa & felix habetur respublica, quae etiam in pace de bello cogitat.

§. XI. In (*a*) statu porro naturali, si vel quis alteri vltro non praestet, quae ex pacto debet, aut si iniuriam intulit, aut si alias controuersiae quid oriatur; nemo est, qui pro imperio alterum ad praestandum debitum reparandamue iniuriam adigere, litemque decidere possit, vti in ciuitatibus, vbi iudicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamuis causam natura in bellum ruere permittit, etiam vbi quis de iustitia suae causae ampliter sit persuasus: (1) igitur prius tentandum, num molliori via res possit componi, *disceptatione* scilicet partium *amica*, & puro, non conditionato, *compromisso*, seu prouocatione ad *arbitros*.

Quomodo dirimantur controuersiae inter eos, qui in statu naturali viuunt.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. V. Cap. XIII.

Qui

§. XI. (1) Conf. de hisce omnibus GROTIVS de *I. B. & P. Lib. II. Cap. XXIII. §. 7. sq. & Cap. XXIV.*

Qui *arbitri* aequos ſeſe vtrique parti gerere debent, & in ferenda ſententia nihil odio, aut gratiae dare, ſed vnice merita cauſae reſpicere. Quam ob rationem etiam non ſolet quis capi arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi vel gloriae peculiaris ſpes maior adparet ex victoria vnius partis, quam alterius; adeoque vbi ipſius intereſt, alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum aut promiſſum intercedere debet inter arbitrum & partes, cuius vi pronunciare in gratiam alterius teneatur.

Quod ſi arbiter neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis inſtrumentis, aut indubiis rationibus & ſignis, quid in facto ſit, cognoſcere valeat; ex effatis *teſtium* id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum lex naturalis, & plerumque iuramenti religio adſtringat: tutiſſimum tamen fuerit, tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt adfecti, vt conſcientiae ipſorum cum gratia, odio, vindictae libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam neceſſitudine, ſit velut luctandum, quibus ſuperandis non omnibus ſat conſtantiae eſt.

Aliquando etiam per *communium amicorum interpoſitionem* lites tolluntur; quod merito inter ſanctiſſima officia habetur.

Ceterum in hoc ſtatu executionem, vbi vltro

tro ab altero non praestatur, quod debetur, sibi quisque facit.

CAPVT II.

DE *OFFICIIS CONIVGALIBUS.*

§. I.

INter *status aduentitios*, seu in quibus homo facto aliquo humano antecedente constituitur, primo loco venit *matrimonium.* (*a*) Quod ipsum etiam est primum velut specimen vitae socialis, simulque generis humani seminarium.

Matrimonium est prima societatum.

(*a*) Vid. J.N. & G. Lib. VI. Cap. I.

§. II. Circa hoc initio constat, ardentem illam sexum inter se procliuitatem a sapientissimo Creatore institutam, non ad inanem voluptatem satiandam; quippe quae vnice spectata summam foeditatem & confusionem in genere humano excitatura erat: sed tum vt eo iucundior inter coniuges esset conuersatio, tum vt eo lubentius homines propagationi sobolis operam darent, ac molestias tolerarent, quae istius susceptionem atque educationem comitantur.

Scopus legitimus naturalis sexuum inter se procliuitatis.

Ex quo consequitur, naturali legi repugnare omnem vsum membrorum genitalium, (1) qui

(1) qui ab hisce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diuersam speciem, aut eundem sexum ruens, quaeuis foedae pollutiones, & denique omnis commixtio, siue mutuo

§. II (1) Certum quidem est, sicut ad propagationem humani generis coniunctio vtriusque sexus absolute necessaria est, ita hanc quoque coniunctionem eo tendere, ac regulariter eo dirigi debere. Nec minus certum est, ob effectum naturalem, qui secundum Creatoris destinationem ex copulatione maris ac foeminae resultat, omnem commixtionem cum diuersa specie, aut eodem sexu susceptam, turpissimam esse, ac naturali iuri aduersari, aeque ac illorum institutum, qui de industria ipsi se ad generationem ineptos reddunt. Verum non inde sequitur, quod appetitus desiderium illud naturale, quod amoris format aculeum, explendi, ita cum speciei propagatione confundi debeat, vt quoties posterior hicce finis cessat, prior sit absolute illegitimus. Vt enim matrimonium senum, quod per se absolute malum esse nemo probauerit, taceam; deprehenduntur certe vtriusque sexus homines, qui in ipso aetatis flore, siue casu aliquo, siue naturali vitio, progenerandae soboli facti sunt inhabiles, nec tamen propterea destituuntur stimulis, quos, qui aptissimi, ad generandum, sentiunt. Iam si supponamus, satis constare de hac inhabilitate, quae aliquando tanta est, vt nullum eius dubium esse possit, an ideo tales ad intolerabilem coelibatum condemnandi erunt? Erunt autem omnino, nisi pro principio posueris, expletionem eius de quo quaeritur desiderii, quod aeque naturale est, ac cibi & potus, innocenter in se, ac tanquam primarium finem posse adpeti; dummodo hoc tali

mutuo consensu suscepta, siue inuitae foeminae intentata, extra matrimonium.

§. III. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* considerari potest, vel in respectu ad *totum genus humanum*, vel in respectu ad *singulos*. Quo sensu quis obligetur ad contrahendum matrimonium.

Illa in eo consistit, (1) quod propagatio speciei humanae hautquicquam sit instituenda per vagos & solutos concubitus; sed vtique legibus connubialibus circumscribenda, adeoque per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene disposita inter homines societas, vitaeque ciuilis cultus intelligi nequit.

Singuli autem ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda sese eius occasio offert: quam tamen non sola aetas generandique facultas absoluit; sed vt copia quoque sit decen-

X

tali modo fiat, qui societati haud noceat, & quo generis humani propagatio, commodaque ac honesta educatio liberorum haud impediatur. Sed haec sufficiant de argumento adeo delicato. Nec vero difficile iam fuerit, consequentias ex principio hoc paucis exposito elicere. Adiungantur hisce, quae dixi ad *I. N. & G. Lib. VI. Cap. I.* §. 4. *not.* 3 Ed. nouae.

§. III. (1) Supponit hic Autor noster necessitatem matrimonii in genere, ad humani generis propagationem; quae necessitas per se satis manifesta est, & ab eo in praecedenti paragrapho indicata. Vt propterea perperam ab OTTONE taxatus fuerit, quasi hic tres quaestiones diuersas confudisset.

decentis conditionis, nec non facultas alendi vxorem & prolem nascituram; ac vt mas quoque sit idoneus ad gerendam personam patrisfamilias. Nisi tamen aliquis compositus sit ad exigendum castum coelibatum; sentiatque, plus se vtilitatis posse procurare humano generi aut ciuitati coelibem, quam vxoratum; praesertim vbi nulla prolis penuria sit metuenda.

Pacta in matrimonio regulari interuenientia.

§. IV. Inter eos, qui matrimonium inituri sunt, interuenire solet & debet *pactum*: quod vbi (1) *regulare & perfectum* fuerit, hisce capitibus absoluitur.

1. Quia vir (abs quo vt contractus incipiat, vtriusque sexus indoli magis congruit) pro-

§. IV. (1) Supponit heic Auctor, dari *matrimonium* aliquod *irregulare*, quod nihilominus in naturali statu sit innoxium ac legitimum; cum nempe paciscuntur mas ac femina de concedenda sibi inuicem ad certum tempus vsura corporum, citra perpetuae cohabitationis pactum; ita vt elapso praefinito tempore soluatur societas, ac nati ex ista coniunctione deinde vel penes virum, vel penes feminam, prout tulerit conuentio, maneant. Adpellari hoc *matrimonium Amazonicum* potest, per allusionem ad narrationem, veram an falsam incertum, de bellicosis istis feminis, quae integram gentem ex vno duntaxat sexu olim formauerant, & quarum Regina, *Thalestris* dicta, *ad Alexandrum magnum* veniens, ad ineundum secum istiusmodi commercium eum inuit- uit. Vid. *I. N. & G. Lib. VI. Cap. I.* §. 9.

propriam vtique sibi sobolem intendit quaerere, non supposititiam, aut adulterinam; igitur *fidem dare viro debet foemina, quod nemini, praeterquam ipsi, corporis sui vsuram velit concedere.* Quod itidem a marito foemina vicissim solet stipulari.

2. Deinde cum nihil magis ab indole vitae socialis & ciuilis abhorreat, quam vita vaga & desultoria, incerto lare, nulla fortunatum sede; cumque communis sobolis educatio commodissime instituatur coniunctis vtriusque parentis operis; ac cohabitatio continua plurimum contineat iucunditatis inter coniuges bene compositos, per quam etiam marito certius de castitate vxoris constare potest: igitur in id quoque fidem marito dat vxor, quod *viro continuo cohabitare*, adeoque in arctissimam vitae societatem, eandemque familiam cum ipso coalescere velit. Cui ipsi & mutua promissio de tali inuicem conuersatione, qualem indoles eius societatis requirit, inesse intelligitur.

3. Quia autem non solum naturali vtriusque sexus conditioni maxime congruit, vt in matrimonio viri conditio sit potior, sed & maritus familiae a se vtique constitutae caput sit: consequitur, vt *vxor in negotiis matrimonium ac familiam concernentibus, directioni mariti sit obnoxia.* Inde & mariti est, de domicilio constituere, nec vxor isto inuito peregre abire, aut secubare potest. Tale tamen imperium,

quod ius vitae & necis, grauemque coërcitionem, nec non plenam potestatem circa quaeuis bona vxoris disponendi, comprehendat, ad essentiam matrimonii necessarium non videtur; sed istud ex peculiaribus pactis inter coniuges, aut ex legibus ciuilibus alicubi constituitur.

De polygamia. §. V. Porro vti illud manifeste legi naturali repugnat, vnam mulierem pluribus viris simul cohabitare; ita vt *vnus simul duas pluresue uxores* habeat, apud plurimas gentes, & in ipso quondam *Judaico* Populo receptum. Nihilominus si vel maxime a primaeua matrimonii institutione in diuinis litteris tradita abstrahamus; ex ipsa tamen recta ratione constat, longe decentius iuxta atque vtilius esse, vnum vna esse contentum. Id quod & vsus omnium, quas nouimus, gentium Christianarum a tot seculis comprobauit.

De diuortio. §. VI. Nec minus natura tam arctae coniunctionis ostendit, *matrimonium debere esse* (1) *perpetuum*, & non nisi alterutrius coniugum morte finiendum; nisi principalis pacti matri-

§. VI. (1) Imo omne id, quod natura ac finis matrimonii, citra respectum ad cuiusuis positiuae legis constitutionem, aut pactum inter coniuges peculiariter initium requirit, huc redit, vt haec societas tanto temporis interuallo duret, quantum educatio liberorum postulat. Vide dicta ad J. N. & G. *Lib. VI. Cap. I.* §. 20. *not.* 3. Ed. nouae.

matrimonialis capita fuerint violata per *adulterium*, (2) & *malitiosam desertionem*.

Ob *mores* autem *male compositos*, & qui cum malitiosa desertione eundem non producunt effectum, *separatio* duntaxat *quoad thorum* & *mensam* inter *Christianos* recepta est, sine permissione ad secunda vota transeundi. Cuius inter alias etiam haec ratio est, ne facultas diuortii contumaciam morum alat; sed potius alterius conditionis desperatio ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam coniuges incitet. Ceterum ob violata pacti matrimonialis capita, pars laesa tantum vinculo exsoluitur; quod in altero continuatur, siquidem

(2) Hae sunt principales diuortii causae; sed possunt & aliae esse aeque contrariae intentioni contrahentium, & societatis huius fini; vt si maritus uxorem veneno necare voluerit, aut vxor maritum; si adsit absoluta ingeniorum discrepantia, &c. Vid. Operis maioris *Cap. cit.* §. 22. Ceterum cum *diuortio* & *polygamia* aeque comparatum est, ac cum nonnullis aliis rebus, quae licet natura sua non sint absolute malae, vsus tamen earum multum circumspectionis requirit, quoniam facile illis homines abutuntur. Vid. dicta a me *ibidem* §. 24. *not.* 3. & ad GROTIVM *Lib. II. Cap. V.* §. 9. *not.* 10. Interim quoniam ista inter *Christianos* nunc sunt prohibita, semperque vt credibile est talia manebunt, quaestiones de illis istiusmodi tanquam pure speculatiuae spectari possunt, neque vt cum feruore de ipsis disceptetur operae pretium est.

dem pars laesa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur.

De impedimentis cum *physicis*, tum *moralibus*, matrimonium irritum reddentibus.

§. VII. *Contrahere licite matrimonium*, vbi lex ciuilis non obstat, *potest quilibet cum qualibet*, si (1) *aetas*, *corporisque constitutio matrimonio habilis* adsit; nisi *impedimentum* aliquod *morale* obstet. Moraliter impeditur aliam coniugem adsciscere, qui, quaeue alteri iam coniugi iunctus, iunctaue est.

De *gradibus prohibitis* cum *affinitatis*, tum *consanguinitatis*.

§. VIII. Sed & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis sanguinis* aut *adfinitatis coniunctio*. Quo nomine etiam (1) naturali lege nefariae iudicantur nuptiae inter *adscendentes* & *descendentes* in infinitum. Reliquas autem nuptias in *limite transuerso*, (2) puta, cum *amita* & *matertera*, cum

§. VII. (1) Vetantur ideo pueri ac puellae impuberes, Eunuchi, illi, vel illae, quibus vitiosa quaedam est organorum conformatio &c. Secus sentiendum de sterilibus, aut iis, qui prouectioris aetatis sunt, quam vt sperare sobolem liceat. Vide *notam* ad §. 2. huius capitis.

§. VIII. (1) Vide dicta ad Opus maius de I. N. & G. *Lib. VI. Cap. I.* §. 32. *not.* 2. Ed. nouae.

(2) Cum vero Deus ipse sub initium huius vniuersi necessaria fecerit matrimonia inter fratrem & sororem, tanquam per naturam suam absolute mala considerari nequeunt, nisi essentialem Iuris naturalis immutationem admittere, & in perfectiones diuinas impingere velimus. Vid. ad Operis maioris *c. l.* §. 34. *not.* 1. & 3. Ed. nouae. Vnde & multo magis de

cum *sorore*, item in *adfinitate*, cum *nouerca*, *socru*, *priuigna*, non solum lex diuina, sed & cultarum leges gentium, & Christianorum consensus detestantur. Quin & multorum populorum leges ciuiles, remotiores quosdam gradus prohibuerunt, ad obiiciendam velut sepem prius dictis gradibus sanctioribus, ne ad hos temerandos ita facile rueretur.

§. IX. Ceterum vti aliis contractibus atque negotiis certa quaedam requisita sueuerunt addere leges ciuiles, quae si obseruata non fuerint, in foro ciuili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges ciuiles, honestatis & boni ordinis causa, *solemnia* quaedam requiruntur. Quae licet extra ius naturale sint, citra illa tamen, qui legibus ciuilibus subiiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent; aut saltem eiusmodi coniunctio (1) effectus iusti matrimonii in ciuitate non habebit.

De *solemnibus* per leges ciuiles in matrimonio requisitis.

X 4 §. X.

de omnibus aliis paullo remotioribus gradibus asserendum est, quod in se nihil contineant, quod matrimonium essentialiter illicitum reddat. Quod si vero leges matrimonia in quocunque horum graduum contracta prohibeant, hoc ob incommoda fit, quae non semper necessario ex ipsa rei natura fluunt.

§. IX. (1) Sic e. g. liberi ex tali coniunctione progeniti iisdem cum reliquis in bona paterna iuribus non gaudent, &c.

§. X. Officium *mariti* est, vxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere; *vxoris*, maritum amare, honorare, adiutorio esse ei non solum in generanda & educanda sobole, sed & in parte curarum domesticarum capessenda. Vtrinque autem indoles tam arctae coniunctionis requirit, vt coniuges tam prosperae, quam aduersae fortunae sint socii, & si qua alterutri calamitas obtingat, ab altero subleuetur; nec minus, vt prudenter mores ad concordiam inuicem tolerandam adtemperent; qua tamen in parte concedere magis vxoris est.

CAPVT III.

DE OFFICIIS MVTVIS *PARENTVM* ET *LIBERORVM.*

§. I.

Potestas patria fundamentum est secundi status aduentitii.

EX matrimonio prouenit *proles*: in quam constituta est *potestas patria*, (*a*) antiquissimum iuxta ac sanctissimum *genus imperii, quo parentum iussa venerari, eorundemque prae se eminentiam agnoscere liberi tenentur.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VI. Cap. II.

Funda-

§. II. Oritur *imperium parentum* in liberos duplici potissimum de causa. 1. Quia ipsa *lex naturalis*, dum *sociabilem* esse hominem iussit,

iussit, *parentibus curam liberorum iniunxit*: quae vt eo minus negligeretur, tenerrimum simul adfectum in prolem natura iisdem implantauit. Isti curae exercendae requiritur potestas liberorum actiones dirigendi ad ipsorum salutem, quam ipsi propter iudicii defectum nondum intelligunt.

mentum patriae potestatis.

2. Deinde id imperium *tacito* quoque *consensu prolis* nititur (1). Nam recte praesumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore, vsum rationis habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam, ac iunctum ipsi imperium, seruare non posse; lubenter illum in id consensurum, commodamque sibi educationem ab iisdem vicissim fuisse stipulaturum. Actu autem parentibus imperium in prolem constituitur, quando illam tollunt, nutriuntque, & in commodum humanae societatis membrum pro virili formandam suscipiunt.

§. III. Cum autem ad generationem sobolis non *mater* minus, quam *pater* concurrat, adeoque physice proles vtrique sit communis; disquirendum, *vtrius ius in prolem sit potius?*

Vtrius ius, patris, an matris, in prolem sit potius?

Super qua re distincte pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* proles sit generata, illa primo matris erit; quia pater heic nisi indicio

§. II. (1) Haec hypothesis fundamento pariter atque vsu destituitur. Vide quae monui ad *I. N. & G. Lib. VI. Cap. II.* §. 4. *not.* 1. 2.

cio (1) matris cognoſci nequit. Inter eos quoque, qui *in libertate naturali*, & ſupra leges ciuiles degunt, pacto conueniri poteſt, vt non patris, ſed matris ius potius ſit.

Sed *in ciuitatibus*, vtique per mares conſtitutis, cum regulariter contractus matrimonii a mare incipiat, & is caput familiae ſit, potius erit ius patris: ſic vt licet proles matri vtique reuerentiam gratumque animum debeat; iuſſis tamen matris non obligetur, quae quidem non iniquis patris praeceptis repugnant. Defuncto tamen patre, ius ipſius in prolem, ſaltem nondum adultam, matri videtur adcreſcere: & hac ad ſecundas nuptias tranſeunte, vitrico; ſiquidem ipſe in fidem & curam naturalis parentis ſuccedat. Et qui deſertum, aut orbatum parentibus liberaliter educandum ſuſcipit, iure ſuo ab eo filialem obſeruantiam exigere poteſt.

Quanta ſit in liberos *poteſtas parentum, vt talium.*

§. IV. Vt autem accurate intelligatur, *quanta parentum ſit in liberos poteſtas*, diſtinguendum eſt tum inter *patresfamilias ſegreges*, & qui

§ III (1) Hoc tamen non ſemper locum habet, niſi mater ſe quibuſuis proſtituerit. Saepe enim pater prolis extra matrimonium natae aeque certus eſſe poteſt, ac liberorum pater, qui ex matre iuſtis nuptiis copulata naſcuntur. Quo in caſu ſicut officia patris & matris ſunt communia, ita vterque parem in educandis liberis auctoritatem habere debet; & ſi alter officio deſit, alteri totum incumbit onus.

qui in *ciuitatem* subierunt; tum inter potestatem, quam habet *genitor*, *vt talis*, & quam habet, vt est *caput* suae *familiae*.

Patri, *vt tali*, cum sit a natura iniunctum, vt liberos bene educet, quo commoda humanae societatis membra euadant, quousque ipsi sibi prospicere queant: inde *tanta eidem in liberos potestas concessa intelligitur*, *quanta ad hunc finem sufficit*. Quae haut quaquam eousque se extendit, vt parentes prolem intra materna viscera latentem elidere, aut editam abiicere necareque possint. Nam excitatur quidem ex substantia parentum soboles; vt tamen in aequalem conditionem humanam cum illis locetur, & iniuriae etiam ab ipsis parentibus capax sit. Neque etiam haec potestas ad ius vitae & necis, ex occasione delicti exercendum, videtur porrigi, sed ad modicam duntaxat castigationem; quippe quae versatur circa aetatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quae morte sint expianda, vix cadunt. Sed si tamen citra spem emendationis omnem disciplinam pertinaciter adspernetur puer, poterit domo patria eiici, atque abdicari.

§. V. Isthaec porro potestas, ita presse accepta, considerari potest iuxta diuersitatem aetatis in liberis. *De potestate patria in prima aetate liberorum.*

Nam in *prima aetate*, vbi immaturus adhuc rationis vsus est, *omnes liberorum actiones directioni parentum subiacent*. Quo tempore, si quid *bonorum* ab aliis in impuberem transferatur,

ratur, id parens loco filii acceptare, & administrare debet; vt tamen dominium ipsi filio adquiratur; etsi, vt fructus patri cedant, ad plenam vsque filii aetatem, aequissimum sit. Sic & quod ex filii *labore* lucri aut emolumenti prouenit, id merito sibi pater vindicat; cui ex aduerso filii nutritio & educatio incumbit.

In adulta aetate. §. VI. In *adulta aetate*, licet liberi pleno iudicio praediti sint, cum tamen patria potestas commodam educationem & gubernationem liberorum pro scopo habeat; patet, *adultos quoque liberos auctoritatem parentum, tanquam prudentiorum, sequi debere.* Et qui vult ex paternis bonis sustentari, ac in ea deinceps succedere, necessum est, vt ad familiae paternae rationes sese adtemperet; quam moderari vtique penes patrem est.

De potestate patrum, qua *familiae capitum*, secundum differentiam *status naturalis*, & *status ciuilis*. §. VII. Ceterum *patres, qui nondum in ciuitates concesserant, quatenus familiae capita*, in domo sua aliquod instar principum gerebant. Inde & *liberi in eorum familia adhuc haerentes*, (1) *ipsorum imperium, tanquam summum, venerari debebant.*

Verum postea imperium istud familiare, vti & alia iura, ad vsum & decus *ciuitatum* fuit adtem-

§. VII. (1) Suberat enim hic vel expressus, vel tacitus liberorum consensus. Vide *I. N. & G. Lib. VI. Cap. II.* §. 10. *not.* 2.

temperatum, & *alicubi multum, alicubi parum de eo patribus relictum.* Inde obseruamus, in quibusdam ciuitatibus patres ius vitae (2) & necis, ex causa delicti exercendum, in liberos obtinuisse; in aliis id ipsum iis ademtum, ne forte parentes sua in liberos potestate in fraudem boni publici, aut ad iniquam istorum oppressionem abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni adfectus dissimularentur vitia, in exitium publicum eruptura; aut ne patri tam tristis sententiae pronunciandae necessitas imponeretur.

De obligatione *liberorum emancipatorum* erga parentes suos.

§. VIII. Sed vbi *proles familia paterna plane excessit*, & vel nouam sibi familiam constituit, vel alteri adiungitur; *potestas quidem patria soluitur, vt tamen semper pietatis & obseruantiae debitum maneat*; quippe fundatum in meritis parentum, quibus paria facere liberi nunquam aut rarissime creduntur. Et ista merita non in eo tantum consistunt, quod parentibus liberi vitam debeant, occasionem omnium bonorum; sed & quod laboriosam ac sumtuosam educationem eorum susceperint, qua eos in commoda humanae societatis membra formarunt, ac saepe de mediis vitam commode & copiose exigendi iisdem prospexerunt.

§. IX.

(2) Quod ius tamen longius vltra iustos suos limites extensum fuit; quale quid apud *Romanos* inprimis diu obtinuit, ex principiis omni rationis & aequitatis naturalis fundamento destitutis.

Quibus casibus pater *iura ac obligationes* suas transferre in *alterum* possit.

§. IX. Etsi autem parentibus obligatio educandi prolem a natura sit iniuncta; id tamen non obstat, quo minus vtilitate prolis, aut necessitate exigente, eiusdem administratio alteri commendetur; ita tamen vt inspectionem sibi in istum delegatum parens reseruet. Vnde & *pater* non solum *Praeceptoribus idoneis filii informationem recte committit*; sed & *eundem alteri adoptandum dare potest*, siquidem exinde in filium aliquod sit emolumentum redundaturum.

Et *si nulla alia ratio sit prolem alendi*, potius, quam inopia extinguatur, *pater eam oppignorare, aut vendere in tolerabilem seruitutem potest*; saltem sub lege retractus, vbi pater ad lautiorem fortunam peruenerit, aut quispiam ex cognatis istam redimere velit. Quod si autem parens per inhumanitatem prolem exposuerit & abiecerit; is, qui eandem sustulerit atque educauerit, in paternum quoque ius succedet; ita vt iste alumnus filialem obseruantiam educatori suo debeat.

An proli, sine patris consensu, excedere ex familia, aut matrimonium contrahere liceat?

§. X. Vti autem *pater prolem familia sua eiicere non debet*, educatione & auxilio istius adhuc indigentem, *citra grauissimas causas*: ita *& proles non nisi cum bona patris venia ex ipsius familia excedet* (1). Ceterum cum liberi matrimo-

---

§. X. (1) Nisi v. c. pater ex nimia morositate animique asperitate, consensum denegauerit proli, propter

trimonii fere contrahendi occasione paternam familiam relinquant; & vero parentum vtique intersit, cui proles sua iungatur, & ex quibus nepotes sibi proueniant: inde officium filiale plane requirit, vt *patris consensum heic sequantur liberi*, nec eo inuito coniugi socientur. Quod si tamen *de facto*, inuitis parentibus, matrimonium contraxerint liberi, *iure* quidem *naturali id irritum non videtur*; praesertim vbi familiam paternam non amplius isti onerare velint, & alias conditio non sit indecora. Inde si alicubi eiusmodi matrimonia habentur irrita aut illegitima, id *ex legibus ciuilibus* est.

§. XI. *Officium parentum* in hoc praecipue consistit, vt liberos commode alant, corpusque & animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quo idonea & vtilia membra societatis humanae & ciuilis fiant, probi, cordati, & bene morati. Item, vt eosdem ad idoneum & honestum vitae genus adplicent, &, quantum ratio & occasio fert, fortunam ipsorum fundent & promoueant. *Officia parentum* erga liberos.

§. XII. *Liberorum* contra debitum est, parentes honorare, i. e. reuerentiam illis exhibere, non externis tantum signis, sed multo *Officia liberorum* erga parentes.

magis

propter graues rationes, puta ad ineundum decorum ac vtile matrimonium, vel aliam iustam ob causam, excedere familia contendenti.

magis interna aestimatione, tanquam auctoribus vitae, ac tantorum aliorum beneficiorum; iisdem obedire, pro viribus inseruire, inprimis senio aut egestate confectis; sine consilio & auctoritate eorum nihil magni momenti suscipere; & denique eorum morositatem aut vitia, si qua inueniuntur, patienter ferre (1).

CAPVT IV.

DE OFFICIIS *DOMINORVM* ET *SERVORVM*.

§. I.

Origo *conditionis seruilis*, tertii status aduentitii.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VI. Cap. III.

POstquam genus humanum multiplicari coepisset, atque deprehensum fuisset, quam commode res domesticae aliorum ministerio curari possent; (*a*) mature introductum fuit, vt ad operas domesticas obeundas in familiam adsciscerentur *serui*. Quos

§. XII. (1) Ita tamen, ne talia approbent, multoque minus ea imitentur; quod aeque de eorum *erroribus* intelligendum est, praesertim si circa graues versentur materias, quales sunt, quae ad religionem & morum doctrinam pertinent. Hic enim e contrario liberorum est, diligenter cauere, ne parentum auctoritate sensim praeter opinionem in errorem pertrahantur.

Quos ab initio *vltro* ſeſe obtuliſſe probabile eſt; inopia adactos, aut propriae hebetudinis ſenſu; ſtipulatosque ſibi perpetuam alimentorum & aliarum neceſſitatum praebitionem, *in perpetuum* hero ſua miniſteria addixiſſe. Dein cum bella paſſim increbeſcerent, apud plurimos populos receptum, vt quibus *bello captis* vita donata eſſet, ſeruitio addicerentur, vna cum prole, quae deinceps ex ipſis eſſet prouentura. Etſi apud multos populos nulla eiusmodi ſeruitus in vſu, ſed omnia munia domeſtica per *mercenarios ad tempus conductos* expediuntur.

§. II. Prout autem ſunt (1) *diuerſi* velut *gradus ſeruitutis*, ita & poteſtas herorum, & ſeruorum conditio variat. De *mercenariis temporariis*.

Mercenario temporario (2) dominus conuentam mercedem, iſte huic viciſſim conuen-

Y tam

§. II. (1) Vid. GROTIVS *de I. B. & P. Lib. II. Cap. V.* §. 30.

(2) Qui lingua Gallica dicitur *Valet* vel *Domeſtique*. Refertur autem hoc ad peculiarem contractum *locationis conductionis*. Quanquam omnis *ſeruitus*, maior minorue, accepto hoc vocabulo in ſenſu generaliſſimo, fundata ſit in conuentione aliqua expreſſa vel tacita, excepto caſu, quo leges aliquem debitorum vel criminis cauſa alteri hac ratione ſubiiciunt. Sufficit nihilominus, pro intentione Auctoris noſtri, quod *mercenarii*, etiam temporarii, ſint aliquo modo membra familiae, quandiu contractus locationis conductionis durat.

tam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior est conditio, ideo etiam eiusmodi minister domino, pro ratione dignitatis, reuerentiam exhibere tenetur, & vbi malitiose aut negligenter (3) opus fecerit, eiusdem (4) coërcitioni est obnoxius; quae tamen ad grauem corporis adflictionem, multo minus ad mortem, propria auctoritate sumendam, procedere nequit.

De seruis perpetuis.

§. III. Eiusmodi autem *seruo, qui sese vltro alicui in perpetuum seruitium addixit*, dominus perpetua alimenta, & quae alia vitae necessaria sunt, ille huic vicissim perpetuas operas, (1) quascunque dominus praescripserit, praestare debet, & quicquid ex illis prouenit, domino fideliter consignare. In quibus tamen virium & dexteritatis serui humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipsius excedentem laborem cum asperitate exigat. Castigationi quoque domini iste subest, non solum

(3) Aut vbi turbas dederit, siue insolenter se gesserit, seu damnum domino procurauerit. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. VI. Cap. III.* §. 4. *not.* 2. Ed. nouae.

(4) Aut si velit dominus, & factum id mereatur, potest eum expellere.

§. III. (1) Modo nihil turpe aut iniustum contineant; id quod circa obsequium superioribus praestandum ab inferioribus, nunquam non subintelligitur.

lum ad expellendam negligentiam in opere exsequendo; sed & vt ipsius mores ad decus & tranquillitatem familiae componantur. Non tamen inuitus alteri vendi talis potest; quia vltro hunc, & non alium dominum adsciuit, & ipsius interest, vtri seruiat. Si atrox delictum in alium extra familiam admiserit, in ciuitatibus poenae potestatis ciuilis subiacet; vbi familia segrex fuerit, (2) expelli inde poterit. Sed vbi delictum in ipsam familiam segregem sit admissum, a domino etiam per extrema coërceri poterit.

§. IV. In istos autem *seruos, qui bello capti fuerant*, a plerisque durius agi coeptum; quod hostilis adhuc irae quid in eos superesset, & quia ipsi extrema nobis nostrisque fortunis intentauerant. *Quam primum* tamen *inter eiusmodi victorem victumque* (1) *mutua fides circa* De *seruis bello captis.*

Y 2 con-

(2) Et *debet* etiam, ne dominus fautor ac defensor sceleris existimetur. Quod si laesus, cui vtcunque hac ratione laedens deditur, vindicare nequeat iniuriam, aut nolit; potest ipse dominus, si visum fuerit, eam punire, tum qua caput familiae, tum etiam vi iuris cuilibet in naturali libertate competentis; quamuis hoc ius commune Auctor temere inficietur. Multo magis etiam hoc valebit, si ipse dominus delicto laesus fuerit; nisi forte expellere seruum malit.

§. IV. (1) Siue conuentio expressa vel tacita, quae hic semper supponenda est. Vid. *I. N. & G. Lib. VI. Cap. III. §. 6. e. notis meis*, ex Ed. noua.

consociationem in familiam intercessit, omnis antegressa hostilitas remissa censetur. Et tunc vtique iniuriam etiam taliter adquisito seruo facit dominus, si vel necessaria ad victum non suppeditet, vel citra rationem in eum saeuiat; multoque magis, si citra condignum delictum eundem occidat.

De alienatione mancipiorum.

§. V. Circa illos quoque seruos, qui bellica vi in eam conditionem fuerant abstracti, nec non qui pretio emuntur, receptum, (1) vt non secus ac aliae res nostrae, in quemcunque placeret, transferri, & ad instar mercium venire possent. Sic vt ipsum corpus serui domini esse intelligeretur. Vbi tamen *humanitas iubet, vt nunquam obliuiscamur, seruum vtique hominem esse;* adeoque nequaquam eum ita tractemus, velut alias res nostras, quibus pro lubitu vti abutique, easque destruere possumus. Et *vbi talem seruum alienare placet, ne iis data opera, aut praeter meritum addicatur, apud quos inhumana ipsum tractatio est mansura.*

§. VI.

§. V. (1) Hoc ius alienandi non necessario ex natura seruitutis, etiam quam quis belli iure subit, sequitur. Verum in regionibus, vbi consuetudo ista inualuerat, censebantur ideo serui cum domino, in cuius potestatem descendebant, eum in modum pacisci: modo tamen dominus, si alienare seruum placuisset, rationem aequitatis ac humanitatis, quam suadet Auctor, habeat, id quod conuentione tacita stipulatum intelligebatur. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. II. Cap. III.* §. 7. *not.* 1. Ed. nouae.

§. VI. Denique & id passim receptum, vt *quae ex seruis parentibus nascitur proles*, seruilis & ipsa sit conditionis, *pertineatque*, tanquam mancipium, *ad dominum matris*. Id quod isthoc argumento defenditur, quod cuius est corpus, eius quoque par sit fructum esse, qui ex eo corpore prouenit. Et quia ista proles nascitura plane non erat, si dominus iure belli in parentem vsus fuisset. Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem eiusmodi alendi superest, nisi ex bonis herilibus. Cum igitur dominus alimenta praebeat eiusmodi proli diu ante, quam ipsius opera vtilis esse queat; & sequentes operae sui temporis alimenta non multum fere excedant: (1) effugere eidem seruitutem, inuito domino, non lice- *De conditione prolis ex seruis parentibus natae.*

§. VI. (1) Adiiciendum hisce, quod parentes, prout capite superiori audiuimus, prolem, si nulla alia ratio alendi suppetat, vendere possint; vnde ex paritate rationis sequitur, si ipsi serui fuerint, adeoque nihil habeant proprii, posse eos natam ex se prolem eidem conditioni subiicere. Praeterea hic ipsius quoque prolis tacitus consensus intercedit. Nam si recuperare talis iura naturalis libertatis voluisset, quamprimum ad annos discretionis venit, significare illud, mediaque eius rei quaerere debuisset. Quod cum neglexerit, consensisse in seruitutis continuationem intelligitur. Atque eo validius praesumere eiusmodi consensum licet, quod postulare talis libertatem iure haud poterat, nisi restitutis ante domino matris suae expensis, in sui alimentationem factis; quae resti-

licebit. Manifestum tamen est, cum eiusmodi vernae nulla sua culpa in seruitutem perueniant, nullum esse praetextum, quare isti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

CAPVT V.

DE CAVSA IMPVLSIVA CONSTITVENDARVM CIVITATVM.

§. I.

De societate ciuili, quarto ac nobilissimo statuum aduentitioru.

QUanquam vix sit iucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata officia statusque obtineri non posse videatur; (*a*) quare tamen mortales

(*a*) Vid.

restitutionis obligatio liquidissimo naturalis iuris praecepto praescripta est, a qua tamen, obseruante post GROTIVM Auctore nostro, ipse vix vnquam, aut saltem non nisi longissimo tempore sese liberare potuisset. De cetero, quamuis natura homines sint liberi, hoc tamen non obstat, quo minus etiam nascentes redigi in seruitutem facto aliquo humano, cui attributa haec vis est, queant. Aeque enim naturaliter homines ab omni ciuili imperio immunes existunt; nec & nihilominus liberi, ex subditis alicuius ciuitatis progeniti, subditi & ipsi istius ciuitatis nascuntur.

les non contenti paruis illis primisque societatibus, magnas societates, quae (1) *ciuitatum* nomine veniunt, constituerint, iam inuestigandum restat.

J. N. & G. Lib. VII. Cap. I.

Ex hisce enim fundamentis deducenda est ratio officiorum, quae *statum* hominum *ciuilem* comitantur.

Non statim ex socialitate hominis inferri potest, eum per naturam ad societatem ciuilem ferri.

§. II. Heic igitur *non sufficit dixisse, hominem per naturam ipsam rapi ad societatem ciuilem, vt citra eam nec possit, nec velit viuere.* Sane enim cum apertum sit, hominem esse tale animal, quod seipsum & suam vtilitatem quam maxime amat; necessum est, vt dum vltro societatem ciuilem adfectat, aliquam vtilitatem inde sibi prouenturam prospexerit. Et quanquam extra societatem cum sui similibus, homo erat futurus animal longe miserrimum; tamen cum naturalibus desideriis & necessitatibus hominis per primas societates, & per officia ex humanitate aut pactis praestita abunde potuerit satisfieri; non statim ex sociali-

 tate

§. I. (1) *Ciuitas* pro Corpore politico, seu societate ciuili, apud probos auctores Latinos vsitatum est. Verbum vero Gallicum *Cité*, quod ei respondeat, hoc sensu amplius haud vsurpatur. Contra vsu receptum est vocabulum *Etat*, quod manifeste ex Latino *status* ortum est, quoniam *societas ciuilis* est *status publicus* eorum, ex quibus componitur. Vnde Jurisconsulti Romani *Jus publicum* suum definiunt, quod sit *Jus ad statum rei Romanae spectans.* DIGEST. *Lib. I, tit. 1, leg. 1, §. 2.*

tate hominis inferri poteſt, eius indolem praecise ad ſocietatem ciuilem ferri.

Tria heic conſideranda. §. III. Id quod planius fiet, ſi conſideremus, *quaenam conditio ex conſtitutis ciuitatibus apud homines proueniat, quid requiratur, vt quis vere dici queat animal politicum*, i. e. *bonus ciuis*, *quid* denique *deprehendatur in natura hominis indoli vitae ciuilis repugnans*.

1. *Subiectio*, in quam, qui ciuis fit, deſcendit. §. IV. 1. Qui *ciuis* fit, libertatis naturalis iacturam facit, ac imperio ſe ſubiicit; quod ius vitae & necis complectitur, & cuius iuſſu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat, & omittenda, quae vehementer adpetebat. Pleraeque etiam actiones ad bonum ſocietatis referendae, quod ſaepe a bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes iam congenitas fertur homo, vt nemini ſubiectus eſſe, vt omnia ſuo agere arbitrio, vt proprio commodo in omnibus velificari velit.

2. Requiſita *boni ciuis*. §. V. 2. Animal vere politicum, i. e. *bonum ciuem*, illum dicimus, qui iuſſis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, ac poſt illud priuatum bonum lubenter habet; immo qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem bonum quoque ſit ciuitati; qui denique aduerſus alios ciues commodum ſeſe gerit. Atqui paucorum ingenia vltro ad hunc finem adtemperata inueniuntur; maxima pars metu poenae vtcunque continetur, multi per totam vi-

tam

tam maliciues, & animalia non politica manent.

§. VI. 3. Denique nullum homine animal ferocius, aut indomitum magis, & quod in plura vitia pacem societatis perturbare apta, sit procliue. (a) Praeter desideria enim cibi Venerisque, quibus bruta quoque solent committi, multis homo agitatur vitiis, quae bruta ignorant; vti est superfluarum rerum insatiabilis cupido, &, saeuissimum malorum, ambitio, viuax item nimis iniuriarum memoria, & vindictae ardor longo post tempore adhuc gliscens, nec non infinita dissimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique pro studio suo extollendo peruicacia. Accedit; quod eo furore in proprium genus saeuire gaudeat homo, vt maxima pars malorum, quibus humana conditio viuit obnoxia, ab ipso homine proficiscatur.

Naturalia hominum vitia, pacem societatis perturbare apta.

(a) Vid. supra Lib. I. Cap. III. §. 4.

§. VII. Genuina igitur & (1) principalis causa,

Vera & principalis

§. VII. (1) Hoc aliquanto generalius est, ac minus determinatum. Vide, quae prolixius adnotaui ad J.N. & G. *Lib. VII. Cap. I.* §. 7. *not.* 1. cum additamentis Ed nouae. Consuli quoque poterunt, quae de origine ciuitatum tradit *NOODTIUS in duobus discursibus*, altero de *Jure Summi Imperii & Lege Regia*, altero de *Religione ab Imperio Jure Gentium libera*; qui Gallice versi sub titulo, *du Pouvoir des Souverains*, & *de la Liberté de Conscience*, tertia vice prodiere in Collectione mea, sub titulo: *Recueil de Discours sur diverses matiéres import.* To. I.

causa constituendarum ciuitatum.

causa, quare patresfamilias, deserta naturali libertate, ad ciuitates constituendas descenderint, fuit, *vt praesidia sibi circumponerent contra mala, quae homini ab homine imminent.* Nam vti post Deum O. M. homo homini plurimum prodesse; sic & idem non minus obesse potest. Et recte malitiam hominum, eiusque remedium aestimant, qui in prouerbii vicem receperunt: *nisi iudicia essent, vnus alterum deuoraret:*

Postquam autem per ciuitates in talem sunt digesti ordinem homines, vt a mutuis laesionibus tuti esse possent: vltro deinde consecutum fuit, *vt eo vberius fruerentur commodis, quae ex hominibus in homines prouenire apta sunt;* puta, vt moribus a puero imbuerentur commodioribus, & varias inuenirent atque excolerent artes, quibus vita humana copiosa & commoda fuit reddita.

Sola legis naturalis reuerentia non erat suffectura seruandae inter homines tranquillitati.

§. VIII. Illustrior adhuc fiet causa constituendae ciuitatis, si consideremus, *alia media non fuisse suffectura reprimendae hominum malitiae.*

Quanquam enim lex naturalis praecipiat, vt ab omnibus iniuriis inferendis homines sese abstineant; tamen *eius legis reuerentia id praestare non potest hominibus, vt in libertate naturali satis tuto degere queant.* Etsi enim forte dentur homines animo ita modesto, vt, ne impunitate quidem data, alios violare velint, alii quoque metu prouenturi inde mali cupiditates

ditates suas vtcunque compescant: magna tamen ex aduerso eorum turba datur, quibus omne ius vile est, quoties spes lucri adriserit, & fiducia propriarum virium aut solertiae, qua repellere aut eludere laesos sese posse sperent. Quos vti nemo non cauere nititur, qui salutem suam amat; ita cautio illa commodius, quam ope ciuitatum obtineri nequit. Nam vtut aliqui mutuo fidem dederint de auxiliis inuicem ferendis; ni tamen adsit aliquid, quo & iudicia eorum vniantur, & voluntates firmiter adstringantur ad explendam fidem, frustra ab iisdem certum auxilium sibi quis promittit.

§. IX. Denique licet lex naturalis hominibus satis insinuet, non impune laturos, qui alios iniuria affecerint; tamen *neque metus diuini Numinis, neque conscientiae morsus sat validam deprehenduntur vim habere, quorumuis hominum malitiae coërcendae.* Nam apud multos, educationis & consuetudinis vitio, vis rationis velut obsurdescit. Vnde fit, vt illi praesentibus tantum immineant, futurorum parum curiosi; ac non nisi iis moueantur, quae in sensus incurrunt. Cum autem vindicta diuina lento fere pede soleat incedere; inde prauis mortalium praebetur occasio, ad alias caussas impiorum mala referendi; praesertim cum saepe videant improbis affatim adesse, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod stimuli conscientiae, qui facinus antecedunt, non

Nec metus diuini Numinis, ac conscientiae morsus magis sufficiebant hominum malitiae coërcendae.

non ita validi videantur, quam qui idem subsequuntur, quando id, quod factum est, infectum amplius fieri nequit. Enimuero prauis cupidinibus reprimendis, praesentaneum, & ad indolem hominum probe adtemperatum remedium in ciuitatibus reperitur.

CAPVT VI.

DE *INTERNA STRVCTVRA CIVITATVM.*

§. I.

1. Ad exstruendam ciuitatem necessarium est, *plures homines coniungi.*

(*a*) Vid. J.N. & G. Lib. VII. Cap. II.

PRoximum est, vt inuestigemus, qua ratione (*a*) ciuitates sint *exstructae*, earundemque interna compages cohaereat.

Vbi illud primo manifestum est, aduersus mala ab hominum prauitate imminentia, singulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta, commodius & efficacius praesidium potuisse suppeditare, quam *alios homines*. Eorum autem vis cum in longe distantia non feratur, necessum erat, *coniungi*, per quos finis iste obtinendus erat.

2. Necessarium est, *insignem* eorum *multitudinem* sese coniungere.

§. II. Nec minus constat, eiusmodi securitatem aduersus alios homines praestare non posse duorum vel trium consensionem. Quia facile est, vt ad paucos hosce opprimendos tot conspirent, quot certissimam sibi de illis victoriam spondere possint, quibus spes successus

ſus & impunitatis fiduciam ad adgrediendum eſt datura. Igitur ad iſtum finem neceſſarium eſt, *inſignem* hominum *multitudinem* ſeſe coniungere (1), vt paucorum hominum ad hoſtes acceſſio, non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam.

§. III. Inter multos iſtos hoc fine coëuntes oportet vt ſit *conſenſus circa adhibenda media ad eundem finem idonea.* Nam etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diuerſa tendant, nihil efficient. Aut licet ad tempus conſentiant, impellente aliquo adfectu, mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diuerſa abibunt.

3. Inter iſtos coëuntes oportet vt ſit *conſenſus conſiliorum,* fultus *metu* aliquo, ſingulos, qui contra voluntatem coetus agere voluerint cohibere idoneo.

Et quamuis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communem vires ſuas ſint adplicaturi; tamen ne hoc quidem modo ad diuturnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, vt quid amplius accedat, vt qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium, cauſa communis boni, conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum priuatum a publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

§. IV. Ceterum in humano ingenio duo potiſſimum occurrunt *vitia*, quae impediunt, quo

Vitia, quae impediunt, quo minus

§. II. (1) Multitudo haec maior minorue eſſe debet, proportionate ad numerum coniunctorum hoſtium, qui metuuntur. Vid. *I. N. & G. Lib. VII. Cap. II.* §. 2. *cum notis.*

multi sui iuris diu in comunem aliquem finem conspirent,

quo minus multi sui iuris, & abs se inuicem non dependentes, diu in communem aliquem finem possint conspirare. Vnum est *diuersitas inclinationum & iudicii* circa discernendum, quod ad finem est vtilissimum: cui in multis est coniuncta *hebetudo* ad dispiciendum, quae sententia ex pluribus sit magis proficua; & *peruicacia* mordicus defendendi, quod semel vtcunque adriserit. Alterum est *torpor* & *auersatio* vltro faciendi, quod vtile est, vbi desit aliqua necessitas, quae tergiuersantes, velint, nolint, ad officium faciendum subigat. Priori vitio occurritur, vnitis in perpetuum voluntatibus omnium; posteriori autem, si constituatur aliqua potestas, quae praesens & in sensus incurrens malum infligere possit communi vtilitati reluctantibus.

Qua ratione *vniri* multorum hominum *voluntates* possint.

§. V. *Vniri* multorum hominum *voluntates* nulla alia ratione possunt, quam si vnusquisque suam voluntatem voluntati vnius hominis, aut vnius concilii subiiciat: ita vt deinceps pro voluntate omnium & singulorum sit habendum, quicquid de rebus ad securitatem communem necessariis ille vel illud voluerit.

De *vnione virium*.

§. VI. *Potestas* autem talis, quae omnibus sit metuenda, itidem inter multos homines nulla alia ratione constitui potest, quam si omnes & singuli sese obligauerint, quod eo modo vires suas sint adplicaturi, sicut ille voluerit, in quem omnes virium suarum directionem resignarunt. Vbi

Vbi autem & voluntatum & virium vnio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validissimum corpus, *ciuitatem* nimirum, animatur.

§. VII. Porro vt ciuitas *regulari modo coalescat*, (1) requiruntur *duo pacta*, & *vnum decretum*.

Primum pactum generale, in constituenda ciuitate regulari interueniens.

Primo enim omnium illi multi, qui in libertate naturali constituti intelliguntur, vbi ad ciuitatem faciendam congregantur, *inter se singuli cum singulis pactum ineunt, quod in vnum & perpetuum coetum coire velint, suaeque salutis ac securitatis rationes communi consilio ac ductu administrare*; vno verbo, *quod velint conciues mutuo fieri*. In quod pactum omnes & singuli vt consentiant, necessum est; & qui non consenserit, is extra futuram ciuitatem manet.

§. VIII. Post isthoc pactum oportet, vt *decretum* fiat, *qualis forma regiminis sit introducenda*. De hac enim antequam constitutum sit, nihil constanter poterit expediri, quod ad communem salutem faciat.

Decretum generale de introducenda forma regiminis.

§. IX. Post decretum circa formam regiminis, altero pacto opus est, quando constituuntur ille, vel illi, in quem, vel quos regimen nascentis ciuitatis confertur: quo quidem pacto

Alterum pactum generale, quo mutuae *imperantis* & *subditorum*

§. VII. (1) Vid. dicta ad J. N. & G. *Lib. VII. Cap. II.* §. 8. *not.* 5. 6. Ed. nouae.

obligationes sanciuntur.

pacto *hi ad curam communis securitatis & salutis, reliqui ad obsequium his praestandum sese obstringunt;* quo ipso etiam omnes suam voluntatem subiiciunt voluntati istius, vel istorum, simulque suarum virium vsum & adplicationem ad communem defensionem eidem vel iisdem deferunt. Atque hoc pactum vbi rite fuerit exsecutioni datum, tunc demum *perfecta & regularis ciuitas* inde prouenit.

Definitio exacta *ciuitatis.*

§. X. Ciuitas ita constituta admodum vnius *personae* concipitur, vnoque *nomine* ab omnibus particularibus hominibus distinguitur atque dignoscitur; habetque peculiaria *iura* ac *res* proprias, quae neque singuli, neque multi, neque adeo omnes simul, citra eum, qui summum habet imperium, seu cui regimen ciuitatis commissum, sibi adserere possunt. Vnde Ciuitas definitur, quod sit *persona moralis composita,* (1) *cuius voluntas ex plurium pactis implicita & vnita, pro voluntate omnium habetur; vt singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem vti possit.*

§. XI.

§. X. (1) Haec definitio perperam huc translata est ex HOBBESIO *de Ciue Cap. V.* §. 9. qui tamen principiis admodum diuersis ab his, quibus Auctor noster vtitur, sua superstruxit. Confundit enim *ciuitatem* cum *summo imperante,* aut saltem ansam isthaec confundendi praebet. Vt igitur recte sese habeat, sic immutari oportet, quod *Ciuitas* sit *corpus morale, in quo communi consensu vna aut plures personae constituuntur, quarum voluntas &c.*

§. XI. Exserit autem sese *voluntas ciuitatis*, tanquam principium *actionum publicarum*, vel per vnum hominem, vel per vnum concilium; prout in illum, aut hoc, summa rerum fuit collata. Vbi penes *vnum hominem* est regimen ciuitatis; *ciuitas velle intelligitur, quodcunque isti homini* (cui sanam rationem constare (1) praesupponitur) *placuerit*; & quidem circa negotia, quae ad finem ciuitatum spectant.

In *Monarchia* voluntas *regis* est voluntas ciuitatis.

§. XII. Verum vbi regimen ciuitatis collatum est in *concilium* ex pluribus hominibus constans, quorum quisque suam retinet voluntatem naturalem; *regulariter* (1) *illud habetur pro voluntate ciuitatis, in quod consenserit maior*

In quo resideat voluntas ciuitatis *in reliquis formis regiminis*.

Z

§. XI. (1) Praesupponitur etiam quod talis leges ciuitatis fundamentales non violet, nec alia ratione abutatur potestate sua, contra finem, ob quem constitutus est, pactaque cuiusque summi imperantis, qua talis.

§. XII. (1) Reuera quidem non semper maioris partis saniora sunt iudicia; ast in concilio alia non datur via negotia expediendi; cum singuli aequali iure suffragium, prout rem capiunt, ferendi polleant, nemoque imprudentior & imperitior altero velit haberi. Modo igitur inter certa concilii membra conspiratio non intercedat, neque alias circa praesens negotium suspecta adpareant; publica sane postulat vtilitas, id ratum haberi, quod per pluralitatem suffragiorum constitutum est. Praestat enim, subesse periculum, vt imprudentior aliquando praeualeat

maior pars hominum, *ex quibus concilium componitur*; nisi expresse statutum sit, quota pars concilii consentiens requiratur ad praesentandam voluntatem vniuersitatis. Vbi autem duae sententiae discrepantes pares sint, nihil agetur; sed res in priori statu manebit. Inter plures sententias discrepantes illa praeualebit, (2) quae singulis dissentientibus maior est; modo in eam tot conspirent, quot alias voluntatem vniuersitatis per sanctiones publicas repraesentare possunt.

Quid intelligatur per *ciuem*, aut *subditum*, & *quotuplices* sint.

§. XIII. Ciuitate ita constituta, ille, in quem imperium est collatum, prout est vel vnus homo, vel vnum concilium paucorum, aut vniuersorum, *Monarcha*, *Senatus*, aut *populus liber* dicitur: reliqui *subditi* audiunt, aut *ciues*, vocabulo hoc latius accepto. Etsi *pressius* illi quibusdam duntaxat ciues soleant dici, quorum coitione & consensu primo (1) ciuitas

ualeat sententia, quam relinqui plane in suspenso negotia, aut quotidianas circa decidendi modum lites agitari.

(2) E. g. Si vni sententiae 20. suffragia faueant, alteri 30. tertiae vero 40. postrema praeualere debet. Ceterum de variis casibus, qui hic occurrere possunt, conferendum est maius Opus *Lib. VII. Cap. II.* §. 16. 17. & GROTIVS *de I. B & P. Lib. II. Cap. V.* §. 19. *sq.* cum *notis* meis.

§ XIII. (1) Vid. ad *I. N. & G. Lib. VII. Cap. II.* §. 20. *not.* 2. Ed. nouae.

tas coaluit, aut qui in horum locum successerunt; nempe *patresfamilias*. Sunt porro ciues vel *originarii*, vel *adscititii*. (2) Illi sunt, qui vel initio ciuitati nascenti interfuerunt, vel qui ex hisce sunt geniti, quos etiam *indigenas* adpellari mos est. Hi autem sunt, qui ciuitati iam constitutae extrinsecus accedunt eo fine, vt fortunarum ibi sedem figant.

Nam qui tantum ad tempus commorandi causa in ciuitate versantur, etsi tantisper ipsius imperio subiiciantur, Ciues tamen non habentur; sed *peregrini* aut *inquilini* vocantur.

§. XIV. Ista tamen, quae super origine ciuitatum tradita sunt, non obstant, quo minus *imperium ciuile* (*a*) *a Deo esse* recte dicatur. Cum enim idem legem naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit, & vero post multiplicatum genus humanum, tam horrida vita inter homines prouentura fuerit, vt legi naturali vix vllus relinqueretur locus; cuius tamen exercitium per institutas ciuitates egregie promouetur; ergo, cum qui iubet finem, iubere etiam censeatur media ad finem necessaria, Deus quoque, mediante dictamine rationis, antecedenter *praecepisse* humano generi multiplicato intelligitur, vt ciuita- Quo sensu imperium ciuile *a Deo* sit.

(*a*) Vid. I. N. & G. Lib. VII. Cap. III.

 tes

(2) In versione Gallica *originarii cives* commode redduntur, *naturels du païs*, *adscititii* vero *naturalisez*.

tes, quae summo imperio velut animantur, constituerentur. Quarum ordinem quoque in diuinis litteris expresse *adprobat*, eiusque sanctimoniam peculiaribus legibus sancit, sibique illud peculiariter *curae* esse testatur.

CAPVT VII.

DE PARTIBVS SVMMI IMPERII.

§. I.

Principium generale, ex quo deduci possunt *partes summi imperii.*

QUae *partes* sint *summi imperii*, & quibus modis eiusdem sese vis in ciuitatibus exserat, (*a*) ex *natura* & *fine earundem* liquido potest colligi.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. IV.

1. De *potestate legislatoria.*

§. II. 1. In ciuitate omnes suam voluntatem submiserunt voluntati imperantium, circa negotia ad salutem ciuitatis facientia, quod velint facere, quicquid illi voluerint. Hoc vt fieri possit, necessum est, vt *imperantes ciuibus significent, quae ipsorum circa talia sit voluntas.* Istud igitur faciunt non solum per *mandata* ad singulos directa, circa negotia particularia; sed etiam per *generales regulas*, vnde omnibus *in perpetuum* de agendis omittendisue constet. Per quas etiam definiri solet, quid cuique *suum*, quid *alienum* censeri debeat; quid in ciui-

ciuitate pro *licito*, quid pro (1) *illicito*, quid pro *honesto*, aut *inhonesto* habendum; quid cuique *ex libertate naturali supersit*, aut quomodo quisque *vsum suorum iurium* ad tranquillitatem ciuitatis temperare debeat; *quid* denique, & *quo modo quisque suo iure ab altero exigere queat*. (2) Haec omnia enim liquido definita esse, ad decus & tranquillitatem ciuitatis plurimum facit.

§. III. 2. Is porro potissimus ciuitatum finis est, vt homines mutua conspiratione & ope tuti sint aduersus damna & iniurias, quae ab hominibus inuicem inferri possunt & solent. Id vt obtineatur ab hominibus, quibuscum in eandem societatem coniungimur, non sufficit, vt mutuo inter se paciscantur de iniuriis non inferendis; neque etiam vt nuda superioris voluntas ciuibus innotescat; sed opus est *metu poenae*, & *facultate eandem repraesentandi*. Quae poena, vt huic fini sufficiat, ita est temperanda, vt aperte maius malum sit, leges violasse, quam obseruasse; vtque **2. De potestate coactiua.**

§. II. (1) Scilicet in rebus lege aliqua diuina, siue naturali, siue reueleta, non praeceptis vel prohibitis, Vide J. N. & G. *Lib. VIII. Cap. I.* §. 2. *seq.* Vbi etiam Auctor cum debita restrictione explicat, quae hic de potestate determinandi *meum* & *tuum* dixit.

(2) Hoc quoque manifestum est, solius summi imperantis esse, *leges interpretari*, *dispensare*, *abrogare* & *mutare*.

adeo poenae acerbitas voluptati aut lucro, quod ex iniuria capitur aut speratur, praeponderet. Nam non possunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem poenam ab iniuriis non reprimantur; id tamen inter minus frequentia habendum est, quae plane euitare conditio humana non patitur.

3. *De potestate iudiciaria.* §. IV. 3. Quia etiam saepe controuersiae super recta legum adplicatione ad facta singularia oriri solent; ac multa accurate expendenda occurrunt, si quid contra leges factum esse dicatur: inde, vt inter ciues tranquillitas constet, *summi imperii est*, (1) *lites ciuium cognoscere & decidere*, singulorumque *facta*, quae legibus contraria arguuntur, *examinare*, ac *poenam* legibus conuenientem *dictitare* & *exsequi*.

4. *De iure belli & pacis, ac foederum.* §. V. 4. Vt autem qui in ciuitatem coiuerunt, aduersus extraneos tuti sint, summi imperii

§ IV. (1) Scilicet aut per se, aut per eos, quibus eam potestatem delegauit; ita tamen, vt in posteriori casu sibi extra ordinem reseruet ius *aggratiandi*, & per viam *appellationis* cognoscendi; nisi supremum aliquod tribunal absolute gaudeat iure, vi legis alicuius fundamentalis publicae, sine vlteriore appellatione causas decidendi. Sed dantur quoque casus extraordinarii, vbi necessitas priuatis facultatem tribuit sibi ipsis ius reddendi. Vid. GROTIVS *de I. B. & P. Lib. I. Cap. III.* §. 2. & *Lib. II. Cap. VII.* §. 2. *num.* 4. 5. cum notis meis.

perii est, *congregare, vnire*, & *armare*, aut eius loco *conducere*, quot pro incerto numero & viribus hostium, ad communem defensionem opus visum fuerit; rursusque, vbi expedierit, *pacem facere*. Cumque & belli & pacis temporibus inseruiant *foedera*, vt & commoda diuersarum ciuitatum melius communicari possint, & validior hostis iunctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat; penes summum quoque imperium erit, vtrique tempori inseruientia foedera inire, vniuersosque subditos ad ea seruanda obstringere, simulque exinde redundantia commoda in ciuitatem deriuare.

§. VI. 5. Cum etiam ciuitatis amplae negotia, tam belli, quam pacis tempore occurrentia, ab vno homine sine *ministris* & *magistratibus* executioni dari nequeant; opus erit, ab summo imperio constitui homines, qui ipsius vice controuersias ciuium examinent, vicinorum consilia explorent, milites gubernent, opes ciuitatis colligant & dispensent, ac denique vtilitati ciuitatis vndique prospiciant. Quos ipsos summus imperans ad officium faciendum compellere, gestorumque rationes poscere potest ac debet.

5 De *iure ministros* ac *magistratus constituendi.*

§. VII. 6. Quia porro nec belli, nec pacis tempore, ciuitatis negotia sine sumtibus geri possunt; *summi imperii est, adigere ciues, vt eosdem suppeditent*. Id quod variis modis contingit:

6. De *iure indicendi tributa, vectigalia*, aliaque *subsidia.*

tingit: puta, (1) si vel ciues aliquam bonorum aut prouentuum regionis abs se insessae partem ad hos vsus seponant; vel singuli ciues de suis bonis conferant, simulque, vbi opus sit, operas suas praebeant; vel si vectigalia imponantur mercibus, quae importantur & exportantur (quorum illud tamen magis ciues, hoc exteros onerat); aut si de pretio rerum, quae consumuntur, modica pars decidatur.

7. *De iure doctrinas, quae in ciuitate traduntur, examinandi.* §. VIII. 7. Denique cum singulorum actiones a sua cuiusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant iudicare, prout adsueuerunt, & prout communiter iudicari vident, paucissimi proprio ingenio vera & honesta dispicere queant: inde *ciuitati expedit, vt publice eiusmodi doctrinis personet, quae cum recto fine & vsu ciuitatum congruunt*, simulque animi ciuium a puero istis imbuantur. Eiusmodi igitur doctrinas qui publice doceant, summi imperii est constituere (1).

§. IX.

§. VII. (1) Referri huc potest ius *venandi* aut *piscandi*, ius *cudendae monetae*, ius omnia illa, quae in medio relicta sunt, in vniuersum sibi vindicandi &c.

§. VIII. (1) Et ne tranquillitati publicae aduersa proferant, cauere. At in huius iuris exercitio occurrere possunt, imo saepe reuera occurrunt abusus grauissimi: siue quod nocere id falso credatur reipublicae, quod nullum ipsi adfert detrimentum, & quod potius

§. IX. Sunt autem istae *partes summi imperii* naturaliter ita *connexae*, vt siquidem *regularis forma* ciuitati constare debeat, (1) omnes & singulae penes vnum radicaliter esse debeant. Nam

De indissolubili istarum *summi imperii partium conne-*

Z 5

potius insigne aliquando commodum ei conciliare posset; siue quod hoc praetextu principes aut proprio motu, aut scelestorum quorundam hominum suggestionibus adducti, inquisitores agere sustinent circa vel maxime indifferentes innoxiasue, interdum etiam verissimas opiniones, religionem praesertim concernentes. Vide dicta ad I, N. & G. *Lib. VII. Cap. IV*, §. 2, *not*. 2. nec non NOODTII discursum de *Religione ab Imperio Jure Gentium libera*, supra iam *Lib. II. Cap*, 5. §. 7. *not*. 1. allegatum. Item quae fuse hac de re occasione *Tolerantiae ciuilis* dissexui in Tractatu *de la Morale des Péres*, Cap. XII. §. 9. seq.

§. IX. (1) Et sane si docti semper, sapientes ac probi summi imperantes existerent, penes ipsos has omnes imperii partes, citra vllam imminutionem aut modificationem, connexas stare, vtique e re foret reipublicae. Verumenimuero cum, teste experientia, abuti illimitata potestate facile admodum sit, inde quae ex diuisis aliquibus summi imperii iuribus oriuntur incommoda, multo minora semper erunt iis, quae ab illa, quam innuit Auctor, regularitate metuenda sunt, vtpote quae in idea tantum bona est. Nempe egregia illa est regularitas, quae v. c. principibus suscipiendorum tot non necessariorum, aut etiam iniustorum bellorum vires subministrat: quorum haut experturi aerumnas subditi essent, si potestas indicendi tributa ac conducendi militem concilio populi, aut eiusdem deputatis, vel in solidum, vel ex parte reseruata foret.

xione in ciuitate regulari. Nam si vna vel altera plane absfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem ciuitatis procurandum idoneum. Sin autem istae diuidantur, ita vt quaedam radicaliter sint penes vnum, reliquae penes alium; irregularem rempublicam & male cohaerentem emergere necessum est.

CAPVT VIII.

DE *FORMIS RERVMPVBLICARVM.*

§. I.

Vnde prouenia nt diuersae formae rerumpublicarum. SUmmum imperium, prout vel *in vno homine*, vel in vno *concilio* ex *paucis*, aut *vniuersis* constante, reperitur, (*a*) *diuersas formas rerumpublicarum* producere solet.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. V.

Sunt formae ciuitatis vel regulares, vel irregulares. §. II. Sunt autem *formae* ciuitatis vel *regulares*, vel *irregulares*. Illae sunt, vbi imperium summum in vno subiecto ita est vnitum, vt illud indiuisum & inconuulsum ab vna voluntate per omnes ciuitatis partes atque negotia sese dispenset. Vbi hoc non deprehenditur, irregularis forma ciuitatis erit.

Tres ciuitatis regularis formae. §. III. *Ciuitatis regularis* tres sunt *formae*. Prima, quando summum imperium est penes vnum hominem, & dicitur *Monarchia*. Altera, quando summum imperium est penes conci-

concilium ex selectis duntaxat ciuibus constans, & vocatur *Aristocratia.* Tertia, quando summum imperium est penes concilium ex vniuersis patribusfamilias constans, & adpellatur *Democratia.* In prima, is, qui rerum potitur, dicitur *Monarcha*, in secunda, *Optimates*, in tertia, *Populus*.

§. IV. In omnibus hisce formis potestas quidem est eadem: sed in eo insignem habet commoditatem *Monarchia* prae reliquis formis, (1) quod in ea vt deliberetur & decernatur, id est, vt imperium actu exerceatur, non opus sit temporibus & locis condictis, sed quouis loco & tempore deliberari & decerni possit; sic vt Monarcha semper in proxima sit potentia ad actus imperii exercendos. Sed vt *Optimates* & *Populus*, qui non sunt vna persona naturalis, decernant, necessum est, vt certo loco & tempore conueniant, ibique super negotiis publicis deliberent & decernant; cum alio modo voluntas *Senatus* & *Populi*, quae ex conspi- *Comparatio harum trium formarum ciuitatis.*

§. IV. (1) Commoditas tamen haec admodum dubia redditur ab incommodis, quae non raro eueniunt, cum ab vnius arbitrio omnia pendent. Ceterum vt de rebus iudicium ferre liceat, non quatenus idea comprehenduntur, sed quatenus vere existunt, & omni tempore extiterunt, vniuersim haudquaquam affirmari poterit, quod certa reipublicae forma per se optima sit, respectu quarumlibet nationum. Vid. *I. N. & G. Lib. VII. Cap. V.* §. 21. *not. 2.* Ed. nouae.

ſpirantibus maioris partis ſententiis reſultat, cognoſci nequeat.

Quotuplicia ſint vitia in ciuitatibus.

§. V. Ceterum vti circa alia iura, ita & circa ſummum imperium contingit; vt id alicubi bene, alicubi praue & imprudenter admiſtretur. Vnde fit, vt aliae *ciuitates ſanae*, aliae *morbidae* & *corruptae* dicantur: etſi propter iſtiusmodi morbos, peculiares formas, aut ſpecies rerumpublicarum comminiſci neceſſum non ſit. Eorum autem morborum, quibus ciuitates infeſtantur, alii in hominibus, alii in ipſo ſtatu haerent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia ſtatus* audiunt.

Vitia hominum 1. in *Monarchia*.

§. VI. *Vitia hominum* in *Monarchia* ſunt, ſi qui ſolium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut non ſufficiente reipublicae cura tangitur, eamque prauorum miniſtrorum ambitioni aut auaritiae lacerandam proſtituit; ſi ſaeuitia & iracundia idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem rempublicam in caſum dare gaudet; ſi quae ad tolerandos ſumtus reipublicae conferuntur, luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias ciuibus extortas praeter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi iniuſtus eſt; & ſi quae ſunt alia, per quae mali nomen principis comparatur.

2. In *Ariſtocratia*.

§. VII. *Vitia hominum* in *Ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum, prauasque artes via in ſenatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi optimates factionibus diſtrahuntur;

buntur; si plebe tanquam mancipiis abuti, & bona ciuitatis, augendo priuato patrimonio, interuertere student.

§. VIII. *Vitia hominum* in *Democratia* sunt, si inepti & turbulenti homines turbulenter & importune sententias suas tueri solent; si egregiae & reipublicae non praegraues virtutes opprimuntur; si per leuitatem leges temere figuntur atque refiguntur; & quae modo placuerunt, mox citra rationem displicent; si sordidi & inepti homines rebus gerendis praeficiuntur. 3. In *Democratia*.

§. IX. *Vitia hominum*, quae *in quamuis ciuitatis speciem* cadunt, sunt, si quibus imperii administratio incumbit, officio suo negligenter aut praue funguntur; & si ciues, quibus sola obsequii gloria relicta est, frenum mordent. Vitia hominum, quae *in quamuis ciuitatis speciem* cadunt.

§. X. Ast *vitia status* sunt, vbi leges aut instituta ciuitatis non sunt adtemperata (1) ad genium populi, aut (2) regionis; aut vbi eadem cies *Vitia status*.

§. X. (1) E. g. Si leges eo tendant, vt populus neutiquam bellicosus, sed pacis artibus idoneus, ad armorum studium conuertatur.

(2) Sic inconsultum omnino fuerit, commercio ac opificiis non fauere in regione ad eiusmodi institutum opportune sita, taliumque rerum ferace, ex quibus merces amplum lucrum adferre aptas fabricare liceat.

ues disponunt ad (3) turbas internas, aut ad iusta(4) vicinorum odia incurrenda; aut si eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quae reipublicae seruandae sunt necessariae, puta, si per leges ciuitatis non possint non in imbellem segnitiem resolui, aut inidonei ad pacem ferendam reddi; aut si leges fundamentales ita sint dispositae, vt per eas negotia publica non possint (5) non tarde aut difficulter expediri (6).

§. XI.

(3) E. g. Si insignia vitia impunita dimittuntur, aut leuiter tantum enormia delicta puniantur; veluti in *Polonia*, vbi qui homicidium commisit, soluta 30. marcarum multa absoluitur.

(4) Si extraneis iustitia denegetur, aut foueatur piratica &c.

(5) Vt in *Polonia*, vbi dissensu vnius ex consessu abrumpuntur *comitia*; quae porro sex hebdomadis finiri debent, quod quidem proponendis atque expediendis singulis negotiis breuius iusto est temporis interuallum.

(6) Vt paucis quod res est dicatur, vitium statu est, quandocunque existunt leges & consuetudines, praecipuis sanae Politicae principiis contrariae. Quae si specioso religionis praetextu fucata sunt, eo grauiora post se incommoda trahunt. E. g. si toleretur nimia multitudo clericorum, similiumque hominum, qui sub pietatis specie molesti sunt reipublicae, & diuitias cumulant, &c. Item si clericis potestas nimia ciuilis & ecclesiastica permittatur, qui semper abusi sunt, & porro hoc vel illo modo abutentur, magno reipublicae, ipsiusque religioni damno, &c.

§. XI. Morbidis eiusmodi rebuspublicis multi peculiaria quoque vocabula adplicant; ita vt vitiosa Monarchia vocetur *Tyrannis*, vitiosus status paucorum, *Oligarchia*, vitiosus status popularis, *Ochlocratia*. Etsi frequenter contingat, vt multi per isthaec vocabula non tam morbum reipublicae, quam suum adfectum aut displicentiam in praesentem statum imperantesue exprimant. Saepe enim cui vel rex, vel status Monarchicus displicet, *tyrannum*, aut *dominum* solet vocare etiam legitimum & bonum principem, praesertim vbi is leges seuere exsequitur. Sic & cui dolet, senatu se excludi, cum tamen aliis senatoribus inferiorem sese haut quicquam arbitretur, per contemtum & inuidiam ὀλίγυς illos vocat; quasi dicas, paucos quosdam, qui, cum nulla re ceteros emineant, in pares tamen, aut meliores, non sine fastu, imperium exerceant. Denique superbo homines ingenio, & quibus aequalitas popularis inuisa est, vbi in Democratia pari omnes iure de republica suffragia ferre vident, cum tamen in quauis ciuitate plebis maximus sit numerus, *Ochlocratiam* id vocant; quasi dicas statum, vbi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipsi se ducunt, aliqua praerogatiua relinquitur.

Perperam saepe taxatur praesens reip. status.

§. XII. *Respublica irregularis* est, in qua non ita perfecte vnio illa, in qua essentia ciuitatis consistit, deprehenditur, idque non per

Variae species *rerumpublicarum irregularium*.

per modum morbi aut vitii in administratione reipublicae haerentis, sed vt publica lege aut consuetudine ea velut legitima sit recepta. Cum autem aberrationum a rectitudine infiniti esse modi queant, non possunt etiam irregularium rerumpublicarum certae & definitae species constitui. Indoles tamen eius ex vno aut altero exemplo plane potest intelligi: v. g. si in aliqua republica (1) senatus & populus summo vtrinque iure negotia publica tractent, ita vt neuter alteri obnoxius sit; aut (2) si in regno aliquo procerum potentia ita inualuerit, vt regi deinceps non alio modo, quam inaequales foederati, subsint.

Quid sit systema ciuitatum. §. XIII. *Systema ciuitatum* (1) vocamus, *vbi plures perfectae ciuitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, vt ipsarum vires fere pro vnius ciuitatis viribus haberi queant.* Exsurgunt

§. XII. (1) Talis erat secundum Auctorem nostrum *respublica Romana*, ex quo populus peculiares suos magistratus, *Tribunos* dictos, nactus est. Vide dissertationem *de Forma Reipublicae Romanae* §. 24 & *seqq.* inter dissertationes Academicas in vnum volumen congestas, ac typis exscriptas *Londini Scanorum* an. 1675.

(2) Tale nunc est *Imperium Romano-Germanicum*, proue ostendit Auctor in suo MONZAMBANO.

§. XIII. (1) In versione Gallica commode adhibentur vocabula, *Etats simples*, & *Etats composez*, quorum alterum *systema ciuitatum* exprimit.

gunt autem ſyſtemata duplici potiſſimum modo: vno, (2) *per communem regem*, altero, *per foedus* (3).

§. XIV. *Mediante communi rege* ſyſtema emergit, quando plura ſeparata regna, vel ex conuentione, vel ex occaſione matrimonii, hereditatis, aut victoriae, vnum & eundem habent regem; ita tamen vt ideo in vnum regnum non coaleſcant, ſed ſingula iuxta ſuas leges fundamentales a communi rege adminiſtrentur. Syſtema ciuitatum *mediante communi rege emergens.*

§. XV. Altera ſpecies ſyſtematum prouenit, quando plures ciuitates vicinae *perpetuo foedere* ita connectuntur, vt aliquas partes ſummi imperii, quae praecipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi ex conſenſu omnium exercere velint; ſalua manente de cetero ſingularum ciuitatum libertate & independentia. Syſtema ciuitatum per *foedus perpetuum* emergens.

A a CAPVT

(2) Quod accidit in *Regnis Angliae*, *Scotiae* ac *Hiberniae*, *Regnis Hiſpaniae* &c.

(3) Quale olim *Foedus* XII. *populorum antiquae Achaiae*, & hodie *Confoederatae Prouinciae Belgii*, *Pagi Heluetii &c.*

CAPVT IX.

DE *ADFECTIONIBVS IMPERII CIVILIS.*

§. I.

Imperium, quo ciuitas regitur, 1. est *summum* ac *independens.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. VI.

1. HAbet (*a*) hoc omne *imperium*, quo vniuersa aliqua ciuitas regitur, in qualibet reipublicae forma, vt sit *summum*, i.e. in sui exercitio *a nullo homine*, tanquam *superiore*, *dependens*, sed ex proprio iudicio & arbitrio sese exserens; sic vt eiusdem actus a nemine, tanquam (1) superiore, queant irriti reddi.

2. *Nemini mortalium obstrictum est ad reddendas rationes.*

§. II. 2. Inde etiam est, quod idem imperium sit ἀνυπεύθυνον, seu *nemini mortalium obstrictum ad reddendas rationes*, eo cum effectu, vt si eas alteri non adprobauerit, poenis humanis aut coërcitioni, velut a superiore profectis, eo nomine sit obnoxium.

3. *Legibus humanis* est *superius.*

§. III. 3. Cui coniunctum est, vt idem summum

§. I. (1) Sedulo est obseruanda haec restrictio. Quippe etsi in limitato imperio Monarcha in quibusdam negotiis, populi concilio, aut eius deputatis haud consultis; nihil valide constituere possit; non ideo tamen rege populus est superior. Debuisset nihilominus heic Auctor ea, quae *limitato* cum *absoluto imperio* sunt communia, distinctius explicare.

mum imperium *legibus humanis & ciuilibus*, (1) vt talibus, sit *superius*, iisdemque adeo directe non obstringatur. Istae enim leges a summo imperio tam in origine, quam in duratione dependent. Inde fieri non potest, vt per istas idem obligetur; cum alias idem seipso superius foret. Etsi vbi summus imperans quaedam ciuibus lege iniunxerit, quorum materia in ipsum quoque cadit, decorum sit, & ad auctoritatem legi addendam proficuum, vt ad eadem iste vltro sese componat (2).

§. IV. 4. Habet denique & *peculiarem sanctimoniam* (1) summum imperium; (*a*) vt non solum eius iussis legitimis resistere nefas sit, sed & eiusdem asperitas non secus atque a probis liberis parentum morositas, a ciuibus sit patienter ferenda. Quin & vbi atrocissimas iniurias intentauerit, singuli potius fuga sibi consulent, aut quantamcunque calamitatem susti-

4. *Sacrum est & inuiolabile.*

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. VIII.

§. III. (1) Adeoque non *legibus naturalibus*, aut *fundamentalibus* ciuitatis suae.

(2) Quod item facere censetur & censendus erit, quotiescunque tanquam priuatus agit & contrahit aliquid, nec secus vo'uisse agere declarauit. Vid. GROTIVS de *I. B. & P. Lib. I Cap. XIV.* §. 2. & 5. cum notis meis.

§. IV. (1) Vide NOODTII discursum *de Jure Summi Imperii & Lege Regia*, iam supra allegatum *Lib. II. Cap. V.* §. 7. *not.* 1. & dicta a me ad GROTIVM *Lib. I. Cap. IV.* §. 2. *not.* 1.

ſuſtinebunt, quam ferrum in durum quidem, ſed tamen parentem patriae ſtringent.

Quid ſit *imperium abſolutum.*

(a) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. IV. §. 7. ſq.

§. V. Praeterea ſummum *imperium* in Monarchiis potiſſimum & Ariſtocratiis, alicubi *abſolutum*, alicubi *limitatum* deprehenditur (*a*).

Abſolutum imperium Monarcha habere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt proprio ex iudicio, non ad normam certorum ac perpetuorum ſtatutorum, ſed prout praeſens rerum conditio videtur exigere; quique adeo proprium ad arbitrium ſalutem reipublicae, prout eiusdem tempora poſtulauerint, procurat.

Quomodo *ſummum imperium limitatum* euadat.

§. VI. Verum quia vnius hominis iudicium ab erroribus non eſt immune, & voluntas in praua flexilis, in tanta cumprimis libertate: quibusdam populis conſultum viſum, eius *imperii exercitium certis limitibus circumſcribere.* Id quod factum, dum ad certas *leges* circa adminiſtrationem partium imperii in delatione regni regem adſtrinxerunt: & ſi quando negotia ſummam rerum ſpectantia, quaeque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi non niſi praeſciente & conſentiente populo, aut eiusdem deputatis in comitia conuocatis; vt eo minor occaſio regi praebeatur a ſalute regni aberrandi.

De diuerſis *modis poſſidendi imperii.*

§. VII. Solet denique in regnis occurrere aliquod diſcrimen circa *modum habendi regnum,* qu-

qui non in omnibus aequalis deprehenditur. Quidam enim reges dicuntur regnum suum habere *in* (1) *patrimonio*, ita vt illud pro lubitu diuidere, alienare, transferre possint in quemcunque voluerint (2). Quod potissimum contingit illis, qui armis regnum sibi quaesiuere, ac suum sibi populum ipsi fecerunt. Reliqui autem Reges, qui vltro a populo sunt adsciti, etsi summo iure imperium exerceant, regnum tamen pro lubitu diuidere, alienare, aut transferre nequeunt; sed in eo ad successores dimittendo; legem fundamentalem, aut consuetudinem in populo receptam sequi tenentur; eoque a quibusdam certo respectu cum *vsufructuariis* comparantur.

CAPVT X.

DE *MODIS ADQVIRENDI IMPERIVM*, INPRIMIS *MONARCHICVM*.

§. VII. (1) Vnde & tale regnum *patrimoniale* audit. Non est autem vllum *regnum* huiusmodi, citra consensum vel expressum vel tacitum populi. De quo fusius egi ad GROTIVM *de Jure Belli ac Pacis Lib. I. Cap. III.* §. 11. *not.* 4.

(2) Imo pro lubitu de eo disponere; modo illud in populi perniciem non tendat. Haec enim exceptio tacite semper continetur conuentione, qua vel maxime Despoticum imperium fundatur.

§. I.

Duplex est modus originarius adquirendi imperii.

(*a*) Vid. J·N & G. Lib. VII Cap VII.

QUanquam ad quoduis imperium legitimum constituendum *consensus subiectorum* requiratur; (*a*) is tamen non vbique pari modo elicitur. Interdum enim per *violentiam bellicam* aliqui adiguntur in victoris imperium consentire; interdum *vltro* ad aliquem principem constituendum ciues accedunt.

De *modo* adquirendi imperii per *occupationem* bellicam.

§. II. *Modus adquirendi imperii violentus* solet vocari (1) *occupatio*; quando scilicet aliquis (2) iusta bellandi causa subnixus, fauente vi armorum ac fortuna, populum aliquem eo redigit, vt ipsius deinceps imperio sese subiicere cogatur. Cuius imperii legitimus titulus non inde solum deducitur, quod victor, si rigore belli voluisset vti, vitam plane victis adimere potuisset; atque sic, dum minore istos incommodo defungi patitur, clementiae insuper laudem nanciscatur: sed & quod

§. II. (1) Vsitatissimum vulgo vocabulum Gallicum, *Conquête*.

(2) Verum etiam cum iniustum est bellum, tametsi adquisitio huiusmodi in foro conscientiae sit illegitima, externo tamen iuris effectu gaudet, fundato in hoc, quod humani generis tranquillitas, & defectus communis iudicis inter principes ac populos in statu naturali viuentes, tale quid requirat. Vid. dicta ad *I. N. & G. Lib. VII Cap. VII.* §. 3. *not.* 4. Ed. nouae, & ad GROTIVM *Lib. III. Cap. VII.* §. 6. *not.* 2. & *Cap. XIX.* §. 11. *not.* 1.

& quod cum altero in bellum descendens, quem ipse antea laeserat, & cui aequam satisfactionem praebere renuit, omnes suas fortunas aleae Martis exponat; sic vt iam in antecessum tacite consenserit in quamcunque conditionem, quam euentus belli ipsi est adsignaturus.

§. III. *Vltroneo* autem *consensu* populi paratur regnum, interueniente *electione*, qua populus constituendus, aut iam constitutus, vltro certum hominem suo iudicio imperii capacem designat; cui quando decretum populi fuerit significatum, idque ille acceptauerit, promisso populi obsequio imperium confertur. *De electione.*

§. IV. Electionem in ciuitate iam constituta, siquidem illa suscipiatur rege priore defuncto, antecedere solet *interregnum.* In quo licet ad *imperfectam formam* recidat ciuitas, dum ciues *primo* tantum *pacto* inter se connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & adfectus communis patriae, ciuiumque plerorumque fortunae isti loco fere adfixae; quae bonos ciues subigunt, vt vltro tantisper pacem inter se colant, & quantocyus ad plenum imperium instaurandum incumbant. Etsi magnopere ad incommoda, ex interregnis oriri apta, euitanda faciat, si in antecessum constituantur, penes quos, solio vacante, *interim* reipublicae administratio esse debeat. *De interregnis.*

De varia eligendi ratione.

§. V. Ceterum alicubi quidem, singulis Monarchis defunctis, noua instituitur electio; alicubi autem regnum ea lege in alterum confertur, (1) vt citra nouam interuenientem electionem in alios per *successionem* transeat. Illud ius successionis constituitur vel *arbitrio ipsius regis*, vel *arbitrio populi*.

De successione testamentaria in regno patrimoniali.

§. VI. Reges, qui regnum suum habent in *patrimonio*, pro lubitu super successione possunt disponere: quorum dispositio aeque, ac priuatorum testamentum obseruabitur; praesertim vbi abs aliquo regnum fuerit conditum ac partum. Vbi licebit ipsis, si placuerit, regnum inter plures liberos diuidere, etiam filiabns non exclusis; immo & heredem instituere filium adoptiuum, naturalem, aut qui nulla plane cognatione ipsis est iunctus.

De successione ab intestato.

§. VII. Verum vbi eiusmodi rex super sua successione nihil peculiariter disposuit, praesumitur 1. eum nequaquam regnum secum exspirare velle; sed vt omnino in liberos suos propter communem mortalium adfectum id deuoluatur. 2. Dein, vt post ipsum Monarchica forma conseruetur; quippe quam ipse suo exemplo comprobauit. 3. Tum, vt regnum maneat indiuisum; quippe cum diuisio

§. V. (1) Etsi quidem solennis quaedam suscipiatur inauguratio, prouti in compluribus regnis moris est; vbi tamen etiam ipse ritus saepe longo demum post obitum postremi regis tempore peragitur.

ſio cum regni iuxta & familiae regiae conuulſione ſit coniuncta. 4. Praeterea, vt inter pares gradu mas praeferatur foeminae, primo genitus deinceps genitis. 5. Denique, vt liberis deficientibus, ad proximum quemque ſanguine regnum deuoluatur.

§. VIII. In illis autem *regnis*, *quae ab initio vltronea populi voluntate ſunt conſtituta*, ordo ſucceſſionis originarie ab eiusdem populi voluntate dependet. Qui vbi in regem vna cum imperio, ius quoque ſucceſſoris conſtituendi contulerit; (1) ſuccedet, quem hic voluerit. Vbi

Varii modi *ſuccedendi* in *regnis vltronea populi voluntate conſtitutis*.

§. VIII. (1) In hoc igitur caſu ſucceſſor a rege nominatus vtique ius ſuum originarie a voluntate populi trahet, vt cuius anteceſſor poteſtate id in ipſum transferendi gauiſus eſt; cum e contrario in regno patrimoniali vnice á voluntate vltimi regis pendeat, quod ſucceſſor regno praeficitur. Sic alienatio quoque in regno patrimoniali inter viuos aeque ac in caſum mortis poteſt inſtitui, quod neutiquam in regno non patrimoniali locum habet; vbi rex deſignare tantum eum poteſt, qui poſt mortem ipſi ſucceſſurus ſit, idque vi clauſulae, quam hic Auctor noſter praeſupponit, quae tamen, vt ipſe fatetur de *I. N. & G. Lib. VII. Cap. VII. §.* 12. raro adnexa deprehenditur pacto, quo populus ex mera voluntate imperium contulit. OTTO hic diſtinctionem ſuppeditat, quae tamen fundamento caret. Dicit enim, ſi rex, poteſtate inſtructus a populo, contra ſalutem reipublicae de ſucceſſione quid conſtituat, populum id omnino negligere poſſe. Verum idem quoque locum habet in regnis patrimonialibus. Etenim brutis animalibus

Vbi hoc non fuit factum, id ius populus sibi reseruasse intelligitur. Cui si placuit in electum regem hereditario iure regnum conferre, ordinem succedendi vel *simplicibus hereditatibus* consimilem, quantum salus regni admittit, effecit, vel *peculiari* ipsum *ratione* temperauit.

De *successione simpliciter hereditaria.* §. IX. Vbi *simpliciter* populus regem iussérit *hereditario iure* regnum obtinere, voluit quidem, vt regnum eo ordine deuoluatur, quo priuatae hereditates; sed non sine aliquo temperamento. Nam in hisce fere vt a priuatis hereditatibus discedat successio in regnis, salus ciuitatum requirit. 1. Vt regnum sit indiuiduum. 2. Vt successio stet intra eos, qui a primo rege descendunt, (1) nec ad eius collaterales deuoluatur. 3. Ne succedant, nisi qui nati sunt secundum leges patriae, non nothi tantum, sed & adoptiui. 4. Vt in pari gradu mares praeferantur foeminis, etiam maioribus natu (2). 5. Vt successor regnum agno-

malibus haud aequiparandi sunt subditi, nec regnum cum potestate alienandi delatum, propterea pro re habendum est, qua quis pro libidine sua vti & abuti possit. Sic enim nec domino seruum suum tali modo alienare licet, vt eum in potestatem domini manifeste asperi & crudelis tradat. Vide supra *Lib. II. Cap. IV.* §. 5.

§. IX. (1) Vide dicta ad *I. N. & G. Lib. VII. Cap. VII.* §. 12. *not.* 4. Ed. nouae.

(2) Adde, vt inter plures mares aut feminas, in pari

agnoſcat, tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

De ſucceſſione lineali.

§. X. Verum quia facile inextricabiles controuerſiae oriri poterant, vter ex familia regnatrice nuper defunctum proxima cognatione contingeret, vbi ab auctore ſtirpis longius diſceſſum fuerat: inde multos apud populos *ſucceſſio linealis* introducta eſt. Quae in hoc conſiſtit, vt prout quisque ab auctore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocetur, prout ipſius linea alias praecedit; nec de vna linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore gradu proxime defunctum regem adtingat (1).

Succeſſio linealis eſt vel Cognatica vel Agnatica.

§. XI. *Succeſſionis linealis* vſitatiſſimae ſunt ſpecies, *Cognatica* & *Agnatica*. In illa foeminae non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea; ita vt etiam ad ipſas fiat regreſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Haec autem foeminas, & ex hiſce natos, etiam mares, in perpetuum excludit.

§. XII.

---

pari gradu conſtitutas, maiores natu praeferantur. Vide dicta ad GROTIVM *de I. B. & P. Lib. II. Cap. VII.* §. 18. *not.* 1.

§. X. (1) E. g. Filius minor natu regis defuncti propior gradu eſt nepote aut filio maioris natu praemortui; at nihilominus hic filius aut nepos, excluſo patruo aut patruo magno, ſuccedit.

Quomodo controuersiae super successione in regno ortae componi debeant.

§. XII. Vbi super successione *in regno patrimoniali* controuersia oriatur, optimum fuerit, (1) ad arbitros ex familia regia ire. Si successio fuerit voluntate populi constituta, declaratio populi dubium tollet.

CAPVT XI.

DE OFFICIIS SVMMORVM IMPERANTIVM.

§. I.

Fons generalis *officiorum summorum imperantium.*

QUibus praeceptis *officium summorum imperantium* constet, (*a*) ex *indole* ac *fine ciuitatum*, nec non expensis *summi imperii partibus*, perspicue colligitur.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. IX.

Imperantes necessario exactam officii sui

§. II. Vbi ante omnia requiritur, vt imperantes ipsi *diligenter discant, quae ad plenam eius officii cognitionem pertinent*; cum nemo laudabiliter exercere possit, quod non probe didicit. Vnde principi sequestranda illa studia, quae ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendae quoque voluptates, oblectationes,

§. XII. (1) Imo tum per accidens, & ad *interim* ad pristinam suam libertatem redit populus. Ac proinde penes ipsum est, in isto casu controuersiam dirimere; prouti ostendi ad GROTIVM *Lib. II. Cap. VII.* § 27. *not.* 4. Quorsum & conferenda dicta ad Auctoris maius Opus *Lib. VII. Cap. VII.* §. 15. *not.* 1. Ed. nouae.

nes, vanaeque occupationes, quatenus istum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui praeter inania nihil didicerunt, procul arcendi. *cognitionem sibi comparare debent.*

Enimuero vt generalia prudentiae rectricis praecepta rite adplicare norit, quam penitissime ipsi conditio sui status, subiectique indoles populi est cognoscenda. Illisque praeterea virtutibus cumprimis studendum, quarum vsus in tanta molis administratione maxime conspicitur; moresque ad tanti fastigii dignitatem componendi.

§. III. Generalis lex summorum imperantium est haec: *Salus populi suprema lex esto.* Ea enim intentione in istos imperium est collatum, vt per id procuraretur finis, ob quem ciuitates sunt institutae. Inde credere iidem debent, nihil sibi priuatim expedire, quod non idem expedit ciuitati. *Generalis regula, omnia summorum imperantium officia complectens.*

§. IV. 1. Ad internam ciuitatum tranquillitatem requiritur, vt voluntates ciuium ita temperentur & dirigantur, prout saluti ciuitatis expedit. Inde summorum imperantium est, non solum idoneas ei fini *leges* praescribere; sed & *publicam disciplinam* ita sancire, vt non tam metu suppliciorum, quam adsuetudine, ciues ad legum praescripta sese componant. Ad quem finem quoque facit, curare, vt *doctrina Christiana*, pura illa & sincera, in *Regulae speciales. 1. Curandum, vt subditi ad bonos mores componantur.*

ciui-

ciuitate vigeat; ac in *ſcholis publicis* talia dogmata tradantur, quae cum fine ciuitatum conueniunt.

2. Vt ſalutares ac idoneae *leges* conſtituantur.

§. V. 2. Ad eundem finem expedit, perſcriptas habere *leges perſpicuas* & *planas* circa negotia, quae frequentiſſime inter ciues verſari ſolent. Non tamen plura legibus ciuilibus ſancienda ſunt, quam ad bonum ciuitatis & ciuium conducunt. Nam cum de eo, quod facere, vel non facere debent, ſaepius per rationem naturalem, quam per ſcientiam legum homines deliberare ſoleant; vbi plures leges ſunt, quam vt facile memoria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quae ratio per ſe non prohibet; neceſſe eſt, vt per ignorantiam, ſine vlla praua intentione, incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipſo ciuibus per imperantes ſuperuacuum incommodum conciliatur; quod eſt contra finem ciuitatum.

3. Vt leges rite *exſecutioni* mandentur.

§. VI. 3. Quia autem fruſtra feruntur leges, ſi impune eas violari tolerent ſummi imperantes: igitur horum eſt, *exſecutionem earundem procurare*, vtque quiuis ſuo iure potiatur citra lentas moras, eluſiones atque vexationes, efficere; poenas quoque ſumere pro cuiusque facti conditione, transgreſſorisque intentione & malitia, nec ſine ſufficiente cauſa veniam indulgere; cum iniquum ſit, & ad irritandos ciuium animos efficaciſſimum, aequaliter meritos, ceteris paribus, non aequaliter tractare.

§. VII.

§. VII. 4. Vti autem *nihil poenis est sanciendum, quod non ad vsum ciuitatis facit*: ita *poenae* quoque sunt *temperandae, vt ad finem istum proportionem habeant*; vtque adeo ciues non plus adflictionis, quam respublica vtilitatis, inde ferant. De cetero, si scopum suum debent obtinere poenae, adparet, eas eousque esse intendendas, vt acerbitas earundem praeponderet lucro aut delectationi, quae ex facto legibus vetito redundare potest.

4. Vt in designatione ac mensura *poenarum iustum seruetur temperamentum.*

§. VIII. 5. Quia porro hoc fine in ciuitatem coiuerunt homines, vt securitatem aduersus iniurias aliorum obtinerent; summorum imperantium est, eo seuerius *ciuium inter se iniurias prohibere*, quo faciliorem perpetua cohabitatio occasionem ad laedendum praebet. Nec discrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, vt potentiores tenuioribus pro libidine insultare possint. Sed & scopo summi imperii aduersatur, vt ciues, quas sibi factas arbitrantur iniurias, priuata violentia exsequantur.

5. Vt *ciuium* inter se inuicem *iniuriae* prohibeantur.

§. IX. 6. Praeterea quanquam ad omnia ciuitatis amplioris negotia immediate obeunda vnus princeps non sufficiat, sic vt necessario *ministri* in partem curarum sint vocandi: tamen vti hi omnem a summo imperante potestatem mutuantur, ita & bene & male ab ipsis gestorum imputatio vltimo demum in istum redundat. Quam ob rationem, & quia prout ministri sunt, ita recte aut praue negotia expediun-

6. Vt *ad munia ciuitatis viri probi & idonei* adhibeantur; ac in eos, qui male rem gessisse deprehensi fuerint, seuere animaduertatur.

pediuntur; summi imperantes tenentur *ad munia ciuitatis adhibere viros probos & idoneos,* & in eorum acta subinde inquirere, eos denique, prout rem gessisse deprehenduntur, praemiis vel poenis mactare; quo ceteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam rem tractandam. Sic & cum praui mortalium ad scelera perpetranda spe impunitatis alliciantur, quae ipsis praebetur facillima, vbi *iudices* corruptionibus patent; summorum imperantium est, in eiusmodi iudices, tanquam fautores scelerum, queis securitas ciuium abrumpitur, seuere animaduertere. Praeterea licet ordinaria negotiorum expeditio ministris credenda sit; summi tamen imperantes querelis ac desideriis ciuium patienter aurem praebere nunquam detrectabunt.

7. Vt *tributa* aliaque *onera* conuenienti modo exigantur; ac quae collecta fuerunt, in vsus reipublicae impendantur.

§. X. 7. Cum ad *tributa* & *alia onera* ferenda ciues nullo alio nomine teneantur, quam quatenus ista necessaria sunt ad sumtus ciuitatis belli pacisque tempore tolerandos: igitur summorum heic imperantium officium erit, *non plus extorquere, quam necessitates aut insignes reipublicae vtilitates requirant; &, quantum fieri potest, ita onera temperare, vt quam minime ciues iisdem adfligantur.* Deinde, vt *iusta in proportione describantur,* nec aliquibus ciuibus immunitates concedantur in fraudem & oppressionem reliquorum. Tum, *quae collecta fuerunt, in vsus reipublicae impendantur,* non per luxuriam, largitiones, superfluam ostentationem,

tationem, aut inania dissipentur. Denique prouidendum, vt *erogationes reditibus respondeant*; & qua hi non pertingunt, a parsimonia & circumcisis sumtibus non necessariis subsidium petendum.

§. XI. 8. Quanquam autem summi imperantes subditos alere non teneantur (nisi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem seipsos sustentare non possunt, peculiarem curam agere caritas iubeat); tamen quia non solum ex bonis ciuium colligendi sunt sumtus ciuitati conseruandae necessarii, sed etiam robur ciuitatis in virtute & opibus ciuium consistit; igitur illis, quantum in se, prouidendum erit, vt *res familiaris ciuium gliscat*. Ad hunc finem facit, ciues disponere, vt, quantum fieri potest, vberem prouentum & terra & aquis capiant; vt quae apud ipsos proueniunt materiis industriam adhibeant, aut quem ipsi commode laborem obire possunt, ab aliis non redimant; quod fit, siquidem *artes mechanicae foueantur*. Maximi quoque est momenti, *mercaturam*, & in regionibus maritimis *nauigationem excolere*. Nec ignauia solum proscribenda; sed & ad parsimoniam reuocandi ciues per *leges sumtuarias*, queis superflui sumtus prohibeantur, inprimis illi, per quos opes ciuium ad exteros transferuntur. Etsi maiorem heic, quam quaeuis leges, efficaciam obtinent summorum imperantium exempla.

8. Vt *res familiaris* ciuium gliscat.

Bb §. XII.

9. Vt *factiones* praecaueantur. §. XII. 9. Quia etiam sanitas ac firmitas interna ciuitatum ex vnione ciuium prouenit; quae quo accuratior fuerit, eo maiore cum efficacia vis imperii per vniuersum sese ciuitatis corpus dispensat: igitur summis imperantibus incumbit *prouidere*, *ne in ciuitate factiones oriantur*, neue quidam ciues inter se peculiaribus pactis connectantur, neue omnes aut aliqui ab vllo alio, siue intra, siue extra ciuitatem constituto, sub quocunque obtentu, sacro aut profano, magis dependeant, quam a legitimo suo principe, & in nemine plus sibi praesidii, quam in eodem repositum arbitrentur.

10. Vt aduersus *exterorum inuasiones* vires parentur. §. XIII. 10. Denique cum status ciuitatum inter se sit pax satis infida; summorum imperantium est, curare, vt *virtus ciuium, peritiaque armorum alatur*, & *omnia quae ad vim repellendam requiruntur*, *mature parentur*, munita loca, arma, milites, & rerum gerendarum neruus, pecunia. Vltro autem, etiam posita iusta belli causa, *nemo lacessendus*; nisi tutissima adriserit occasio, & conditio ciuitatis commode id ferat. Eundem quoque ob finem *consilia & molitiones vicinorum accurate exploranda* & obseruanda sunt; nec non *amicitiae & foedera prudenter contrahenda*.

CAPVT

CAPVT XII.

DE LEGIBVS CIVILIBVS IN SPECIE.

§. I.

Quid intelligatur per *leges ciuiles*.

DIspiciendum quoque iam restat de *partibus summi imperii* in specie, & quae circa eas peculiariter obseruanda occurrunt. Vbi primum locum occupant *leges ciuiles*, (a) quae sunt *decreta summi imperantis ciuilis, per quae ciuibus iniungitur, quid in vita ciuili facere, quidne omittere debeant*.

(a) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. I.

Quotuplici respectu dicantur *leges ciuiles*.

§. II. Dicuntur autem *leges ciuiles* duplici potissimum respectu, vel respectu *auctoritatis*, vel *originis*. Priori sensu, *leges ciuiles* vocari possunt omnes leges, (1) iuxta quas in foro ciuili ius redditur, vndecunque demum illae originem suam trahant. Posteriori sensu, *leges ciuiles* dicuntur, quae primo a voluntate summi imperii ciuilis profectae sunt, atque circa ea versantur, quae iure naturali ac diuino definita non sunt, sed ad peculiarem vtilitatem singularum ciuitatum faciunt.

Legi naturali vis atque effica-

§. III. Ceterum vti legibus ciuilibus nihil est sanciendum, quod non ad commodum rei-

 publi-

§. II. (1) Ita vero ipsae *Leges naturales* legum ciuilium in hoc sensu partem constituunt; prouti in seq. §. explicatum est.

cia legis ciuilis est impertienda.

publicae referatur; ita cum vitae ciuilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem a ciuibus probe obseruari: hinc summis imperantibus incumbit, *isti vim atque efficaciam legis ciuilis impertiri*. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, vt neque manifesta legis naturalis vtilitas, neque metus diuini Numinis ei reprimendae sufficiat. Quo igitur vtcunque vitae ciuilis honestas seruari queat, summum imperium efficere potest, legibus naturalibus vim legum ciuilium tribuendo.

In quo consistat *vis legum ciuilium*.

§. IV. Consistit autem *vis legum ciuilium* in hoc, vt praeceptis de faciendo vel omittendo addatur *sanctio poenalis*; (1) siue vt definiatur, quae poena in foro ciuitatis sit mansura eum, qui facienda omiserit, aut fecerit omittenda. Qua sanctione poenali quae destituuntur leges naturales, in foro humano impune violantur, salua tamen vindicta tribunalis diuini.

Quibus obligationibus leges ciuiles *actionem* in foro accommodent, aut denegent.

§. V. Praeterea quia vitae ciuilis indoles non fert, vt quod quisque sibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde & in eo legi naturali subueniunt leges ciuiles, quod ad ea, quae ex illa debentur, hae *actionem* accommodant, cuius vi ista in foro ciuili per subsidium magistratus exigi possunt. Quam vim quae per leges ciuiles non acceperunt,

§ IV. (1) Quod tamen non semper expresse fit. Vid. supra *Lib. I. Cap. II.* §. 7. *not.* 1.

runt, ab inuitis extorqueri non possint, sed solo debentium pudore & conscientia stant.

Solent autem leges ciuiles illis potissimum obligationibus *actionem accommodare*, (1) quae per expressa *pacta* inter homines contractae sunt. Ceteris, quae ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem *denegarunt*, (2) vt esset materia, qua virtutem suam exercerent probiores mortalium, insignemque pararent laudem, si citra coactionem recte fecisse viderentur. Saepe etiam tanti non fuit visum negotium, vt ideo praetor fatigaretur.

§. VI. Cum etiam multa lege naturali indefinite praecipiantur, adplicatione in cuius uis arbitrio relicta: inde lex ciuilis, ad (1) decus & tranquillitatem ciuitatis, eiusmodi actio- Lex ciuilis *indefinita* naturalis iuris praecepta *determinat*, aut *explicat*.

§. V. (1) Satius fuisset dicere: solere leges ciuiles actionem in foro ad id tantum tribuere, vt obseruentur ea, ad quae stricte exigenda ius aliis competit, siue ad quae alii *ius perfectum* habent, etiam ex lege naturali. Dantur enim modi innumeri v. c. damnum alteri, nullo intercedente pacto, inferendi; ob quos tamen inter omnes cultiores gentes actio in foro conceditur.

(2) Vide discursum meum *de Beneficio legum*, Gallice euulgatum.

§. VI. (1) E g. leges ciuiles possunt iniungere, vt hoc vel illo tempore, aut loco, contractus adimpleatur; vt in plurium creditorum concursu hi vel illi praeferantur; vt hoc vel illo modo damnum datum

actionibus *tempus, modum, locum*, & *personas* adsignare, aliasque circumstantias *determinare*, quandoque & praemiis homines ad eas suscipiendas allicere solet. Si quid etiam in lege naturali obscuri sit, legis ciuilis est *explicare*. Quam explicationem in agendo sequi ciues tenentur, vtut fortasse priuata ipsorum opinio in diuersum abeat.

Item actibus & negotiis certam formam ad eorum validitatem in foro necessariam adsignat; vsumque iuris, quod cuiuis naturaliter competit, circumscribit.

§. VII. Cum etiam plurimae actiones per legem naturalem cuiusque iudicio & arbitrio sint relictae, quas tamen in ciuitate vniformi modo temperari, tranquillitatis & decoris publici interest: inde leges ciuiles eiusmodi actionibus & negotiis certam *formam* solent adsignare; vti contingit in *vltimis voluntatibus*, in *contractibus*, & multis aliis. Ob eandem causam etiam leges ciuiles exercitium (1) eorum iurium, quae naturaliter competunt, circumscribere sueuerunt.

Quatenus & quare legibus ciuilibus obtemperare deceat.

§. VIII. Debent autem ciues legibus ciuilibus, quatenus aperte iuri diuino non repugnant, obtemperare, non velut ex nudo poenae metu, sed ex intrinseca obligatione, per ipsum ius naturale confirmata; quippe inter cuius

tum reparetur; veluti si deflorata virgo fuerit, eius ducendae imponi poterit necessitas, aut multa tantum pecuniaria decerni &c.

§. VII. (1) Quale est ius *Dominii, potestatis patriae, &c.*

cuius praecepta quoque est, legitimis imperantibus esse parendum.

§. IX. Denique non minus *peculiaribus iussis* summorum imperantium, quam legibus communibus, ciues obtemperare debent. Vbi tamen obseruandum est, vtrum summus imperans ciuem quid iubeat facere, tanquam actionem ciui propriam; (1) an vero mandet suscipere nudam exsecutionem actionis, quae propria imperantis esse debeat. Nam posteriori casu, necessitate ab imperante adhibita, citra proprium peccatum potest aliquid agere ciuis, quo patrato ipse imperans peccat. Sed vt ciuis, velut proprio nomine, peccatum legi naturali & diuinae repugnans perpetret, fieri recte non potest. Inde est, quod si in bello etiam (2) iniusto, ciuis iussu summi imperantis arma gerat, non peccet: sed si eiusdem iussu aliquis innocentem damnet, falsum testimonium dicat, calumniam alicui intentet, vtique

Quomodo *peculiaribus iussis* summorum imperantium sit obtemperandum.

§. IX. (1) Ostensum dedi ampla nota ad J.N.&G. *Lib. VIII. Cap. I. §. 6. not.* 4. inanem esse hanc distinctionem, nec licere vnquam ob grauissimas comminationes, etiam superioris iussu ac nomine, quicquam omnino facere, quod manifeste iniustum ac turpe videatur. Vide quae adnotaui supra *Lib. I. Cap. I. §.* 24.

(2) Sed hoc verum non est, nisi cum quis dubitat tantum de iustitia belli a summo imperante moti Vid. dicta ad GROTIVM *de I.B. & P. Lib. II. Ca. p XXVI. §. 4. not.* 12, 16, 19.

vtique peccat. Nam ciuis militat nomine publico; ſed proprio nomine iudicat, teſtatur, accuſat.

CAPVT XIII.

DE IVRE VITAE AC NECIS, NEC NON DE POENIS IN GENERE.

Propter quas rationes ſummo imperanti *ius in vitam ciuium* competat.

§. I.

SUmmo imperio ciuili *in vitam ciuium* duplici modo *ius* competit, vel *indirecte*, vel *directe* : illud quidem *ad defenſionem ciuitatis*, hoc autem *ad compeſcenda delicta*.

Qua ratione illorum vitam periculo mortis exponere poſſit, *ad defenſionem ciuitatis*.

§. II. Cum enim ſaepe vis exterorum per vim ſit repellenda, aut ius noſtrum violenter ab ipſis vindicandum; (*a*) licet vtique ſummo imperio ciues ad hoc negotii compellere: vbi de induſtria non id agitur, vt ciues vitam amittant, ſed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis vt ſtrenue & dextre ſeſe ciues gerere poſſint, ſummum imperium exercere eos & praeparare debet. Nulli autem ciui, eius periculi metu, ad munia militaria ſeſe inutilem reddere licet. Et qui militiae eſt adſcriptus, hautquaquam adſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potius ſpiritum pugnabit; niſi

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. II.

nisi intelligat, imperantis voluntatem esse, vt potius vitam, quam locum conseruet, aut iste locus tanti non sit ciuitati, quam vita istorum ciuium.

§. III. *Directe* autem vitam ciuibus adimere potest summum imperium ob atrocia delicta, & *per modum poenae*, quae tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura *poenae* quaedam in vniuersum erunt exponenda. Directe vitam illis adimere porest *per modum poenae*. (a) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. III.

§. IV. Est igitur *poena malum passionis, quod infligitur ob malum actionis;* seu malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro imperio, intuitu antegressi delicti alicui imponitur. Definitio *poenae*.

Licet enim saepe alicui poenae loco imperentur quaedam actiones; in iis tamen spectatur id, quod laboriosae, & facienti molestae sint, quodque agenti passio quaedam per eas inferatur.

Inuitis autem poena est infligenda, quia alias illa non obtineret finem suum, qui est acerbitate sua homines a peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quae quis lubens admittit.

Denique poenae rationem non habent mala, quae in bello pugnaue inter repugnandum inferuntur, quia non pro imperio; neque quae per iniuriam quis patitur, quia non intuitu antegressi delicti inferuntur.

Cui competat ius *poenas* infligendi.

§. V. Sicuti autem libertas naturalis hoc habet, vt qui in ea constitutus praeter Deum neminem habet superiorem, (1) diuinis tantum poenis sit obnoxius: ita cum introducto inter homines imperio, hoc quoque *imperantibus* salus societatum adtribuit, vt ipsi malo repraesentato malitiam subiectorum coërcere queant, quo plures homines secure inuicem possint viuere.

Exerceri non debent *poenae*, nisi intuitu alicuius *vtilitatis*.

§. VI. Etsi autem in eo nihil videatur iniqui, vt malum patiatur, qui male egit; in poenis tamen humanis non simpliciter respiciendum est, quodnam malum sit perpetratum, sed & *quae vtilitas ex poena possit prouenire*. Sicuti & nequaquam eo fine poenae exercendae, vt laesus animum pascat, & voluptatem capiat ex dolore & supplicio laedentis; quippe cum haec voluptas plane sit inhumana, & socialitati repugnans.

§. VII.

§. V. (1) Argumentatur heic Auctor ex falsa hypothesi. Arbitratur enim, prout ex ipsius paret definitione, omnem poenam a superiore infligendam esse. At vero inutiles naturales leges forent, si nemini in his terris potestas competeret, earundem exsecutionem procurandi, eosque puniendi, qui illas violant, siue ratione singulorum, siue ratione vniuersi generis humani, ad cuius conseruationem istae leges omnibus hominibus communes collineant. Vnde in libertate naturali quilibet aduersus quemuis alium iure isto vti potest. Vide dicta ad I. N. & G. *Lib. VIII. Cap. III.* § 4. *nota* 3, quam correxi & locupletaui denuo in Ed. quinta.

§. VII. Genuinus *poenarum humanarum finis* est *praecautio laesionum & iniuriarum*; quae prouenit, si vel in melius emendetur, qui peccauit, aut alii eius exemplo, ne deinceps velint peccare, vel si ita coërceatur, qui peccauit, vt non possit deinceps nocere. Id quod etiam ita potest exprimi, quod in poenis respiciatur vel vtilitas eius, qui peccauit, vel eius, cuius intererat non fuisse peccatum, quique adeo per peccatum laesus fuit, vel indistinctim quorumlibet. *In quonam consistat haec vtilitas.*

§. VIII. 1. Primum igitur in sumenda poena respicitur *vtilitas eius, qui peccauit*, dum dolore poenae ipsius animus emendatur, & peccandi libido per eundem extinguitur. Quale genus poenae etiam in plerisque ciuitatibus in suos domesticos exercere patribusfamilias relictum. Eo solo tamen fine ad mortem procedi posse non videtur; cum qui mortuus est, emendari nequeat. *Primus finis poenarum, emendatio eius, qui peccauit.*

§. IX. 2. Deinde in poena versatur *vtilitas eius, qui laesus fuit*, ne tale quid in posterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, si vel tollatur, qui peccauit, vel (1) vires nocendi, salua vita, ipsi adimantur, vel si malo suo dedoceatur delinquere. Posterius autem *Alter finis, securitas eius, qui laesus fuit.*

§. IX. (1) E. g. Si pellatur in exilium, aut carcere inclusus detineatur, aut ipsi arma, aliaque nocendi media adimantur &c.

autem obtinetur poena aperta & conspicua, cuiusque adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus sit.

Tertius & vltimus finis, securitas & vtilitas omnium

§. X. 3. Denique in poena *vtilitas* quoque *omnium* quaeritur, dum nempe id agitur, vt ne qui vni nocuit, aliis deinceps noceat, vel vt exemplo territi ceteri a similibus patrandis abstineant. Quod pari modo atque prius obtinetur.

Poenis humanis eximendi *actus mere interni*.

§. XI. Quod si porro tum fines poenarum, tum conditionem generis humani consideremus, adparet, non omnia peccata esse eiusmodi indolis, vt in foro humano ea puniri omnino conueniat. Inde poenis humanis eximuntur 1. *actus mere interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, desiderium, destinatio citra effectum; etsi postea per subsequentem confessionem ad notitiam aliorum perueniant. Nam cum eiusmodi motu interno nemini noxa inferatur; nullius quoque hominis interest, vt ob eundem quispiam puniatur.

Item, *minutissimi lapsus*, quibus quotidie succumbimus.

§. XII. 2. Durum quoque nimis foret, poenis humanis subiicere *minutissimos lapsus*, quos in isthac naturae conditione non datur effugere, quantamcunque adtentionem quis adhibere instituat.

Multi actus dissimulantur ob tranquillitatem

§. XIII. 3. Praeterea multos actus dissimulant leges humanae, ob tranquillitatem ciuitatis, aut alias ob rationes; puta, si splendidior futurus sit actus, vbi ex intuitu poenae

non

non videatur susceptus, aut vbi operae pretium non sit iudices inquietari, aut si obscurissimae res sit disceptationis, aut si inolitum plane malum citra conuulsionem ciuitatis tolli nequeat.

ciuitatis, aut alias ob rationes.

§. XIV. 4. Denique & a poena humana eximi necesse est illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi resultantia*; quae ita frequentia reperiuntur, vt defuturi essent, quibus imperaretur, si seueris ista poenis plectere velis, quousque in enormes actus non eruperunt: vti est ambitio, auaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocrisis, inuidia, superbia, iracundia, simultas, & similia.

Et a poena humana eximenda sunt illa vitia animi, quae ex communi mortalium corruptione resultant.

§. XV. Neque tamen, si quae peccata sint patrata poenis humanis idonea, semper necessum est, poenam exigi. Quin aliquando contingit, vt delinquentibus recte peccati *venia* fieri possit. Id quod tamen citra graues *causas* fieri non debet. Inter quas sunt, si fines poenarum (1) in certo casu non videantur necessarii, aut si venia maiorem, quam poena, producere (2) vtilitatem sit idonea, aut

Quod delinquentibus peccati *venia* aliquando dari queat, & ob quas *causas*?

§. XV. (1) Veluti si occultum sit peccatum, aut paucissimis cognitum: tunc enim tantum abest, vt punire illud iuuerit, vt potius plus saepe damni, quam commodi prouenire inde queat.

(2) E. g. si qui deliquit, reipublicae valde sit vtilis, ita vt si capitali, vel alia quapiam poena adficeretur, exemplum hac re statutum non tantum produceret

aut si (3) fines poenarum alia via commodius obtineri possint. Item, si qui deliquit, adleget sua aut sibi coniunctorum eximia in rempublicam merita, peculiari praemio digna, aut si ab alia quapiam insigni re commendetur, puta, a raro aliquo artificio; aut si spes sit, fore, vt peccatum illud egregiis factis eluatur: praesertim vbi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, interuenerit; aut si peculiaris (4) ratio legis in aliquo facto cessauerit. Saepe quoque ob multitudinem peccantium venia est danda, ne suppliciis ciuitas exhauriatur.

Vnde aestimetur *grauitas delictorum*.

§. XVI. *Grauitas* autem *delictorum* aestimatur ex *obiecto*, in quod peccatum fuit, prout illud

ceret vtilitatem, quantam procurare ipse egregia sua opera est idoneus.

(3) E. g. Si reus laeso sponte satisfecerit, caueatque fore, vt in posterum neque aduersus istum, neque aduersus quemcunque alium tale quid committat.

(4) Ratio v. g. *legum sumtuariarum* est ipsorum commodum, quibus immodici sumtus, qui exhaurire postremo eorum patrimonia poterant, interdicuntur. Verum si talium legum transgressori tantae sint opes, vt ab istis sumtibus parum incommodi sentiat, hoc quidem intuitu poena ipsi eo facilius remitti poterit; praesertim si poena non in mulcta quadam, sed alia re homini opulento probrosa consistat. Vide dicta ad GROTIVM *Lib. II. Cap. XX. §. 26. not. 3.*

illud (1) nobile & (2) pretiosum habetur; item ex *effectu*, (3) prout multum aut parum damni in rempublicam inde redundat; & denique ex *prauitate intentionis*, quae ex variis indiciis colligitur; puta, (4) si facile potuit resistere causis, quibus quis ad peccandum fuit impulsus; aut si praeter communem rationem (5) peculiaris quaedam accessit, quae a peccando debebat absterrere; aut vbi (6) circumstantiae singulares factum adgrauant; aut si animum quis habuerit (7) idoneum ad resistendum peccatorum illecebris. Sed & considerari solet, primus quis, an aliorum exemplo seductus, semel, an saepius, & post con-

§. XVI. (1) Grauius v. g. homicidium committit, qui parentem, quam qui extraneum occidit. Atrocius peccat, qui magistratum lacessit conuiciis, quam qui aequalem, &c.

(2) Latro praetereuntes interficiens grauius delinquit, quam qui spoliat tantum &c.

(3) Sic plus damni infert, qui vrbanum, quam qui rusticum aedificium comburit.

(4) Sic grauiori poena dignus est, qui tranquillo animo, aut ob lucellum aliquod occidit aut furatur, quam qui cupiditate insignis lucri, aut vehementis adfectus impetu adductus facinus commisit.

(5) V. c. dignitas ac munus, quo praelucere ipse aliis debebat, & quod malum, quod dedit aliis, exemplum multo perniciosius efficit.

(6) *Tempus, locus, modus &c.*

(7) Puta si rectius quis educatus, abundantibusque ad intelligendas officii rationes subsidiis, mentisque perspicacia maiore gauisus fuerit.

consumtas frustra admonitiones quis peccauerit.

De determinatione *generis* & *quantitatis poenarum* ex vtilitate reipublicae.

§. XVII. Quod tamen *poenae genus*, & *quantum* praecise singulis peccatis sit infligendum, penes summum imperium ciuile est definire; quod heic vnice vtilitatem reipublicae prae oculis habere debet. Vnde fieri potest & solet, vt eadem poena imponatur duobus delictis inaequalibus. Nam quae aequalitas iudicibus circa reos obseruanda praecipitur, illa intelligenda est de reis, qui idem specie delictum commiserunt, hactenus, vt quod in vno vindicatur, delictum, alteri citra grauissimam causam condonari non debeat. Etsi autem, quantum fieri potest, homo in hominem lenior esse debeat; interdum tamen poenas exasperari, salus ciuitatis, & securitas ciuium iubet; puta, si contra gliscentia vitia asperiore medicina opus sit, aut vbi delictum aliquod reipublicae sit perniciosissimum. Id autem omnino obseruandum circa magnitudinem poenarum, vt illae tantae sint, quantae sufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod poenae constituuntur; tum etiam, ne exigantur grauiores poenae, quam legibus definitae sunt, nisi atrociores circumstantiae factum adgrauent.

Respiciendae sunt in delinquentibus *quali-*

§. XVIII. Quia tamen eadem poena non omnes aeque adficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam

dam peccandi libidinem: inde tam in generali poenarum designatione, quam earundem ad singulos adplicatione, respicienda est *persona* ipsius delinquentis, & in eadem illae *qualitates*, quae sensum poenae augere, vel minuere possunt, puta, *aetas*, *sexus*, *status*, *opes*, *vires*, & similia. *tates*, quae sensum poenae augere, vel minuere possunt.

§. XIX. Porro vti ob alienum delictum in foro humano poena, proprie dicta, nemo potest adfici: ita (1) *si ab vniuersitate aliqua delictum sit admissum*, eo non tenebitur, qui in id non consenserit. Atque inde isti dissentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio vniuersitatis non obtinebat. Etsi ex occasione punitae vniuersitatis, & innocentes incommodum sentire soleant. Exspirant quoque delicta vniuersitatum, quando nemo amplius superest eorum, queis consentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum. Quomodo puniatur *vniuersitas*.

§. XX. Id tamen frequenter contingit, vt *alienum delictum* occasionem praebeat, ex qua in alios incommodum proueniat, aut bonum antea speratum intercipiatur. Sicuti bonis parentum ob delictum confiscatis, ad paupertatem rediguntur etiam *innocentes* liberi. Et reo aufugiente, fideiussor exsoluere mulctam Quomodo puniatur quis occasione *delicti alieni*, cuius particeps haud fuit.

 cogitur,

§. XIX. (1) Conferatur huc, praeter maioris operis Caput huic loco respondens §. 28. seq. GROTIVS *de I. B & P. Lib. II. Cap. XX. §. 7. sq. & Lib. III. Cap XI. §. 5.*

cogitur, non ex delicto, sed quia in talem euentum vltro sese obligauit.

CAPVT XIV.

DE EXISTIMATIONE IN GENERE, ET DE IVRE SVMMORVM IMPERANTIVM CIRCA EANDEM.

Quid sit *existimatio* in genere. (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. IV.

§. I.

(*a*) EXistimatio in genere est *valor personarum in vita communi, secundum quem aptae sunt aliis personis exaequari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel postponi.*

Quotuplex sit existimatio.

§. II. Diuiditur in *simplicem*, & *intensiuam*. (1) Vtraque consideratur vel *inter eos, qui in naturali libertate*, vel qui *in statu ciuili inuicem degunt*.

De *existimatione simplici* in *statu naturali*.

§. III. *Existimatio simplex* inter eos, qui in *naturali libertate* viuunt, in hoc potissimum consistit, vt *quis talem se ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat, tanquam cum viro bono*, & qui cum aliis ad praescriptum legis naturalis viuere sit paratus.

§. IV.

§. II. (1) In versione Gall: commode hic adhibentur vocabula, *Estime simple* & *Est. de distinction.*

§. IV. Atque isthaec *integra* tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitiosum aut enorme facinus, sciens volensque, dolo malo, legem naturae aduersus alios violauit. Inde & naturaliter *quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur* (1). Quod *quilibet habeatur pro bono donec contr. probetur.*

§. V. Eadem existimatio *diminuitur* per facinora enormia, contra legem naturalem malitiose patrata; quae efficiunt, vt maiore circumspectione opus sit, si quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui potest praestita vltro damni dati reparatione, & edito seriae poenitentiae documento. Quomodo existimatio *diminuatur.*

§. VI. *Consumit* eandem penitus vitae genus & institutum directe spectans ad aliis promiscue Quomodo eadem *plane amittatur.*

§. IV. (1) Distinguendum hic est inter *iudicium internum*, & *signa externa* eiusdem iudicii. Prius, nisi exterioribus contemtus documentis prodatur, nemini nocet, siue error subsit, siue minus, adeoque nec de eo conquerendi cuiquam causam praebet; etsi forsan tale quid coniecerit, aut etiam alter priuatim animi cogitata alicui patefecerit. Dantur, qui arte simulandi eo profecerunt, vt in oculis vulgi plane alii, quam reuera sunt, adpareant; qui tamen perspicaciores, atque omnibus ipsorum factis examinandis adtentos haut fallunt. Vbi tales deprehenderimus, diffidere quidem iis possumus ac debemus; interea haud decet palam ipsis dettahere, donec manifesto aliquo commisso scelere laruam, vt ita loquar, deponant, seque vt ipsis adeo parcamus indignos praestent. Conf. etiam dicta a me ad *I. N & G. Lib. VIII. Cap. IV. §. 2. not. 1. §. 3. not. 1, 3. Ed. nouae.*

ſcue nocendum, (1) & rem ex manifeſtis aliorum iniuriis faciendam. Cuius farinae homines, quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia vllo modo poteſt tangere. Reparare tamen hi exiſtimationem poſſunt, vbi praeſtita refuſione damni, aut obtenta condonatione, honeſtum vitae genus, vitioſo eiurato, ſubierint.

De *exiſtimatione ſimplici* in *ſociet. ciuili.*

§. VII. *Exiſtimatio ſimplex* intra *ciuitates* degentium eſt, (1) *qua quis iuxta leges & mores ciuitatis pro vitioſo eiusdem membro non fuit declaratus*, & aliquo ciuium numero eſſe intelligitur.

Quomodo illa *deficiat* ob *certum ſtatum*.

§. VIII. Iſthaec in ciuitate *deficit* vel ex mero *ſtatu*, vel ex *delicto*.

Prius contingit duplici modo, vel vt *ſtatus* ille *in ſe naturaliter nihil turpe habeat*, vel vt *cum*

§. VI. (1) Tales ſunt *latrones*, *fures*, *piratae*, *ſicarii* &c.

§. VII. (1) *Exiſtimatio ſimplex naturalis*, ſiue opinio boni viri, ius quoque in ſocietate ciuili conſtituit, quo etiamſi nullae adſint leges, quilibet gaudet, quodque vt illaeſum ſibi relinquatur, omnino valet exigere, quamdiu nihil, quod improbitatis ac infamiae notam inurat, commiſerit. Quodſi autem haec exiſtimatio cum exiſtimatione ciuili permixta ſit, tunc modo latius, modo anguſtius patet, quam inter eos, qui in ſtatus naturalis libertate viuunt. Vid. ad *I. N. & G. Lib. VIII. Cap. IV. §. 6. not.* 1. Ed. nouae.

cum vitio, aut saltem eius opinione sit coniunctus. Illud contingit in ciuitatibus, vbi *serui* nullo numero sunt. Hoc circa *lenones*, *meretrices*, & similes obtinet: qui quamdiu publice tolerantur in ciuitate, communi quidem defensione fruuntur, honestorum tamen hominum consortio excludendi. Quod idem contingit quibusdam *circa* (1) *foeda* aut *vilia*, licet naturaliter non vitiosa, *occupatis.*

§. IX. Ex *delicto* autem eadem plane deficit, quando quis iuxta leges ciuiles ob certum delictum *infamia* notatur; idque, vt vel morte simul plectatur, & sic memoria eius damnetur, vel vt ciuitate expellatur, vel vt in ciuitate retineatur, tanquam infame & putridum membrum. Quomodo ob *delictum*

§. X. Id autem manifestum est, existimationem simplicem, seu naturalem honestatem, non posse alicui eripi ex *mero arbitrio* summorum imperantium; cum id nullo modo ad vtilitatem ciuitatis facere, adeoque in ipsos nullo modo collatum intelligi possit. Sicuti nec vera infamia videtur contrahi posse, (1) dum quis An *honor* possit alicui eripi ex *mero arbitrio* summi imperantis.

§. VIII. (1) Quales sunt e g. *foricarii*, *carnifices*, *lictores*, *apparitores*, *lanii*, *coriarii*, *&c.*

§. X. (1) Si tamen iniustitiae talium iussorum conscius, ad illa exsequenda quis vltro obtulerit ministerium suum, aut illud, cum posset, non declinarit, is certe complicem se reddit sceleris, partemque deo infamiae apud omnes probos sustinet. Quod si

quis iussa ciuitatis iniusta per modum nudi ministri exsequitur.

Quid sit *existimatio intensiua.*

§. XI. *Existimatio intensiua* est, *secundum quam personae alias quoad existimationem simplicem aequales, sibi inuicem praeferuntur, prout vni prae altero insunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoueri solent.* Est autem *honor* proprie significatio iudicii nostri de alterius praestantia.

Varia heic conside- randa.

§. XII. Haec existimatio intensiua considerari potest vel inter eos, qui in *naturali* viuunt *libertate*, vel inter *ciues* eiusdem reipublicae. Deinde expendenda sunt eiusdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis exspectandum, vel *ius* stricte dictum, quo idem ab aliis, tanquam debitus, postulari queat.

Quae sint eius *fundamenta.*

§. XIII. *Fundamenta intensiuae existimationis* in genere censentur omnia illa, quae insignem perfectionem & praestantiam habent, aut eandem iudicantur arguere, & quidem talem, cuius effectus cum fine legis naturalis aut ciuitatum congruit. Vti sunt perspicacia mentis, & capacitas varias scientias & artes addiscendi, & acre iudicium in rebus gerendis,

si autem metu mortis aut grauis alterius mali, ad obeunda eiusmodi iussa iniusta adactus fuerit, etsi hoc in foro diuino, prout alibi ostensum est, non plane excuset; postulat tamen humana imbecillitas, ne quam inter homines talis casus maculam inducat.

rendis, animus firmus & per externa inconcussus, illecebrisque ac terroribus superior (1), eloquentia, forma & dexteritas corporis, bona fortunae, & inprimis res egregie gestae.

§. XIV. Haec tamen omnia non producunt nisi *ius imperfectum*, seu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Vnde si quis eundem aliis etiam bene meritis denegauerit, non iniuriam facit; sed duntaxat ob inhumanitatem & velut inciuilitatem male audit. Sed *ius perfectum* ad habendum ab altero honorem, aut eius insignia, prouenit vel ex *imperio*, quod quis in istum obtinet, vel ex *pacto* cum eodem ea super re inito, vel ex *lege* per communem dominum lata aut adprobata.

Ob quam rem & quo modo eam exigere liceat.

§. XV. Inter *principes* autem & integros *populos* pro eminentia & *praecedentia* solet adlegari potissimum antiquitas regni & familiae, amplitudo & opulentia ditionum, & potentia, qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno obtinet, & splendor tituli. Quae tamen omnia per se non pariunt ius perfectum ad

De *praecedentia* inter *principes* & *ciuitates*.

§. XIII. (1) Omnes hae res in se indifferentes sunt, iisque homines saepius abutuntur, quam recte utuntur, eaedemque adeo pretium suum praecipue a falsis vulgi ideis accipiunt. Vid. Operis maioris Caput huic respondens §. 12. & quoad *eloquentiam* in specie *Lib. II. Cap IV.* §. 13. *not.* 8.

ad praecedentiam aduersus alios reges populosue, nisi pacto aut concessione horum istud quaesitum fuerit.

Inter ciues gradus dignitatis designare, summi imperantis est.

§. XVI. Inter *ciues* autem *gradus dignitatis* designare, summi imperantis est; qui tamen heic recte cuiusque praestantiam, & ad conferenda in rempublicam merita aptitudinem respicit. Quem autem iste ciui dignitatis gradum adsignauerit, eum recte hic contra conciues suos tuetur, nec minus eodem ipse adquiescere debet.

CAPVT XV.

DE POTESTATE SUMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

§. I.

Quotuplex ius in bona subditorum summis imperantibus competat.

(a) Vid. J.N. & G.

(a) Quemadmodum vbi bona abs summis imperantibus in ciues profecta sunt, (1) in istorum arbitrio est, quid hi in ea iuris obtineant: ita in ea *bona*, quae ciues propria sibi industria, aut alio modo plene quae-

§. I. (1) Hoc tamen non nisi apud populos orientales locum habet, iugum imperii absolute despotici pati natos. Vid. Operis maioris caput in margine citatum §. 1.

quaesiuerunt, *triplex* potissimum *ius*, ex indole ciuitatum resultans, & ad harum finem necessarium, summis imperantibus competit. Lib. VIII. Cap. V.

§. II. *Primum ius* in eo consistit, vt ciuibus isti possint *leges praescribere circa* (1) *vsum eorundem* ad vtilitatem ciuitatis adtemperandum, aut circa (2) *modum* (3) *qualitatemque* possessionum; vti & (4) *rationem transferendorum* in alios bonorum, & quae sunt huius generis alia.

1. Possunt ciuibus *leges praescribere circa vsum bonorum suorum*

§. III. *Alterum ius* in hoc consistit, vt possint particulam aliquam de ipsorum bonis, *tributi* aut *vectigalis* nomine, decerpere. Cum enim ciuium vita & fortunae per ciuitatem sint defendendae; oportet, vt hi conferant, vnde sumtus ad eum finem necessarii tolerentur.

2. Particulam aliquam de ipsorum bonis, *tributi* aut *vectigalis* nomine, decerpere.

§. II. (1) Huc pertinent *leges sumtuariae*, leges contra *aleam*, *prodigos* &c.

(2) Vt cum vetantur priuati agrorum quidpiam vltra definitum numerum iugerum emere, ne nimiam acquirendo possessionum amplitudinem, potentia eorum metuenda sit.

(3) Sic prohibitum est emere certum genus mercium, inprimis exoticarum, aut certa bona; quemadmodum e. g. lege *Mosis* fundos certae tribus vendere his, qui alterius tribus essent, non licebat.

(4) Hoc cernitur in *donationibus, testamentis, legatis*, quae secundum leges cuiusque ciuitatis saepius non nisi adhibitis certis solemnitatibus, aut in gratiam certorum hominum, aut adhibita certa mensura, &c, confici possunt.

tur. Sic vt valde impudens sit, qui defensione quidem & commoditate ciuitatis frui vult, & tamen nihil operae aut rei ad eandem seruandam conferre. Etsi heic merito *prudentes* sese rectores ad querulum vulgi ingenium adtemperent, & vt quam minimo cum sensu ista corrogari queant, laborent; inprimis aequalitatem obseruando, & modica potius ac varia, quam grandia ac vniformia exigendo.

3. Vti *dominio eminenti.* §. IV. *Tertium ius* est *dominium eminens*, quod in eo consistit, vt *vrgente reipublicae necessitate*, bona subditi cuiuspiam, quibus praesens tempus maxime opus habet, ad vsus publicos adripi & adplicari queant; licet ista longe superent ratam partem, quam is ad sumtus reipublicae conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem isti ciui, (1) quod excedit, de publico, aut ex collatione ceterorum ciuium, quantum eius fieri potest, refundi debet.

Quae iura habeat princeps §. V. Praeter haec tria iura in multis ciuitatibus dantur peculiaria *bona publica*, quae patri-

§. IV. (1) Obligatio haec ad refundendum damnum, quod aliqui sine culpa sua ex vsu *dominii eminentis* patiuntur, sola comprobat, vocabulum hic *dominii* in sensu improprio accipi. Si enim in huiusmodi casibus summus imperans reuera *dominus* rerum, de quibus pro lubitu disponit, fieret, ad refusionem damni nullo modo teneretur, quoniam idem fecisset, ac si de re propria disposuisset.

patrimonium reipublicae aut regni solent adpellari. Quod alicubi iterum distinguitur in patrimonium principatus, & reipublicae, seu in *fiscum*, & *aerarium*. (1) Quorum prius destinatum est ad sustentationem regis eiusque familiae, posterius ad publicas vtilitates regni. Circa prius rex habet *vsumfructum*, & de fructibus inde prouenientibus pro suo arbitrio disponere potest. Circa posterius autem *administratoris* munus obit, idemque vsibus, quibus destinatum est, adplicare debet. *Neutrum*, (2) *nisi consensu populi, alienare potest.* circa *aerarium* & *fiscum*.

§. VI. Multo minus autem, qui regnum non habet in patrimonio, totum *regnum*, aut eius *partem alienare* potest; nisi accedat consensus populi, & posteriore casu, etiam peculiariter consensus partis alienandae. Sicuti (1) nec vice versa membrum aliquod a ciuitate inuita sese abrumpere potest; nisi per vim An possit *alienare* totum *regnum*, aut eius *partem*.

---

§. V. (1) In versione Gall. prius dicitur *Domaine de la Couronne*, posterius *Trésor public*, vel *Domaine de l'Etat.*

(2) Excipiendus tamen est casus necessitatis, in quo consensus populi facile praesumitur. Et distinguendum quoque inter alienationem *fructuum*, v. c. ex *bonis confiscatis* prouenientium, & alienationem rei ipsius, quale hic est ius *confiscandi*. Vid. Operis maioris Lib. VIII. Cap. VI. §. 1. & GROTIVS *Lib. II. Cap. VI.* §. 11. *sq.*

§. VI. (1) Vid. GROTIVS *c. l.* §. 4. *& seq.* cum Notis meis.

vim externorum hostium in eam sit redactum conditionem, vt aliter nullo modo saluum esse queat.

CAPVT XVI.

DE IVRE CIRCA BELLVM ET PACEM.

§. I.

Bellum non semper est illicitum.

(a) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. VI. seq.

(a) QUanquam id legi naturali maxime sit conueniens, vt homines pacem inuicem agitent, vltro ea praestando, quae debebant; immo pax ipsa sit status homini, quatenus a brutis distinguitur, peculiaris: aliquando tamen ipsi quoque homini *bellum* sit licitum, & quandoque necessarium, quando nempe per alterius malitiam nostra seruare, aut iure nostro potiri, citra vim adhibitam, nequimus. In quo ipso tamen prudentia & humanitas suadet, vt ne ad arma eamus, vbi ex iniuriarum nostrarum persecutione plus mali in nos nostrosque, quam boni, sit redundaturum.

Iustae causae belli cum *offensiui*, tum *defensiui*.

§. II. *Iustae causae*, ob quas bellum suscipi possit, huc redeunt, vt nos & nostra seruemus ac tueamur contra iniustam aliorum inuasionem, aut vt quae nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, adseramus, aut iniuriae iam illatae reparationem & cautionem in posterum obti-

obtineamus. Ob priorem causam quod geritur *bellum*, *defensiuum*, quod ob posteriores *offensiuum* dicitur (1).

§. III. Neque tamen confestim, vbi quis sese laesum arbitratur, ad arma est decurrendum, in primis vbi adhuc dubii aliquid circa ius aut factum occurrit; sed *tentandum*, *num amica via res possit componi* (1), puta, *colloquio* inter partes instituto, *prouocatione* ad *arbitros* facta, aut re *sorti* commissa. Praecipue autem haec via tentanda illi, qui petit: quippe cum possessionem cum aliquo titulo fauor vtique comitetur. Via amica prius tentanda, quam ad arma decurratur.

§. IV. (1) *Iniustae* porro bellorum *causae* vel *aperte* tales sunt, vel *colorem* aliquem, licet dilutum, admittunt. Illae ad duo potissimum capita referuntur, auaritiam & ambitionem, seu habendi & dominandi libidinem. Hae variae sunt, puta, (2) metus ex opibus & poten- *Iniustae bellorum causae.*

§. II. (1) Si naturalem vocabulorum significatum sequamur, distinctio belli in *offensiuum* & *defensiuum*, bello iusto ac iniusto communiter conuenit. Vide dicta ad J. N. & G. *Lib. VIII. Cap. VI.* §. 3. *not.* 3.

§. III. (1) Vid. supra *Lib. II. Cap. I.* §. 11.

§. IV. (1) Conf. huc GROTIVS *de I. B. & P Lib. II. Cap. XII.*

(2) Si scilicet non alia subsit suspicandi causa, quod vicinus simul consilia nocendi nobis agitet. Vid. supra *Lib. I. Cap. V.* §. 17. & quae de contraria opinione HOBBESII a GVNDLINGIO adoptata protuli in addi-

potentia vicini, vtilitas iure destituta, amor sedes meliores parandi, denegatio eorum, quae ex simplici aliqua virtute debebantur, stoliditas possessoris, cupido extinguendi ius alterius legitime quaesitum, quod nobis paulo molestius videtur, & similia.

Vi ac *dolo* pariter aduersus hostem vti licet.

§. V. Etsi autem modus agendi in bello maxime proprius sit *vis* & terror; non minus tamen aduersus hostem fraude ac *dolo* vti licet; modo fides data non laedatur. Inde hostem licet decipere sermone adsertiuo, seu per fictas narrationes, nequaquam autem per promissa aut pacta.

Quousque *vi* aduersus hostem vti liceat.

§. VI. Circa vim, quae in bello adhibetur aduersus hostem eiusque res, distinguendum est inter id, *quod hostis sine iniuria pati potest*, & *quod ipsi salua humanitate non inferre possumus.* Qui enim hostem sese mihi declarauit, cum in hoc ipso sit professio extrema mala mihi intentandi; eo ipso quoque, quantum in se, mihi indulget facultatem aduersus se in infinitum. (1) Humanitas tamen iubet, vt, quantum armorum impetus patitur, non plus mali hosti inferamus, quam defensio, aut iuris nostri vindicatio, & in posterum securitas requirit.

§. VII

---

additione quadam Ed. nouae *I. N. & G. Lib. VIII. Cap. VI.* 5. *not.* 3.

§. VI. (1) Conf. de his humanitatis & aequitatis temperamentis copiose pertractata a GROTIO *Lib. III. Cap. XI. vsque ad XVI.*

§. VII. Solet *bellum* diuidi in *solemne*, (1) & *minus solemne*. Ad illud requiritur, tum vt geratur auctore vtrinque eo, qui summum habet imperium, tum vt praecesserit indictio. Minus solemne est, quod denunciatum non est, aut quod in priuatos geritur. Quo etiam pertinent *bella ciuilia*. De *bello solemni*, & *minus solemni*.

§. VIII. Ius *bellum mouendi* in *ciuitate* vti est penes eum, qui *summum* habet *imperium*: ita istud vsurpare citra delegatam ab illo facultatem, supra mensuram magistratus est; etiam vbi hic coniicit, summae potestati, si consuleretur, placiturum, heic & nunc bellum geri. Etsi omnibus, qui alicui prouinciae aut loco munito cum copiis militaribus praeficiuntur, ex fine muneris sui id quoque iniunctum intelligatur, ingruentem hostem quouis modo a locis sibi commissis repellere; vt tamen non temere bellum in ditionem hostilem transferant (1). Penes quem sit *ius bellum mouendi*.

§. IX. Ceterum vti qui in naturali libertate viuit, ob iniurias tantum abs se patratas bello potest Quo casu accepta a ciue extraneo iniuria

§. VII. (1) Non adeo insignis tamen est vsus huius distinctionis, quoad naturam & effectus belli. Vid. GROTIVS *Lib. III. Cap. III.* cum Notis meis.

§. VIII. (1) Occurrunt tamen etiam exempla subditorum, quibus suo ductu bellum defensiuum & offensiuum gerere permissum est. Vide scriptum meum sub titulo: *Defence des Droits de la Compagnie Hollandoise des Indes Orientales &c. Cap. XIV.* §. 5. *seq.*

praebeat causam belli iustam aduersus ciuitatem, cuius iste est membrum.

potest peti: ita in ciuitate saepe bello inuaditur rector ciuitatis, aut tota ciuitas, etsi iste auctor iniuriae non fuerit. Sed vt recte hoc fiat, *necesse est, vt iniuria ista aliquo modo in illum transierit*. Ac rectores quidem ciuitatum ex iniuriis per antiquos ciues, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, *si passi fuerint*, eas patrari, aut *si receptum praestent*. Vt patientia sit culpabilis, requiritur, vt quis & sciat delinqui, & possit prohibere. Sciri autem a rectore ciuitatis praesumuntur, quae a ciuibus aperte & frequenter fiunt. Facultas prohibendi semper praesumitur, nisi eius defectus manifeste probetur. Vt tamen qui noxium ad se confugientem, poenae duntaxat declinandae causa, recipit & protegit, bello peti possit, (1) id magis ex peculiari pacto inter vicinos & socios, quam communi aliqua obligatione prouenit; nisi iste profugus apud nos hostilia in eam ciuitatem, quam deseruit, machinetur.

De iure repressaliarum.

§. X. Sed & illud inter gentes receptum, vt pro debito ciuitatis proprio, aut quod iustitiam

§. IX. (1) Si tamen is reuera noxius sit, dedere eum alteri, aut punire ipsi debemus. Auctoris enim decisio nititur falsa hypothesi exemtionis ab omni obligatione, ad ius infligendarum poenarum relata; item alia hypothesi non veriore, ac si nemo iure gaudeat puniendi eos, qui non sunt eius subditi. Vide dicta ad J. N. & G. *Lib. VIII. Cap. III.* §. 4. *not.* 3. & 8. & conf. GROTIVS *Lib. II. Cap. XXI.* §. 4.

tiam requisitam non administrando in se deriuauit, singulorum ciuium bona teneantur hactenus, vt extranei, quibus debetur, (1) istis apud se deprehensis manus iniicere queant; ita tamen vt ciuibus, quibus hoc modo sua eripiuntur, refusio sit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt. Quales exsecutiones solent vocari *repressaliae*, quae frequenter sunt bellorum praeludia.

§. XI. Bellum gerere potest non solum quilibet pro se, sed & vnus *pro altero*. Quod tamen vt recte fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, iusta causa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cuius intuitu pro isto in alium hostilia exercere queat. Quibus casibus *pro altero* bellum gerere liceat.

Inter eos autem, pro quibus non solum possumus, sed & debemus arma sumere, primo loco sunt *subditi nostri*, non vniuersi solum, sed & singuli; modo ex hocce ciuitas non euidenter maioribus malis sit inuoluenda. 2. Sequuntur *socii*, in quorum foedere

Dd id

§. X. (1) Modo tamen causa debendi clara sit ac liquida, & ratio status permittat ad remedium hoc extremum progredi Vide notata ad J. N. & G. *Lib. VIII. Cap. VI.* §. 13. *not.* 1. Fuse quoque hoc argumentum pertractat GROTIVS *Lib. III Cap. II.* Vbi conferendae sunt Notae meae, illae inprimis, quibus ostendi, quod Ius *repressaliarum* applicatio sit praeceptorum Iuris naturalis ad constitutionem Societatum ciuilium, nec vnice fundatum sit in arbitraria quadam consuetudine Juris gentium.

id comprehensum est. Qui tamen non modo ciuibus nostris cedunt, vbi ipsi eodem tempore auxilio opus habent; sed & apud eosdem iusta belli causa, & aliqua prudentia in bello suscipiendo praesupponitur. 3. Hos excipiunt *amici*, etsi peculiariter id ipsis non sit promissum. 4. Denique vbi nulla alia ratio est, vel sola communis cognatio sufficere potest, vt *iniuste oppressum*, (1) nostra auxilia implorantem, quantum commode facere possumus, defensum eamus.

Quousque ex vsu gentium *licentia in bello* se extendat.

§. XII. *Licentia in bello* eousque se extendit, vt quamuis quis caedes patrando, aut res vastando atque eripiendo, vltra quam humanitas admiserit, sit grassatus, (1) gentium tamen opinione pro infami, & quem honesti viri aduersari debeant, non habeatur. Nisi quod cultiores gentes modos quosdam nocendi hostibus viles habent; puta, veneno vti, aut alterius ciues milites que in dominorum caedem corrumpere (2).

§. XIII.

§. XI. (1) Vid. supra *Lib. I. Cap. V.* §. 17. *not.* 1. Quorsum referendi sunt subditi a superiore suo manifeste oppressi. Vid. dicta ad Opus maius *Lib VIII. Cap. VI.* §. 14. *not.* 5. Ed. nouae, & ad GROTIVM *Lib. II Cap. XXV.* §. 8 *not.* 9.

§. XII. (1) Conf. de fundamento huius impunitatis dicta ad GROTIVM *Lib. III. Cap. IV.* §. 4. *not.* 1.

(2) Distinctiones tamen hic adhibendae, prouti late ostendi ad GROTII *c. l.* §. 18. *not.* 11.

§. XIII. *Res mobiles* in bello tunc demum *captae* intelliguntur, (1) quando persecutionem hostilem effugerunt; *immobiles* autem, quando ita a nobis detinentur, vt hostem inde arcendi sit facultas. Etsi vt prioris domini ius ad eas res recuperandas plane extinguatur, necessum sit, vt per subsequens pactum omni praetensioni renunciauerit. Alias enim vi partum vi licebit iterum eripere.

Quomodo adquirantur *res* bello captae, & *cui* cedat *praeda*.

Ceterum vti milites auctoritate ciuitatis belligerant; ita quae ipsi hostibus eripiunt, proprie *ciuitati*, non sibi adquirunt. (2) Etsi passim receptum, vt mobilia, praesertim quae non sunt magni pretii, militibus, qui ceperunt, relinquantur per conniuentiam; aut praemii, vel quandoque stipendii loco, aut vt alliciantur, qui citra necessitatem sanguinem suum locare velint.

Quando autem res captae iterum hosti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; (3) nec minus mobiles de-

§. XIII. (1) Scilicet respectu tertii cuiusdam neutrarum partium. Vid. ad GROTIVM *Lib. III. Cap. VI.* §. 3. *not.* 1.

(2) Vid. GROTIVS *c. l.* §. 8. *seq.* cum notis meis.

(3) Vocatur id ius *postliminii*, de quo conf. GROTIVS *Lib. III. Cap. IX. & XVI.* cum notis meis.

bebant; etsi apud plerosque populos & hae militibus in praedam concedantur.

Quomodo adquiratur *imperium* in *victos.*

§. XIV. Solet denique bello adquiri etiam *imperium* tam in singulos, quam in integros populos *victos.* (1) Quod tamen vt fiat legitimum, & conscientias subiectorum stringat, necessum est, vt victi victoribus fidem dederint, & hi hostilem statum animumque aduersus illos exuerint.

Quid sint *induciae.*

§. XV. Suspenduntur actus bellici per *inducias*, quae sunt *conuentio, per quam ad tempus, manente belli statu, ac lite, ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offensiuis est abstinendum;* quibus elapsis, ni interea pax coiuerit, citra nouam indictionem ad hostilitatem reditur (1).

Quotuplices sint induciae.

§. XVI. Possunt autem *induciae* diuidi in eas, quae ineuntur subsistentibus in expeditione exercitibus, retentoque vtrinque bellico adparatu, quae *ad modicum* fere *tempus* sumuntur; & in eas, quibus adparatus bellicus vtrinque dissoluitur. Hae in satis *longum tempus* iniri possunt & solent, & plenae pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabu-

§. XVI. (1) Vid. supra *Lib. II. Cap. X.* §. 2.

§. XV. (1) Copiose hoc argumentum explicat GROTIVS *Lib. III. Cap. XXI.* §. 1-14. Conf. reliqua huius Capitis cum tribus sequentibus, vbi disserit de conuentionibus aliis, inter hostes durante bello initis.

cabulo insigniuntur, cum adiectione certi temporis. Nam alias regulariter omnis pax aeterna est, seu in perpetuum extinguit controuersias, ob quas bellum conflatum erat. Quae autem solent vocari induciae *tacitae*, nullam continent obligationem; sed partes ibi pro lubitu vtrinque quiescunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum possunt.

§. XVII. Penitus autem tollitur bellum, sancita per summos vtrinque imperantes *pace*: cuius *leges* & conditiones definire, vti est penes paciscentes; ita illae fideliter, & conuento tempore exsecutioni dandae & seruandae sunt. (1) In cuius rei *firmitatem* non modo *iusiurandum* solet interponi, & *obsides* dari; sed & saepe alii, in primis *qui paci conciliandae interueniunt*, eius obseruationem praestandam recipiunt, auxilio promisso ei, qui contra leges pacis ab altero laesus fuerit. De *pace*.

§. XVII. (1) Neque hic exceptio iniusti metus valet, nisi belli iniustitia sit summe euidens. Vid. dicta a me ad *I. N. & G. Lib. VIII. Cap. VIII.* §. 1. *not.* 2. & 3. Ed. nouae, & ad GROTIVM *Lib. III Cap. XIX.* §. 11. *not.* 1. qui etiam *Cap. XX.* copiose de omnibus disserit, quae spectant ad tractatus pacis, obsides, &c.

CAPVT XVII.

DE FOEDERIBVS, ALIISQUE CONVENTIONIBVS PVBLICIS.

§. I.

Foedera quotuplicia sint.

(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VIII Cap. IX.

BElli iuxta ac pacis temporibus inseruiunt (1) *foedera*, seu *pacta inter summos vtrinque imperantes inita.* (*a*) Isthaec intuitu materiae possunt diuidi in ea, *quae constituunt de aliquo officio inuicem praestando, quod iam antea lege naturali praecipiebatur*; & *quae officiis legis naturalis aliquid superaddunt*, aut saltem eadem, vbi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

De foederibus concernentibus ea, ad quae iure naturae iam tenebamur.

§. II. Ad priorem classem referuntur *foedera*, quibus de *simplici* duntaxat *humanitate* exercenda, (1) aut noxa non inferenda conuenitur. Quo pertinent & ea, quibus *simplex* duntaxat *amicitia*, citra peculiarem praestationem

---

§. I. (1) *Traitez publics & Alliances.* Conf. de hoc argumento GROTIVS *de I. B. & P. Lib. II. Cap. XV.*

§. II. (1) Foedus enim tunc obligationem validiorem, ac antea fuerat, reddit, & consequenter violationem eius maiori cum dedecore coniunctam,

tionem, ſancitur; aut quibus *ius hoſpitii* aut *commerciorum*, quatenus id naturali legi debetur, ſtabilitur.

§. III. Poſterioris claſſis foedera ſunt vel *aequalia*, vel *inaequalia*. *De foederibus aequalibus.*

Illa ſunt, *quae vtrinque eodem ſe modo habent*, ſeu quando non ſolum aequalia vtrinque promittuntur ſimpliciter, aut obſeruata proportione virium; ſed & aequali modo, ita vt neutra pars prae altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

§. IV. *Inaequalia* ſunt, quando vel *inaequales praeſtationes inuicem exhibentur*, vel *altera pars eſt deterioris conditionis.* *De foederibus inaequalibus,* quibus praeſtationes inaequales inuicem exhibentur.

Promittuntur autem *inaequalia* vel a foederato digniore, vel a minus digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur, aut ſi maiori proportione, quam alter, promittat. Poſterius contingit, ſi foederatus inferior plura teneatur praeſtare, quam ab altero recipit.

§. V. Eorum, quae a *foederato inferiore* praeſtantur, quaedam ſunt *coniuncta cum imminutione ſummi imperii*; puta, ſi conuentum ſit, ne inferior ſocius partem aliquam (1) ſummi imperii exerceat, niſi cum conſenſu ſupe- De his, quibus altera pars deterioris ſit conditionis

Dd 4

§. V. (1) Ex. c. ne bellum ſine eius voluntate ſuſcipiat.

superioris. Quaedam autem summum imperium non diminuunt; licet *adiunctum habeant aliquod onus transitorium*, seu quo simul & semel licet defungi; puta, si ex foedere pacis alter teneatur stipendium soluere alterius militibus, belli sumtus restituere, certam summam pecuniae soluere, moenia diruere, obsides dare, naues, arma tradere. Immo nec quaeuis *perpetua onera* summum imperium diminuunt. Qualia sunt, eosdem cum altero amicos & hostes habere, sed non reciproce, ne liceat certis locis muniriones exstruere, ne ad certa loca nauigare &c. Item, si vnus sociorum alterius socii maiestatem comiter teneatur colere, seu reuerentiam quandam ipsi exhibere, & sese ad eiusdem placitum modeste adtemperare.

De confoederationibus perpetuis, de foederibus offensiuis & defensiuis, aut commerciorum.

§. VI. Ceterum foedera tam aequalia, quam inaequalia, varias ob *causas* solent contrahi; inter quas arctissimam *foederum* speciem producunt, (1) quae ad *coniunctionem* aliquam *perpetuam* plurium ciuitatum spectant. Frequentissima autem sunt, quae ad auxilia in *bello defensiuo* aut *offensiuo* praestanda, aut ad *commercia* regenda pertinent.

De foederibus *perso-*

§. VII. Celebris quoque est diuisio *foederum*

§. VI. (1) Vid. supra *Lib. II. Cap. VIII.* §. 15.

rum in *realia*, & *personalia*. (1) Quorum haec sunt, quae cum rege, intuitu *personae* ipsius, ineuntur, eoque defuncto simul exspirant. Illa vero sunt, quae non tam ipsius regis populiue rectorum, vt talium, quam *reipublicae* & *regni* intuitu contrahuntur, ac perdurant, (2) istis licet mortuis, qui eorundem auctores fuerant. *nalibus & realibus.*

§. VIII. Coniunctae foederibus sunt *sponsiones*, quae proprie vocantur ista *pacta*, *quae a ministro summae potestatis circa negotia ad eandem spectantia sine ipsius mandato ineuntur*. Quibus summus imperans (1) non tenetur, nisi postquam eadem rata habuerit; ita si minister easdem absolute contraxerit, & ratihabitio secuta non fuerit, ipse viderit, quomodo satisfaciat illis, qui eius fidem secuti inanibus pactis decepti sunt. *De sponsionibus.*

§. VII. (1) Conferatur huc GROTIVS *Lib. II. Cap. XVI.* §. 16 *seq.* & Auctoris *I. N. & G. Lib. VIII. Cap. IX.* §. 7. *seq*

(2) Atque hoc quidem in dubio praesumendum est.

§. VIII. (1) Obligatur tamen quodammodo ex prudentiae regulis, si pacta reipublicae sint vtilia. Sed si ne tunc quidem ea rata habere velit, saltem omnia debet in eum statum restituere, in quo tempore sponsionis factae fuerunt.

CAPVT XVIII.

DE OFFICIIS CIVIVM.

§. I.

Officium ciuium est vel *generale*, vel *speciale*.
(*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VII. Cap. VIII. §. 10. not. 2.

OFficium *ciuium* est vel *generale*, vel *speciale*. (*a*) Illud oritur ex *communi obligatione*, qua isti imperio ciuili sunt subiecti; hoc vero, ex *peculiari munere* & functione, quae per summum imperium singulis est iniuncta.

Officium generale est triplex.

§. II. *Officium generale* ciuium respicit vel *rectores ciuitatis*, vel *totam ciuitatem*, vel *conciues*.

1. Erga *rectoris ciuitatis*.

§. III. *Rectoribus ciuitatis* ciuis debet *reuerentiam*, *fidelitatem*, & *obsequium*; cui coniunctum est, vt idem praesenti statu adquiescat, neque ad res nouandas animum adiiciat, neque alteri cuiuis adhaereat magis, eundemque admiretur & veneretur; vtque (1) bene & honorifice de iisdem & eorum actionibus sentiat atque loquatur.

2. Erga *totam ciuitatem*.

§. IV. Erga *totam ciuitatem* officium boni ciuis est, vt eius salute & incolumitate nihil habeat

§ III. (1) Conferantur dicta a me in Tractatu sub titulo: *Discours sur la question, s'il est permis d'echafauder en Chaire le Magistrat, &c.* p. 255. seq. in Collectione saepius allegata, *Recueil de Discours &c.* To. II.

habeat carius; vt vitam, opes, fortunasque suas ad eandem seruandam libenter offerat, vt ad eandem illustrandam, eiusque commoda promouenda, omnes ingenii & industriae neruos intendat.

§. V. Erga *conciues* ciuis officium est, amice & pacifice cum illis viuere, commodum sese ac facilem praebere, nec morositate aut peruicacia sua turbas dare, ceterorum commodis non inuidere, aut eadem interuertere. 3. Erga *conciues*.

§. VI. *Specialia officia* vel per *vniuersam* sese *rempublicam* velut diffundunt, vel circa certam duntaxat *partem* occupantur. Circa quae omnia hoc generale praeceptum habetur, *ne quis vllum officium in republica adfectet aut suscipiat*, (1) *ad quod sese ineptum deprehendit*. De *officiis specialibus* regula generalis.

§. VII.

§ VI. (1) Distinguit hic OTTO inter officium, quod quis adfectat, & quod qui. acceptat. Non sunt ait rationes aeque validae, cur in posteriori casu nolimus suscipere officium, quam in priori; quoniam aptitudo haud consistit in momento quodam indiuiduo. Non pauci enim fuerunt, qui in iuuentute ex modestia quadam de sufficienti peritia desperarunt, prouectiore tamen aetate in summos euasere viros. Neque etiam multum reipublicae interest, vt in corpore ex tanta hominum multitudine composito singuli eadem petitia polleant. Equidem haud diffiteor, esse solere ac debere necessario varios aptitudinis gradus. Exiguus enim fere peritorum primi ordinis hominum numerus est, & contra eorum, quorum opera respublica in variis collegiis ac muneribus indiget, tanta est multitudo, vt saepe in talibus acquiescere,

Officia *ministrorum & consiliariorum status.*

§. VII. Qui *consilio suo rectoribus ciuitatum adsistunt*, in omnes reipublicae partes aciem mentis conuertant, quae ex vsu reipublicae videbuntur esse, dextre & fideliter citra adfectus ac prauos respectus exponant, salutem reipublicae in omnibus consiliis pro scopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; prauis adfectibus principum adulando non velificentur, factionibus & contentionibus illicitis abstineant, nihil, quod taceri oportet, eliminent, exterorum corruptionibus impenetrabiles sese praebeant, priuatis suis negotiis aut voluptatibus publica negotia non posthabeant.

Officia *ministrorum ecclesiae publicorum.*

§. VIII. *Qui publicae constituti sunt ad sacra obeunda*, in iisdem grauitatem & adtentionem

nem

cere oporteat, quorum peritia multo inferior est ea, quae requirebatur, si res aliter se haberet. Interea raro contingit, vt quis ad officium, praesertim maioris momenti, euocetur, qui de eo nunquam cogitauerit; imo viciffim nihil frequentius est ambitione munerum, qua fit, vt vel peritissimi & maxime idonei postponantur; vt taceam eos, qui officia ambiunt obtinentque, quibus nec pares sunt, nec dignos vnquam se praestare student. Quapropter superflua haudquaquam censeri debet illa regula, secundum quam quilibet in conscientia & tanquam bonus ciuis obligatus est, vt ne quidem acceptet maioris momenti officium, nisi saltem eo aptitudinis gradu praeditus sit, qui ad exercitium eius sufficit, nec facultatem ipsi ex aliorum sui ordinis peritissimorum doctrina proficiendi denegauit.

nem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum, quae ipsi docent, populo sese conspicuum exemplar exhibeant, nec prauitate morum muneri suo dignationem, doctrinae pondus detrahant (1).

§. IX. *Queis publice iniunctum, variarum scientia rerum animos ciuium imbuere*, nihil falsi aut perniciosi doceant; vera autem ita tradant, vt auditores iis adsentiantur, non tam adsuetudine audiendi, quam quia solidas eorundem rationes perspexerunt; omnia dogmata ad societatem ciuilem turbandam directa fugiant, omnem scientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & ciuilem vtilitas redundat. Officia doctorum & professorum in scientiis humanis.

§. X. *Qui iuri dicundo praeficiuntur*, quibus uis facilem accessum praebeant, plebem ab oppressionibus potentiorum protegant, ius aeque pauperi & humili, quam potenti & gratioso dicant, lites vltra necessitatem non extrahant, a corruptelis abstineant, in cognoscendis causis diligentiam adhibeant, omnesque adfectus sinceritatem iudicii corrumpentes seponaut, recte faciendo neminem timeant. Officia magistratuum & iudicum.

§. XI.

§. VIII. (1) Ac praesertim nihil faciant aut dicant, quod ingenium dominandi cupidum aut seditiosum sapiat. Vide *Discursum* meum supra ad §. 3. allegatum.

Officia *praefectorum rei militaris.*

§. XI. *Quibus armorum cura commissa*, militem diligenter & tempestiue exerceant, & ad tolerandos militiae labores firment, disciplinam militarem sartam rectamque habeant, milites hosti iugulandos temere non obiiciant, annonam & stipendium, quantum in se, prompte procurent, nec de eo quicquam interuertant; milites semper vt reipublicae faueant, curent, nec vnquam eos sibi aduersus rempublicam concilient.

Officia *militum.*

§. XII. *Milites* contra stipendiis suis contenti sint, ab expilandis & vexandis paganis abstineant, labores pro tuenda republica libenter & strenue obeant, pericula per temeritatem non arcessant, per ignauiam non defugiant, fortitudinem in hostem, non in commilitones ostentent, stationem adsignatam mascule defendant, honestam mortem turpi fugae & vitae praeferant.

Officia *legatorum.*

§. XIII. (1) *Quorum opera ciuitas apud exteros vtitur*, cauti sint & circumspecti, inania a solidis, vera a fabulosis discernere callidi,

§. XIII (1) Quoniam Auctor de iure *legatorum* & *legationum* disserere haud sustinuit, conferenda sunt quae attuli ad Opus maius *Lib. VIII. Cap. IX.* §. 12. *not.* 1. & ad GROTIVM Lib II. Cap XVIII. inprimis autem in notis meis ad versionem Gallicam BYNKERSHOEKII *de Judice legatorum competenti*, cuius secunda Editio subiuncta est libro WICQUEFORTII *de l'Ambassadeur & de ses fonctions*, Amstel. 1730. edito.

lidi, secretorum tenacissimi, pro vtilitate suae ciuitatis aduersus quaslibet corruptiones obstinati (2).

§. XIV. *Qui opibus ciuitatis colligendis aut dispensandis praesunt*, caueant ab omni non necessaria acerbitate, nec ob proprium quaestum, aut per petulantiam vel malignitatem animi oneris quid adiiciant, publici nihil interuertant; quibus de publico quid soluendum, illis citra moras non necessarias satisfaciant. Officia *ad ministrorum & receptorum pecuniae publicae.*

§. XV. Durat autem ciuium *speciale officium*, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit, sunt constituti; qua vbi abeunt, & illud *exspirat. Generale* itidem durat, quamdiu ciues sunt. Quando *exspirent* ista officia, & quomodo quis *ciuis* esse *desinat*.

Ciues autem *esse desinunt*, (*a*) vel si consensu expresso aut tacito (1) ciuitatis discedant, (*a*) Vid. J. N. & G. Lib. VIII. Cap. XI.

(2) Conferenda est descriptio *ministri* aut *plenipotentiarii*, quam habet LA BRUYERE in libro inscripto: *Caractéres ou moeurs de ce Siecle*, Capite quod de *summo imperante & republica* tractat p. 464. seq. To. I. Ed. Amst. 1731. cuius tamen non omnia ad imitandum proponere decet.

§. XV. (1) Consensus hic ordinarie praesumitur, prouti ex ipsa societatum ciuilium constitutione sequitur; modo ne quis alieno tempore, atque ita ex ciuitate discedat, vt damnum inde respublica capiat. Vide praeter Auctoris citatum in margine locum, dicta a me ad GROTIVM Lib. II. Cap. V. §. 24. not. 6.

dant, & alibi ſedem fortunarum figant, vel ſi ob delictum in exilium eiiciantur, & iure ciuitatis priuentur, vel ſi hoſtica vi oppreſſi, in victoris ditionem concedere adigantur (2).

(2) I a vero in huiusmodi caſu quis poteſt ciuis eſſe deſinere, vt ſedes priores & domicilium haud deſerat, cum nihil niſi priorem mutet dominum. Quod aliquando communiter accidit vniuerſis membris ciuitatis veteris, quae qua talis non amplius ſubſiſtit. Datur quoque alius caſus plane ſingularis, & qui haud mutata forma reipublicae locum habet, cum ſubditus quiſpiam, conſenſu ciuitatis intercedente, legati alterius reipublicae vices ſuſtinet. Vid. BYNKERSHOEKII librum modo allegatum Cap. XI.

EPISTO-

EPISTOLA CENSORIA ANONYMI,

id est

GOD. GVIL. LEIBNITII,

cum Examine

IOANNIS BARBEYRACII,

ex Gallico in Latinum sermonem translato.

ANnus est & quod excurrit, cum in manus meas incidit Epistola Latina (1) Anonymi, qua suam de praesenti libello *de Officio hominis & civis* fert sententiam. Epistola haec a. 1709. typis exscripta, inserta deprehenditur IVSTI CHRISTOPHORI BOEHMERI, Professoris *Helmstadiensis*, (2) Programmati academico, quo duodecim Dissertationes publicas, in Ius naturae, ab Auctore nostro exiguo isthoc libello expositum, Et haben-

(1) Hoc est G. G LEIBNITII. Videatur *Admonitio posterior* ad Versionis meae Ed. quartam.

(2) Erat tum Professor Politices & Eloquentiae, factus postea a. 1710 Professor Theologiae. Inde a. 1723. loco MOLANI constitutus Abbas *Loccumensis*. Celebrem tamen *Halensium* Professorem BOEHMERVM nulla cognatione attingit, quod alias suspicatus eram.

habendas indixit. Anonymus iste, *Viri illustris* elogio decoratus, idoneas fortassis, cur latere voluerit, causas habuit. Vereri enim iure poterat, ne morositate quadam aut inuidia adductus, videretur derrahere voluisse operi adeo apud vniuersos celebrato. Quae etiam ratio ipsum impellere potuit, vt mallet meditationes suas Programmati academico inseri, quoniam huiusmodi scripta fere haud solent longe lateque diuulgari. Sed fortassis ne id quidem in animo habuit, vt Epistola eius sic in publicam proferretur lucem, (3) vtpote quam ipso haud consulto

(3) Coniecturam hanc in quemcunque euentum proposui, cum prorsus ignorare Auctoris nomen, alioqui satis bene cognitum, videri cuperem. Ipse enim Epistolam istam per cursores publicos ad amicum, non procul *Lausanna* commorantem, hunc in finem miserat, vt mecum communicaretur; vt propterea longissime ab hac opinione abfuerim, quasi inconsulto auctore publici iuris facta fuerit. Si *Boehmerus* ea obseruare voluisset, quae postea in *Admonitione posteriore* protuli, vbi post inopinam *Leibnitii* mortem mutata sententia, existimaui me detegere potuisse nomen *Anonymi*, Censurae a me versae & examinatae auctoris; statim intellexisset, serio me haud egisse, cum inconsulto auctore Epistolam ab eo euulgatam coniicerem; quo de apud me bello modo conquestus est in Epistola mense Nov. a. 1719. ad me exarata, cum nouam *Programmatum Academicorum* editionem ad me mitteret. Certiorem me ea fecit, precibus suis adductum *Leibnitium* scripsisse & misisse *Censuram* suam ad GERHARDVM MOLANVM, Abbatem *Loccumensem*, & Directorem Ecclesiarum Electoratus *Brunsuicensis*, ipsius *Boehmeri* auunculum; eandemque datam fuisse d. 22. Apr. 1706. plena

fulto Professor Helmstadiensis protruserit. Quicquid eius sit quoniam semel prostat, veniam spero me impetraturum ab auctoris modestia, si eam (4) clariori luci exposuero, noua simul veste exornatam. Non laborabo velum diducere, intra quod auctor absconditus latet, sed liberam cuiuis coniecturarum facultatem relinquam. Hoc mihi dicere sufficit, me perlegendo Epistolam istam, statim vestigia ingenii perspicacis, longissimeque ab aliorum praeiudiciis remoti deprehendisse. Quapropter

plena concessa potestate, typis eam committendi sub nudo hoc titulo: ***Epistola Viri excellentissimi ad Amicum, qua monita quaedam ad principia*** PVFENDORFIANI *Operis* de Officio hominis & ciuis *continentur.* Verum defuit *Boehmero* occasio, donec tribus demum elapsis annis mandata exequeretur. Hac vero declaratione addita, haud spero fore, vt *Boehmerus* in malam partem accipiat, quod non deleuerim omnino, quae hic de ipso dubie protuli. Hoc enim contrarium fuisset consilio meo, relinquendi iustas ob causas integrum huius mei scripti textum, prout id prima vice fuit compositum.

(4) Etenim ignorabam tunc temporis, (scil. a. 1716. cum primum versio haec prodiret,) quod *Groningae* demum didici, quod ALEXANDER ARNOLDVS PAGENSTECHERVS Epistolam istam iam a. 1712. ibidem typis excudendam curarit, indicato etiam auctore *Leibnitio*, cuius nomen inuenerit in Diario quodam Germanico, *Neuer Bücher-Saal* inscripto Subiunxit vero eandem in calce libelli *Pufendorfiani de officio hominis & ciuis*, quem apud Bibliopolam *Van Velsen* recusum euulgauit. Quae editio ante id tempus mihi ne nomine quidem fuerat cognita.

pter de fortuna mihi gratulatus sum, quod intercedente tam longo locorum interuallo huiusmodi plagula ad me peruenerit, cuius ne mentionem quidem factam esse memini, cum multo propius locum, vbi primum excusa est, commorarer, quaeque hodienum non minus rara ac paucis cognita esse debet. Itaque cum in eo essem, vt libellum *de officio hominis & ciuis*, typis denuo excudendum traderem, ornamenti loco addere constitui Censuram istam Anonymi, eidemque obseruationes meas adiungere. Hoc enim visum mihi est non parum conferre posse, vt magis magisque appareat, si quidem naeuis non caret opus sub censuram vocatum, a quibus nullum huius generis immune est, idem tamen saltem in vniuersum opus esse vtile. Fateor quoque me laetatum esse, cum viderem, pridem me consensisse cum Anonymo quoad nonnulla capita, in quibus meum ab Auctore nostro dissensum iam testatus fueram; atque hoc ipsum mihi spem addit fore, ne mihi vertatur vitio, si in aliis istum tuendum suscepetim. Quod si ex voto successerit, non propterea vanam aucupabor gloriam, nec me cum isthoc *Viro illustri* componere studebo, quem verisimile est in summis locum habere ingeniis. Cum vero idem non dissimulet, se diutius non inspexisse opus censura abs se notatum, valdeque credibile sit, ipsum nec reliqua Auctoris nostri opera frequentius perlustrasse; mirari haud conuenit, si non aeque feliciter, atque ego, principia eius assecutus sit, quae vt perciperem tantum laboris impendi. In adornanda autem Gallica Epistolae huius versione, contextus seriem continuam haud secutus sum, sed intercisum, prout occasio tulerit, meditationibus meis permiscui. Ne tamen confusio inde nascatur, seiunctas huius opellae partes, in allegandi commoditatem numeris distinctas, ita exprimendas curaui, vt ab his, quae mea sunt, facile dignosci, & pro lubitu rursus conjungi

iungi, totaque non interrupta ferie Epiſtola legi poſſit. Cuius quidem exordium ita habet.

§. I. Rogaſti me ſententiam, (1) VIR SVMME, in amici gratiam, an commode praelegeretur iuuentuti liber viri ſuo quondam merito (2) celeberrimi, SAMVELIS PVFENDORFII, quem de Officio Hominis & Ciuis inſcripſit. Inſpexi opus, quod a multo tempore non conſulueram, deprehendique, principia defectibus non exiguis laborare. Quum tamen pleraeque ſententiae in progreſſu non admodum principiis cohaereant, neque ex iis, tanquam cauſis, deducantur, ſed potius aliunde ex bonis Auctoribus mutuo ſumantur; nil prohibet, libellum multa bonae frugis continere, & vicem compendii doctrinae de Iure Naturae iis praeſtare, qui leui aliqua tinctura contenti, ſcientiam ſolidam non adfectant, quales ſunt nimis multi auditores.

Laboraret vtique inſigni defectu praeſens opus, vel potius tali, ob quem illud Auctoris ſcopo parum congrueret, ſi vt innuere heic videtur voluiſſe Anonymus, mera aliqua Rhapſodia eſſet, *ſcopae diſſolutae, arena ſine calce.* Veruntamen diiudicandum publico relinquo, annon in breui hoc, & per totam fere *Europam* iam ſatis noto ſyſtemate, praeter eos, quos in ipſo deprehendere licet, defectus, in vniuerſum reperiantur cum ſolida ſatis principia, tum etiam ſatis clara fundamentorum cuiusque materiae in ſpecie cum iisdem principiis cohaerentia. Fateor equidem, non eſſe ibi omnia Geometrarum more per quaeſtiones, definitiones, axiomata, corollaria &c. diſpoſi-

§. I. (1) Is, ad quem ſcribitur, ſuppreſſo nomine, *Vir Summus* ſalutatur. Sed iam ſupra *Molanum* deſignari docui.

(2) Imo maior adhuc poſt fata nominis eius eſt celebritas, quam cum eſſet in viuis.

ta: verum nec in fingulis difciplinis, minime autem omnium in illis, quae circa mores occupantur, ieiuna illa methodus requiritur. Sufficit adferre huc ingenium Geometricum, hoc eft accuratum, quale quidem a (3) profundo abftractarum fcientiarum ftudio non femper producitur; ingenium inquam ordini, exactitudinis ac perfpicuitatis obferuans, propofito argumento attente infiftere affuetum, nullum principium alicuius momenti vel falfum, vel dubium praeteriens, nullaque temere elicita confequentia, & quae non per principia alia atque alia ad maxime generalia reuocari queat, adquiefcens. Speroque ex diligenti eorum, quae Anonymus aduerfus Auctoris principia infra mouebit, examine, liquido appariturum, ea in vniuerfum firmiffimo niti fundamento. Quod vero ad confequentias adtinet, euoluatur modo quodcunque libuerit caput, & confido profecto, fi adtenta mente perlectum fuerit, palam futurum, Auctorem ibi fummatim circa aliquam veritatem occupari, quae ex generalibus totius operis principiis vel immediate, vel mediate poffit deriuari Quod quidem methodo analytica demonftrare facillimum foret, nifi metuendum effet, ne in nimiam molem meae obferuationes excrefcerent, planeque fuperuacuum id ad connexionem libri exiftimarem, quem qui legent, per fe ftatim analyfin formare poterunt.

§. II. Optarem tamen, exftare aliquid firmius & efficacius, quod lucidas foecundasque definitiones exhibeat, quod ex rectis principiis conclufiones veluti filo deducat, quod fundamenta actionum exceptionumque natura validarum omnium ordine conftituat, quod denique fcientiae alumnis certam rationem

(3) Vide elegantes & iudicii plenas *Reflexiones CROVSAZII de vtilitate Mathematum*.

tionem praebeat praetermissa supplendi, oblatasque quaestiones per se decidendi, determinata quadam via. Haec enim a scientia absoluta & rite tradita exspectari debent.

Optarem & ego, non grauari voluisse Anonymum ipsum, eiusmodi opus emittere, quod mente conceperat, iustum Naturalis Iuris systema debere esse. Nam procul dubio omnium maxime fuisset idoneus, ad implendam ideae, quam de hoc sibi formauit, mensuram. Vereor saltem, ne ratione *actionum exceptionumque natura validarum*, quarum amplissimum supponere numerum videtur, Iuris Ciuilis *Romani* subtilitates cum simplicitate Naturalis Iuris confundat. Cauendum quoque erit, ne idem nobis heic acciderit, quod facile posset euenire, si quis offensus aliquibus solidi alioquin & venuste exstructi aedificii defectibus, cum pro virili corrigendis leuibus naeuis dare operam debuisset, destruere totum aedificium, nouumque eius modulum formare maluerit, qui tandem varias ob rationes longe pluribus defectibus laborare deprehenderetur.

§. III. Et tale aliquid potuisset ab incomparabilis GROTII iudicio & doctrina, aut a profundo HOBBII ingenio praestari; nisi illum multa distraxissent, hic vero praua constituisset principia, iisque nimis constanter institisset. Meliora etiam, quam vulgo habemus, & pleniora potuisset FELDENVS, si ingenium & doctrinam maiore studio in tale opus conferre voluisset.

Non satis mihi postremus horum Auctorum innotuit, vt propterea diiudicare nequeam, an istis celebrari encomiis mereatur; neque exploratum habeo, an (1) ea, quae in GROTIVM edidit, adeo am-

 plam

§. III. (1) *Stricturae in Grotium &c.* Hoc opus vna cum Auctore suo non adeo magnam existimationem

plam de eo opinionem excitare potuerint, vt aptus ad istiusmodi opus producendum censendus fuerit. Quod ad GROTIVM adtinet, meminisse decet, primum fuisse, qui scientiam ante ipsum mire confusam,

---

nem inter ipsos Germanorum eruditos iudicio pollentes consecutum est. Vide *Historiam Iuris Naturalis* BVDDEI § 27. quae praemissa est eius *Selectis Iur. Nat. & Gent* & *Bibliothecam Iuris* STRVVII p. 347 Ed. quintae Loquitur hic de FELDENO (siue *de Felde*) occasione libri Francof. & Lipf. a 1664. ed. sub titulo: *Elementa Iuris vniuersi, & in specie publici Iustinianaei*. Ipse postea hunc librum inspexi, ex eoque magis magisque intellexi, ab huiusmodi ingenio ea omnia haud expectanda fuisse, quae sibi *Leibnitius* erat pollicitus, si applicatio debita accessisset Quo de plura dixi in *Praefatione* mea ad GROTIVM p. 9. neque nunc sententiam muto. Ceterum Apologista *Leibnitii*, cui *Feldenus*, vt videtur, ne nomine quidem vnquam fuit cognitus, acu se credidit rem tetigisse, cum ex eo SELDENVM fecit, quasi in textu Anonymi aut error typographicus, aut imprudentia auctoris interuenerit. Cum tamen *Feldeni* nomen etiam in secunda editione a. 1716. a *Boehmero* publicata occurrat. Et reuera, quisquis scripta eruditorum Anglorum cognouerit, ei nunquam in mentem venerit, *Leibnitium* istum idoneum potuisse iudicare, ad componendum Iuris naturalis systema, secundum ideam ac modulum, quem is imitandum animo conceperat. Quod vero tantum opinionis de *Feldeno* hauserit, hoc videtur ex *Elementis Iuris vniuersi* petitum, quae modo commemoraui, & quorum ipse mentionem fecit in *Noua methodo docendae discendaeque Iurisprud.* Francof. 1688. euulgatae, p. 39.

ſam, ſpiſſiſſimisque ſaepe obductam tenebris, in ſyſtema redegerit; adeo vt vix potuerit Vir Summus, praeſertim ea qua vixit aetate, melius opus prodere. Nil tamen obſtat, quominus eximium eius opus *de Iure Belli ac Pacis* cenſeri queat dirigendis iis omnibus, qui aliquid plenius exactiusue conati deinde ſunt, aut porro conabuntur, ſatis in vniuerſum ſubſidii praeſtitiſſe.

§. IV. Plurimum etiam referret, parallela addi Iuris Ciuilis inter homines recepti, praeſertim *Romani*, ipſiusque etiam Iuris ſacri. Ita vſus Iuris Naturae apud Theologos & Iuriſconſultos pronior futurus eſſet, quod nunc magis ſermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.

Eiusmodi parallela, quae adeo vtilia Anonymus exiſtimat, GROTIVS in laudato libro, ac PVFENDORFIVS in Opere ſuo maiori *de Iure Naturae & Gentium* ſaepiſſime inſtituerunt. Illa vero in ſyſtemate, quale praeſens eſt, & quod tironum vſui accommodatum eſſe, ac proinde elementa tantum iſtius ſcientiae tradere debet, admodum neceſſaria eſſe haud video. Nocere potius talis mixtura poſſet, quod ideas confunderet; quippe cum paucae ſint leges ciuiles, quae non aliquid Iuri Naturali addant, aut detrahant. Si itaque de Iure Naturali nihil amplius addiſceremus, niſi quod in Iureconſultorum libris promiſcue cum Iure Ciuili ſparſum reperitur, neutrius facile ideas iuſtas adipiſceremur. Hoc certum eſt, oportere potius, doctrina Iuris Naturalis ſeparatim ante percepta, eius deinde, in peculiari legum cuiusque ciuitatis ſtudio, cum Ciuili Iure comparationem inſtitui. Tunc enim haud metuenda erit confuſio, ſed reuocabuntur tantum atque adplicabuntur haerentia iam animo principia. Hinc Auctor etiam noſter in animo habuit, *Indicem* aliquem in libros Iuris Romani conficere, vt diſcernerentur, quae Iuris Naturalis ſunt, ab iis, quae ad

Ius tantum Positiuum pertinent: optandumque fuisset, vt ab exsequendo hoc consilio, vt & nonnullis aliis, quorum in praefatione secundae Editionis maioris sui Operis meminit, ipsum mors celerior non non prohibuisset. Ceterum si Iurisconsulti ac Theologi in decidendis casibus peculiaribus, in negotiis vitae communis sibi oblatis, Naturali Iure haud multum vti solent, hoc profecto non ideo fit, quod Iuris naturalis vacantes studio, istud conferre cum Iure Ciuili omnium in orbe gentium neglexerint, sed quoniam, vt verum fateamur, plerique rudes sint in Iure Naturali, aut saltem non eo, quo par est, studio id excoluerint.

§. V. Interim vero quia desideratum opus non extitat, & prae aliis *Pufendorfianum* compendium apud nos vulgo innotuit; hoc saltem e re esse puto, vt quaedam Lectores Auditoresue, inprimis circa principia abusibus magis exposita, moneantur: quorum potissima in his summis capitibus consistunt, quod nec *finem obiectumque*, nec *causam efficientem* Iuris Naturae recte constituisse Auctor videatur.

Addere Anonymus, qui se heic Germanum profitetur, potuisset, opus, quod tot laborare defectibus caussatur, non in sola *Germania* inter optima, immo optimum quoque in hoc scientiae genere censeri. Nam & alibi, atque id etiam apud gentes in fastidium eorum, quae aliunde ad se, ac potissimum ex certis regionibus aduehuntur, paullo proniores, haud minoris aestimatur. Non dicam, quo fauore excepta hactenus Gallica versio fuerit; sed hoc saltem adiiciam, ante quartam nostram Editionem, iam quoque (1) quartam ex versione Anglicana prodiisse, vel

§. V. (1) Auctore ANDREA TOOK, Professore Geometriae in Collegio Greshamensi, quae prodiit *Londini* a. 1716. adiectis & notis meis, sed ex priore tantum editione.

vel potius quintam ; quandoquidem integrum hoc opusculum compendio nouissime edito (2) *de Iure Naturae & Gentium* insertum esse didici.

§. VI. De *fine* ita diserte pronunciat (*a*) § 3. *Praefationis* suae: *finem scientiae Iuris Naturae tantum ambitu huius vitae includi.* Et quoniam obiici posse praeuidebat, immortalitatem animae naturali ratione euinci, ac proinde, quae hinc consequantur ad iuris iustitiaeque obseruationem facientia, ad doctrinam iuris naturali ratione cogniti pertinere; respondet eodem loco: *animum quidem hominis ardenti adfectu immortalitati imminere, eiusque destructionem vehementer auersari; atque inde apud plerasque gentes inoleuisse persuasionem de animae a corpore separatae duratione, & quod tunc bonis bene, malis male sit futurum: eiusmodi tamen circa haec persuasionem, in qua animus hominis plene ac firmiter adquiescere possit, ex solo Dei verbo hauriri.* Haec Auctor. Verumenimuero licet tam verum esset, quam falsum est, immortalitatis animae plenam demonstrationem a naturali ratione non suppeditari; sufficeret tamen prudenti, saltem magnum pondus habere argumenta, & spem bonis melioris vitae eximiam dare, iustum vero improbis metum futurae grauissimae poenae incutere. Ingentis enim mali etiam non magna verisimilitudo, curam cauendi excitare debet. Neque aut consensus omnium paene gentium, aut insitum desiderium immortalitatis sperni possunt. Sed firmum argumentum & obuium omnibus (vt cetera nunc praetercream subtiliora) praebet ipsa diuini Numinis agnitio, quam recte

(*a*) Ex nostra Ed. §. 6.

(2) Per SPAVANVM, qui dicitur etiam in subsidium adhibuisse meas in vtrumque *Pufendorfii* opus notas. Prodiit hoc compendium *Londini* a. 1716. in 2. Voll. in Octauo.

recte admittit Auctor, & inter ipsa Iuris Naturae fundamenta merito collocat. Neque enim dubitari potest, Rectorem vniuersi sapientissimum, eundemque potentissimum, bonis praemia, malis poenas destinasse, & exsequi destinata in futura vita, quando in hac praesente pleraque impunita impensataque transmitti constat. Itaque negligere hic futurae vitae curam, quae cum prouidentia diuina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiore quodam Iuris Naturae gradu, qui etiam apud Atheum valere possit, ((1) de quo alias dixi), est scientiam pulcherrima sui parte multare, & multa huius quoque vitae officia tollere. Cur enim aliquis pro caritatibus, pro patria, pro republica, pro recto & iusto, discrimen fortunarum, dignitatum, vitaeque ipsius subeat, si euersis aliorum rebus ipse consulere sibi, & in honore atque opulentia vitam ducere possit? Nam vni nominis immortalitati, famaeque posthumae, id est, rumoribus, vnde nihil ad nos perueniat; vera ac solida bona posthabere, quid aliud quam splendida stultitia fuerit? Sublimior est pleniorque disci-

§. VI. (1) Edidit itaque adhuc alia Anonymus, prout etiam apparet in fine Epistolae. Sed quaenam illa sint, hariolari nequeo. Ita vero olim scripseram, cum simularem, me verum auctorem Epistolae ignorare. Iam vero indicare possum opus, ad quod hic prouocauit. Euoluenda enim eius *Praefatio* in *Codicem Iuris Gentium diplomat.* p. 7. sq. Conferri etiam potest eiusdem *Iugement sur les Oeuvres de Mylord Shaftsbury*, post ipsius obitum euulgatum a DES MAIZEAUX in opere, cuius hic titulus est: *Recueil de diuerses piéces sur la Philosophie, la religion naturelle, &c.* Tom. II. p. 282.

disciplina Iuris Naturae, exposita secundum disciplinamChristianorum, (de qua (2) PRASCHIVS,) immo verorum Philosophorum, quam vt omnia praesentis vitae commodis metiatur. Quin amplius, nisi quis ita natus institutusue sit, vt insignem in virtute voluptatem, in vitiis molestiam inueniat, (quod non est cuiusuis) nulla ratione a magno scelere deterrebitur, quo ingentia bona impune sibi parare possit:

(3) *Sit spes fallendi, miscebit sacra profanis.*
Atdiuinam vindictam,in futuram vsque vitam productam, nemo fallet; eaque firma ratio est qua homines omnem iuris obligationem in factum traduci debere intelligant, si sibi ipsis consulere velint.

Equidem statim in prima Editione versionis meae cum maioris Operis (*b*) de *Iure Naturae & Gentium*, tum (*c*) compendii de *Officio Hominis & Ciuis* obseruaueram, non excludendam esse a Iure Naturali omnem futurae vitae consideratio nem: idque eodem, quo heic Anonymus post alios vtitur, argumento comprobaui. Principium, quo nititur istud ratiocinium, Auctor noster nunquam negauit; quin potius illud ipse vltro in peculiari maioris Operis loco agnoscit, vbi in tradendis regulis circa (4) eligenda vtilia (*d*) locum citat ex ARNOBIO, atque ad egregium de hoc argumento locum PASCALII prouocat. Non

(*b*) *Lib. II. Cap. III. §. 21. not. 7.*

(*c*) *Nota ad Praefat. §. 6.*

(*d*) *Ius Nat. & Gent. Lib I. Cap. III. §. 7.*

---

(2) Nempe in Differtatione cui titulus: IO. LVDOVICI PRASCHII *Designatio Iuris Naturalis secundum disciplinam Christianorum*, a. 1689. ed.

(3) Est versus ex HORATIO *Lib. I. Epist. XVI*, 54.

(4) Vide quae dixi ad hoc Compendium *Lib. I. Cap. I. §. 11. not. 3.*

Non disquiram, an argumenta, quae sola ratio pro immortalitate animae, ac praemiis & poenis alterius cuiusdam vitae suppeditat, vim apodicticam, prout contendit Anonymus, habeant; & annon contrarium exemplo vel sapientissimorum gentilium, qui nonnisi titubanter de grauissima hac veritate locuti sunt, adpareat, quamuis iidem (5) rationem, quae heic adlegatur, ac omnium reuera validissima est, iam detexerint. Hoc obseruasse sufficit, ita deinde ratiocinari Anonymum, vt de natura ac vi propria *officii* parum accuratas cohaerentesue ideas fouisse videatur; cum e contrario leuis omissio Auctoris hoc queat excusari, quod eo per magnificam opinionem efficaciae peculiaris, quam in animum cuiuslibet prudentioris habere vel sola iuris contemplatio debeat, delapsus sit. Confundit manifeste Anonymus *officium* cum *effectibus* aut *caussis ad eius obseruationem impellentibus*, item vim, quae *officio* per se inest, cum quam illa, in mentes mortalium, prout plerorumq; comparata est indoles, exerit. Existimat, remota praemiorum ac poenarum futurae vitae consideratione, caussam nullam futuram, cur non solum *quis pro caritatibus, pro patria, pro republica, pro recto & iusto, discrimen fortunarum, dignitatum, vitaeque ipsius subierit*; verum etiam *cur sibi ipse*, illata aliis quacunque noxa, destructa omni eorum fortuna, ipsisque in perniciem datis, siue vt loquitur Anonymus, *euersis aliorum rebus, non consuluerit, & in honore atque opulentia vitam duxerit.* Supponit, sublata beatae post hanc vitam immortalitatis spe, non nisi inanis alicuius ac cerebrinae immortalitatis desiderio, quenquam ad officii sui obser-

(5) Vide locum PLATONIS, quem citaui in mea *Praefatione* ad J. N, & G. §. 21. pag. 86. adae Edit. lit. (ii).

obferuantiam impelli poffe. Ex principiis contra Auctoris noftri, *obligantur* homines non folum ad alios non laedendos, vt inde ipfis aliquod commodum eueniat, fed etiam ad fortunas aliquando & dignitates fuas, vitamque ipfam deuouendam. (6) fine vlla praemiorum ac poenarum futurae vitae exfpectatione, & ob hanc folum caufam, quod ifthaec *officia* fint, quae nobis fapientiffimus legum naturalium Auctor, idemque fupremus vniuerfi Rector impofuerit. Vtra quaefo duplicis huius moralis doctrinae purior, nobilior, fapientiumque gentilium ideis, qui tam fedulo *honeftum ab vtili* diftinxerunt, magis confentanea cenfenda erit? At qua ratione Anonymi conciliabitur ratiocinium, cum iis, quae heic habet, dari nempe *quendam Iuris Naturae gradum, qui etiam apud Atheum valere poffit*; & infra quoque §. 15. *fore aliquam naturalem obligationem, etfi daretur, Deum nullum effe?* Si vlla vnquam fuit, fane haec palpabilis omnino eft contradictio. Statim enim ac pofueris, aliquam poffe effe *obligationem*, proprie fic dictam, aliquam item neceffitatem abfolutam hoc vel illo modo agendi, aut non agendi, fine refpectu ad aliam non folum vitam, fed & ipfius Dei exiftentiam, *officia* protinus omnia, praeterquam illa, quae Numen ipfum directe refpiciunt, locum reperient, cum fingula, agnofcente id Anonymo §. 13. in *ipfa natura rerum* realiter fundata fint. Vide, quae notabuntur ad §. 15.

Ita vero Anonymus, leuem Auctoris omiffionem correcturus, ipfe fe grauibus illaqueauit incom-

(6) Vide, quae tradit Auctor J. N. & G. *Lib.* II. *Cap.* III. §. 19. vbi adferit, *nondum liquido effe probatum, quodlibet recte factum neceffario cum praemio quodam extrinfeco coniunctum debere effe.*

commodis. Sunt omnino duae diuersae quaestiones, *Quare ad certa quaepiam facienda vel omittenda quis obligetur?* &, *qua ratione homines ad obseruanda illa, quae pertinere ad officium suum intelligunt, validissime possint permoueri?* Quoad posteriorem quidem quaestionem, lubenter concesserim, rationem *vtilitatis*, ac inprimis intuitum poenarum ac praemiorum alterius vitae, id vtique esse, quo maxima mortalium pars commoueatur. Vnde adparet quoque, quam necessaria hominibus fuerit certa ac liquida status futurae vitae reuelatio; cuius tamen propterea scopus non est, ipsos ad virtutis studium, fugamque vitiorum excitare sola proprij commodi consideratione; sed eosdem hoc pacto sensim adsuefacere, vt ob nobilius longe motiuum officii partes expleant, insignemque illam, cuius meminit Anonymus, in virtute voluptatem inueniant; quae quidem non ex repraesentatione praemiorum, nedum poenarum vitae alterius, sed longa ac seria meditatione venustatis ac praestantiae ipsius virtutis progignitur. Improbos quippe videas, quos futurorum malorum metus, ac bonorum spes adficiat, qui tamen propterea v'lam ex virtute voluptatem, aut horrorem vitiorum haud sentiant; aeternae quidem felicitatis cupidi, at ab eo amando, quod solum reddere felices potest, nostrumque per se amorem meretur, longe alienissimi.

Quodsi tamen etiam ad solam vtilitatem adtendatur, nihilominus sectandae virtutis, fugiendique vitii sat praegnans foret ratio, tametsi a praemiis ac poenis futurae vitae abstrahatur. Etenim parandae & in his terris felicitati aptior per se virtus est, quam vitium; ac longe probabiliorem concipere vt plurimum spem licet, fore, vt solida nobis adferamus commoda, si bene & laudabiliter, quam si inordinate ac improbe viuamus: id quod Auctor

Auctor (*a*) in maiori Opere solerter obseruauit; vbi egregium admodum locum (*b*) ISOCRATIS, eo pertinentem, adtuli. Quae etiam materia a variis auctoribus ex instituto pertractata est.

(*a*) *Lib. II. Cap. III.* §. 21.
(*b*) *Not.* 4.

§ VII. Itaque neque illud admittendum est, quod insinuat Auctor, quae intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad Ius Naturae non pertinere: qua ratione ex mutilato *fine* Iuris Naturae, etiam *obiectum* eius nimis contrahi, manifestum est. Quum enim sub exitum §. (*a*) 8. dixisset, *Iuris Naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptari, quod vltra hanc vitam se non extendat*, mox subiicit § 9. *forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupari; ad ea autem, quae intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras producunt, non penetrare; neque adeo circa ea sollicitum esse.* Vlteriora diserte *Theologiae Morali* transscribit; *cuius principium Reuelationem esse* docet §. (*b*) 4. & quae hominem *Christianum informat* § (*c*) 8: vbi etiam addit, *Ius Naturae multis in partibus praue ad forum diuinum adplicari, quod Theologo maxime curae est.* Itaque, inquit §. 9. *Theologiae Morali non sufficit, exteriores hominis mores vtcunque ad decus composuisse*; (quasi vero Philosopho Morali, aut iuris naturalis Doctori sufficiat) *sed in eo maxime laborat, vt animorum motus interni ad placitum Numinis fingantur, & illas ipsas actiones improbat, quae extrinsecus quidem recte se videntur habere, ab animo tamen impuro promanant.* Haec Auctor scilicet Theologis vindicat: quae tamen omnia non Christianos tantum Philosophos, sed & veteres Ethnicos curasse constat; quorum adeo sobria magis, & seuera, & sublimis Philosophia fuit. Vt mirer, Viro insigni, in hac eruditionis luce, talia excidere potuisse, non minus paraloga, quam paradoxa.

(*a*) Ex nostra Edit. §. 6.
(*b*) Ex nostra Edit. §. 1.
(*c*) §. 6.

Vellem hic Anonymus illa obseruasset; *Parcius*

ista viris tamen obiicienda memento &c. Cum enim de viro agatur, cuius dissimulare merita non licet, prius quam paralogorum seu absurditatum argueretur, par, crediderim, fuisset sedulo examinasse, an non eius sententia fauorabilem interpretationem admiserit. Miror ego, Anonymum in transscribendis tot dictis, non adtendisse ad essentiale quoddam; quale quid in duobus eorum, quae citat, deprehenditur, vtpote quod ab errore eum reuocare, moderarique feruorem potuisset; vt cum §. 9. (nostrae Edit. 7mo) disertis verbis dicitur, (1) *Ius Naturale MAGNAM PARTEM circa formandas hominis actiones exteriores versari.* (2) Praeterea Auctor in alio loco ab Anonymo citato nonne dicit; *forum diuinum*, ad quod actus interiores pertinent; *Theologo MAXIME curae esse?* Est ergo, secundum ipsum, & alia quaepiam disciplina, ac disciplina quidem naturalis, quae internorum istorum actuum leges non negligit. Obseruare id quoque Anonymus debuisset, quod habet Auctor in Opere maiori *Lib. I. Cap. VIII.* §. 2. & in ipso hoc compendio *Cap. II.* §. 11. 12. Indicandum id etiam fuisset, agere ipsum de *conscientia*, variisque eiusdem speciebus, *Lib. I. Cap. I.* §. 5. *seqq.* Verum & aliunde, quam infimo talo censura Anonymi nitatur, certo demonstrari potest. Solus etenim actionis alicuius auctor cognoscere & diiudicare tuto valet, an ea intrinsecus aeque ac extrinsecus moraliter bona sit; ceteris autem omni-

§. VII. (1) OTTO etiam in Ed. *Officiorum hominis & ciuis* a. 1728. euulgata, *Not.* in *Praef.* §. 9. contrariam *Leibnitio* & Apologistae eius sententiam tuetur.

(2) Vide, quae dicit Auctor in suo *Specimine controuersiarum &c. Cap. IV.* §. 19. & locum infra referendum ad §. XI.

omnibus super hoc non nisi indicia, saepius admodum aequiuoca, suppetere vnquam possunt. Iam vero addiscitur ideo Ius naturale, vt de actionibus alienis aeque ac propriis iudicare possimus; adeoque scitorum Iuris Naturalis adplicatio vt plurimum exteriori actionum habitu debet terminari. Huius autem *adplicationis* ad actiones principium non nisi *per effectum aliquem*, *aut signum foras productum*, penetrare licet; atque haec illa sunt, *circa quae forum humanum occupatur*, de quibus Auctor loqui voluit; prout ex ipsis heic ab Anonymo citatis locis adparet. Porro, nonne circa ea, quae homines a se inuicem exigendi *ius* habent, maximam naturalium legum partem verti, in confesso est? An non vltra actum exteriorem istud *ius* se extendit: statim igitur ac quis hoc in parte omne id, ad quod tenebatur, praestiterit, quantumuis vitiosus actus interior sit; nemo tamen quicquam amplius ab eo poterit exigere; neque reuera quicquam amplius debetur; etsi forte interno actionis, qua expletum est id, quod debebatur, principio aliquid praui coram tribunali diuino, ac propriae conscientiae adhaerere queat. Hoc iudicium interea a quocunque de propriis actionibus ferendum, vt bonas ac innoxias omni ex parte esse; certo ipsi constet, Auctor a Iure Naturali non excludit; sed ab eo tantum in adplicatione scitorum Iuris Naturae ad singulares casus, in consideranda peculiarium cuiuscunque hominis actionum moralitate abstrahit.

§. VIII. *Platonicorum Stoicorumque*, immo & Poetarum, doctrina fuit, Deos esse imitandos, Diis offerendum.

(1) *Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus*
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Ff 2 Neque

§. VIII. (1) PERS. Satyr. II. 72. seq.

Neque Philosopho, sed Iurisconsulto ciuili tribuit CICERO, externis contentum esse; leges enim docet curare, quae manu teneri possunt, Philosophos, quae ratione & intelligentia. Adeone degenerabit apud *Christianos* Philosophia, quam *Ethnici* tam sanctam & generosam habuere? De laxitate ARISTOTELIS multi veterum questi sunt: ille ipse tamen longe altius surrexit, eumque scholae recte hic sunt secutae. Praeclare enim *Aristotelica* Philosophia ad iustitiam vniuersalem omnes refert virtutes; debemusque non nobis tantum, sed & societati, eique maxime, quam cum Deo, naturali lege cordibus inscripta, colimus, vt animum habeamus veris imbutum sententiis, voluntatemque ad recta constanter tendentem.

Hae omnes animaduersiones non minus male adplicatae, quam e triuio petitae sunt, obtrectantes semper Auctori nostro vnice ex falsa hypothesi, quam modo notaui. Nam oblitus est Anonymus, Auctorem, capite *de Officiis Hominis erga seipsum*, in eo potissimum occupari, vt ostendat, quòd ex lege naturali quilibet teneatur ad formandum intellectum aeque ac voluntatem, illum veris ac vtilibus notitiis imbuendo, huius vero motus in ordinem redigendo? Locus quoque CICERONIS (2) adductus hic verum suum sensum haud retinuit. Nec enim ibi de actibus mere internis quaeritur, nec de actionibus externis, quatenus a bona dispositione interna proficiscuntur, aut non proficiscuntur; sed tantum de laesionibus aut fraudibus quibusdam subtilioribus, ac de iure ciuili impunitis, etsi extrinsecus aeque mani-

(2) Exstat *de Officiis Lib. III. Cap. XVII. Sed aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; Philosophi, quatenus ratione & intelligentia.*

nifeste, ac aliae crassiores pateant. Quod quidem ex omnibus argumentis exemplisque, quae consequuntur, aut antecedunt, liquido colligitur. Immediate enim ante istam sententiam, Orator Romanus de iis, qui non bona fide emtori defectus in re vendita sibi cognitos indicant, locutus erat.

§. IX. Neque adparet, quis sit in Iure Naturae locus iuriiurando, (cuius tamen Auctor ipse vim in eo magnam esse fatetur) si internorum ibi cura nulla est.

Verosimile est, hanc obseruationem, composita iam tota Epistola, adiectam, ideoque male huc collocatam fuisse, cum interrumpi eadem ratiocinii filum quilibet conspiciat. Temere semper supponit Anonymus, internorum mentis actuum curam, ex Auctoris sententia, plane alienam esse a scientia Iuris Naturae. Anne vero alioqui iusiurandum essentialiter actum externum aeque ac internum complectitur? Fateor quidem, actus externi vim originarie ab interna iurantis dispositione pendere. Ast praeterquam quod illa dispositio, eo ipso, quod interna sit, hominibus occulta maneat, quibus nihil aliud hac de re praeter praesumtiones suppetit, nonne ad seruandum iusiurandum, super re non plane illicita aut inualida praestitum, omnino obligamur, etsi iurandi animus nobis defuerit? Et nonne grauissimum foret peccatum, iurare super re quapiam illicita, quamuis ore tantum iuraremus?

§. X. Itaque qui educationis aut institutionis aliorum regendae potestatem habet, Iure Naturae obligabitur ad mentes etiam praeclaris monitis informandas, curandumque, vt virtutis adsuetudine, tanquam altera natura, voluntates ad honesta ferantur. Ea tutissima praecipiendi ratio: nam, vt pulchre monitum (1) ARISTOTELI, plus possunt mores,

§. X. (1) Ipse Auctor noster locum aliquem huius Phi-

quam leges. Et quanquam fieri possit, vt aliquis spe metuque prauas cogitationes comprimat, ne noceant (quod tamen aegre fit); tamen non efficiet, vt prosint. Itaque qui non recte animatus erit, saepe peccabit saltem officii omissione. Vt adeo etiam parum tuta aut facilis sit hypothesis, quam Auctor noster constituit, animi intus praui, foris innoxii.

Hoc vero est vnum semper idemque repetere, & *eadem oberrare chorda.* Inspiciantur modo, quae tradit Auctor in hoc Compendio *Lib. II. Cap. III.* §. 2. & *Cap. XI.* §. 4, vt Opus maius taceamus, vbi multo fusius de hoc momento agit: & mirari conuenit, Anonymum in exiguo scripto, qualis haec est Epistola, tot temere verba profundisse.

§. XI. Equidem laudandi sunt viri quidam eruditi, *Pufendorfianae* alioqui doctrinae fautores, quod sententiam duriorem & reprehensionibus obnoxiam emendarunt, & quod Iuri Naturae negant, saltem *Philosopho Morali*, aut *Theologo Naturali* tribuunt, curam scilicet internorum. Sed quum in internis quoque ius & obligationem, peccataque in Deum, & rectas actiones natura constitui, nemo negare possit; vbi, quaeso, tractabuntur haec naturalis vtique iuris iustitiaeque capita, nisi in scientia Iuris Naturalis? Nisi quis aliam quandam vniuersalem iurisprudentiam confingat, quae Ius Naturale respectu non hominis tantum, sed & Dei comprehendat; quod inane fore & superfluum, nemo non videt.

Nihil magis est arbitrarium, quam disciplinarum diuisio. Modo illud omne, quod ad scientias, quae relationem inter se aliquam habent, pertinet, in hac vel illa deprehendatur, atque in tractanda peculiari aliqua scientia, cuius constitueris limites, nihil eorum

---

Philosophi, quo hoc asseritur, retulit; cui adiecta sunt alia in notis ad J. N. & G. *Lib. VII. Cap. IX.* §. 4.

rum omittas, quae ad definitum spatium necessario requiruntur, non est, quod praeterea quisquam desideret. Et iampridem ipse Auctor responsionem dedit, vnde adparebit, in eo, quod *emendationem sententiae eius* vocat Anonymus, sectatores ipsius potius placita eius secutos esse: (a) *Quicunque* ait, *librum meum de Iure Naturae & Gentium, non solo calumniandi animo inspexit, facile deprehendit, mihi praecipue propositum fuisse, officia hominum erga se inuicem tradere, & quid iuris inter homines mutuo exerceatur; cui fini nullum commodius principium adsumi, quam socialitatem posse, in aprico est. Et eam ob rationem caput de religione Naturali in eo libro nuspiam exstat. Hoc quippe consectarium est doctrinae naturalis de Deo, quam alii ad* Philosophiam primam *referunt, alii peculiari disciplina sub vocabulo* Theologiae Naturalis *adornant; eoque natiuam velut sedem in disciplina Iuris Naturalis non sortitur. Sed cum postea in vsum iuuentutis* Officia Hominis & Ciuis iuxta legem naturalem *in compendium redigenda forent; caput* de Religione Naturali *ex illa siue* Theologia Naturali, *siue* Philosophia prima, *mutuo sumsi, & in eum libellum transtuli.* Facta adeo longo abhinc tempore huiusmodi declaratione, Auctor ab intemperantioris censurae aculeis tutus vtique esse debuisset.

(a) *Specim. Controvers.* cap. V. §. 25.

§. XII. Quin potius in scientia iuris, a diuina iustitia, tanquam fonte, humanam, vt plena sit, deriuari conuenit. Notio certe iusti non minus, quam veri ac boni, etiam ad Deum pertinet, immo ad Deum magis, tanquam mensuram ceterorum; communesque regulae vtique in scientiam cadunt, & in iurisprudentia vniuersali tradi debent; cuius praeceptis etiam Theologia Naturalis vtetur. Itaque Ius Naturale praeter rem coarctantibus adsentiri non possumus: quanquam is lapsus periculum non habeat, modo internam probitatem saltem alteri Philosophiae

parti serues, nec plane reuelatis praeceptis transcribas.

Iustitia diuina, & iustitia humana aliquid quidem inter se commune habent, nec vnquam inuicem sibi aduersantur; alioqui tamen tantum inter vtramque cum ratione originis, tum ratione ambitus intercedit discrimen, vt, accurate loquendo, diuinam iustitiam humanae fontem esse ac mensuram, dici nequeat. Deus enim natura sua iustus est, neque agere, neque agere velle, nisi iuste, potest; felix haec in ipso est impotentia, gloriosaque necessitas, ex infinita eius perfectione vnice oriunda. Homines contra tantum abest, vt natura sint iusti. Iustitia enim qualitas est, quam adquirere debent; eaque obligatio ipsis a principio aliquo externo, voluntate nempe Dei ipsius, non vero ab eius iustitia, prout mox videbimus, est imposita. Quin & iustitia humana prius cognoscitur, quam diuina; quemadmodum post Auctorem nostrum obseruaui ad J. N. & G. *Lib. II Cap. III* §. 5. *not.* 5. Quod vero ad ambitum adtinet, ipsa diuinae naturae excellentia efficit, vt eidem plures iustitiae humanae actus haudquaquam conuenire queant; id quod etiam Auctor animaduertit in locis scriptorum suorum Polemicorum, ad quae in nota modo citata Lectorem ablegaui. Anonymus, cui legenda ac refellenda singula isthaec fuissent, tenebitur omnino secundum ea, quae in fine huius paragraphi agnoscit, Auctorem nostrum saltem ab obiectione prolatae *parum tutae hypotheseos* liberare; cum ex loco ad praecedentem paragraphum allato manifestissimum fit, Auctorem a disciplinis philosophicis curam *internae probitatis* neutiquam exclusisse.

§. XIII. Hactenus de *fine* & *obiecto*: nunc superest, vt de *causa efficiente* Iuris Naturae, non bene ab Auctore constituta, dicam. Hanc enim ille non in rerum natura, rectaeque secundum hanc rationis prae-

ceptis

ceptis, a diuina mente emanantibus; sed (quod mirum, & contradictioni obnoxium videbitur) in superioris decreto quaerit. Nempe *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *officium* definitur, *actio hominis pro ratione obligationis ad praescriptum legum rite adtemperata.* Et mox *cap.* 11. §. 2. *Lex* definitur, *decretum, quo* superior *sibi subiectum obligat, vt ad istius praescriptum actiones suas componat.* Quae si admittimus, nemo sponte officium faciet; immo nullum erit officium, vbi nullus est superior, qui necessitatem imponat; neque erunt officia inter eos, qui superiorem non habent. Et quum Auctori officium, & actus a iustitia praescriptus, aeque late pateant, quia tota eius iurisprudentia naturalis in officii doctrina continetur; consequens erit, omne ius a superiore decerni. Quae paradoxa ab HOBBIO potissimum prodita, qui in statu, quem vocat, naturali, id est, superioris exsorte, omnem iustitiam obligantem tollere visus est, (etsi ipse variet) miror a quoquam adoptari potuisse. Ergone contra iustitiam non faciet summa potestate praeditus, qui tyrannice in suos grassabitur, qui subditos pro libidine spoliabit, affliget, per tormenta necabit; qui bellum alteri sine causa inferet?

Id, quod stilo scholastico, *causam efficientem* Iuris Naturae heic vocat Anonymus, nihil aliud est, quam ratio, propter quam ad conformandum sese naturalis legis praeceptis quis obligatur. Agnoscit vero Auctor noster, (nec praetermittendum illud silentio erat) quod ista praecepta, in se considerata, fundamentum suum in ipsa rerum natura habeant, ita vt Deus nihil contrarii, nisi ipse sibi aduersetur, praescribere potuerit. Vide J. N. & G. *Lib. I. Cap. II.* §. 5. 6. & quae ex reliquis eius scriptis excerpsi ad *Cap. I.* §. 4. *not.* 4. Verum statuit, considerationem naturae rerum non id esse, quod proprie ac directe necessitatem certo quodam modo potius, quam alio

 agendi,

agendi, imponat. Atque hic quidem Anonymus inuenisse se existimat, quare maximo cum successu Auctorem reprehenderet. At spero fore, vt sedulo expensis, quae a nobis adnotabuntur, liquido adpareat, nulla forte alia in parte eius censuram infirmiori niti fundamento.

Initio autem hoc obseruo, totum hunc paragraphum praeter rem adiectum esse, cum ipse fateatur Anonymus §. 15. ex Auctoris nostri sententia, omnes homines, in quocunque versentur statu, communi superiori, nempe Deo, subdi. Cur igitur finguntur vltro monstra, cum quibus congrediaris? Cur odiosa instituatur comparatio cum principiis HOBBII, quae Auctoris nostri principiis e diametro sunt opposita?

§. XIV. Hinc etiam nullum *ius gentium voluntarium* quidam viri docti, ab Auctore nostro persuasi, admittunt, ob eam inter alias rationem, quod pactis mutuis ius efficere gentes non possint; quia scilicet a nullo superiore valida reddatur obligatio. Quo argumento nimium efficient, vt scilicet nec consensu & pactis homines superiorem sibi constituere possint; cuius contrarium tamen ipse HOBBIVS agnouit.

Qui *ius gentium voluntarium*, ab Anonymo cum vulgo Iurisconsultorum Scholasticorum adoptatum, non immerito reiiciunt, non hac quidem nituntur ratione, quod gentes, quia desit communis superior, nullam inter se validam inire conuentionem possint; sed hoc adserunt, prout vtique verum est, *conuentiones* huiusmodi non esse leges proprie sic dictas, quia inter pares sint initae, cum e contrario a *superiore lex* omnis sit imposita. Contendunt porro iidem, (nec ostendit quisquam, aut ostensurus est contrarium) non exstare generalem omnium gentium conuentionem quoad res mere arbitrarias, circa quas versari suppositum illud ius

gentium

gentium deberet. Omnis vero, quae subesse potest obligatio quoad illa, quae eo referuntur, & vere arbitraria sunt; (aliqua enim horum capitum, quae isti gentium iuri adscribuntur, fundata deprehenduntur in ipso Iure (*a*) Naturae, adeoque gentium consensu non indigent) omnis, inquam, ista obligatio quoad res vere arbitrarias inde, meo iudicio, deriuatur, quod, cum apud plerosque populos, citra vllum quidem generale inter eos pactum, vsus easdem sensim introduxerit, hinc censeatur quis, ac censeri possit, velle se illi accommodare statim ac inita super aliqua eiusmodi re conuentione, non manifeste declarauerit, nolle se receptam consuetudinem sequi, quod quidem vnicuique liberum relictum erat. Haec sane obseruatio, cuius in notis meis ad GROTIVM frequens adplicatio deprehendetur, euertendis fautorum iuris gentium voluntarii maxime speciosis argumentis inseruiet.

(*a*) Vide I. N. & G. *Lib. II. Cap. III.* §. 23.

§. XV. Equidem medela aliqua videtur adferri posse huic doctrinae, considerando Deum velut omnium superiorem, quod etiam subinde fit ab Auctore. Nempe dicit aliquis, dogma offendere tantum specie prauitatis, si vero profundius introspicias, nihil mali deprehendi, quum semet corrigat, & remedium secum ferat; quoniam status sine superiore fingi quidem possit docendi gratia, existere autem non possit, quod omnes per naturam Deo subdantur. Ita iam & pacta hominum superiorem, & consensus gentium ius facient, Deo pactis validitatem praebente. Atque hoc quidem de Deo, natura omnium superiore, verissimum est: sed tamen ipsa per se doctrina offensione atque errore non caret, quae habet, ius decreto superioris nasci; vtcunque excuses. Nam vt taceam, quod (1) GROTIVS bene notauit, fore aliquam naturalem obligationem, etsi daretur, quod dari non potest,

§. XV. (1) De *Iure Belli ac Pacis, Prolegom.* §. 11.

poteſt, Deum nullum eſſe, aut licet diuina exiſtentia ſeponatur tantiſper; quoniam certe multa ab hominibus erga alios exigit propriae conſeruationis commoditatisque cura, quae HOBBIVS etiam pro parte adnotauit; & hoc obligationis vinculum latronum ſocietates exemplo ſuo confirmant, dum aliis hoſtes, inter ſe quaedam officia colere coguntur; quanquam, vt iam notaui, imperfectum ſit valde Ius Naturae, quod ex hoc ſolo fluat: haec, inquam, vt taceam, ſciendum eſt, Deum ipſum laudari, quod iuſtus eſt; adeoque eſſe quandam, immo potius eſſe ſummam ipſius Dei iuſtitiam, etſi ſuperiore careat, & ſponte naturae excellentis omnia bene agat, vt nemo de eo cum ratione queri poſſit. Neque ipſa norma actionum, aut natura iuſti, a libero eius decreto, ſed ab aeternis veritatibus, diuino intellectui obiectis, pendet, quae ipſa, vt ſic dicam, diuina eſſentia conſtituuntur: meritoque a Theologis Auctor reprehenſus eſt, quando contrarium defendit, credo, quod prauas conſequentias non perſpexiſſet. Neque enim iuſtitia eſſentiale Dei attributum erit, ſi ipſe ius & iuſtitiam arbitrio ſuo condidit. Et vero iuſtitia ſeruat quaſdam aequalitatis proportionalitatisque leges, non minus in natura rerum immutabili, diuinisque fundatas ideis, quam ſunt principia Arithmeticae ac Geometriae. Neque adeo iuſtitiam aut bonitatem quisquam diuini arbitrii eſſe defendet, niſi qui & veritatem: quod paradoxon inauditum CARTESIO excidit, inſigni documento, magnos poſſe viros magnopere labi; quaſi ſcilicet triangulum ſit trilaterum, aut duo contradictioria incompatibilia ſint, aut denique ipſe exiſtat Deus, quia ita Deus iuſſit. Sequeretur etiam, quod quidam imprudenter dixere, Deum iure poſſe damnare innocentem, quando hoc ipſum ius facere poterat. Nimirum qui talia excidere ſibi paſſi ſunt, non diſtinxere iuſtitiam ab ἀνυπευθυνίᾳ. Deus ob ſummam in omnia

poteſta-

potestatem est ἀνυπεύθυνος, quum nec cogi, nec puniri possit, neque rationibus cuiquam reddendis obnoxius sit; sed ob iustitiam ita agit, vt omni satisfaciat sapienti, & quod summum est, sibi.

Anonymus hic prima statim fronte non satis sibi constare videtur, cum tanquam benignioris alicuius iudicii testimonium spectari medela ista queat, qua allata Auctorem nostrum, non satis sibi consentaneum, malarum consequentiarum periculum praeuertisse innuit. Credas, (a) incidenter tantum, ac praeter scopum, Auctorem de Deo, ceu omnium hominum superiore, loqui. Sed nonne isti principio, velut (2) principali suo fundamento, vniuersum eius systema superstruitur? Inuitus quidem eloquor, at nihil tandem verius, nec id iuuerit dissimulasse, quod demonstrare iam ad oculum oportet, non intellectis satis Auctoris nostri principiis, Anonymum ad eius censuram descendisse, atque id in causa esse, quod statum quaestionis non rite formauerit.

(a) *Quod etiam subinde fit ab Auctore.*

Non haec Auctori nostro stat sententia, ac si id omne, quod *ius* vocatur aut *iustitia*, a *voluntate*, multo minus a voluntate *arbitraria* superioris emanet. De *iure* loquitur ac *iustitia*, quae entibus aliunde dependentibus conueniunt, & inuestigat normam *actionum humanarum*. Saepius repetiit, Deum summe esse iustum, & (3) constantissime iustitiae regulas, immensis suis perfectionibus conformes, sequi, ita quidem vt aliter agere neque velit, neque velle possit; atque ita etiam, vt propter eius independen-

(2) Vide *Cap. III.* huius Compendii §. 10. 11.

(3) Vide J. N. & G. Lib. II. Cap. I. §. 3. & Cap. III. §. 5. 20. nec non in *Erid. Scand. Apolog.* § 7. 8. *Specim. Controuers. Cap. IV.* §. 3. *seqq.* & *Cap. V.* tot. &c.

pendentiam nemini ius sit, vt hoc vel illo modo agat, exigendi, aut ad reddendam gestorum rationem eundem adstringendi. Agnouit quoque, nec respectu hominum, Creatoris licet imperio subiectorum; ius ac iustitiam ab arbitraria Dei voluntate constitui; nec potuisse Deum; saluis suis perfectionibus ac veritate, hominibus alias, quam iustitiae regulas, in natura ipsorum fundatas, praescribere. Verum statuit nihilominus, propriam ac directam rationem, quare ad sequendas iustitiae regulas homines *obligentur*; & quod ipsis *necessitatem* moralem iisdem sese conformandi imponat, esse voluntatem Dei, cui vt supremo Domino, naturalem eorum libertatem pro lubitu constringendi plenissimum ius competat.

Ita vero corruunt omnes illae *prauae consequentiae*, quas Anonymus, procliuior iusto scholasticorum quorundam *Theologorum*, qui superstitem adhuc Auctorem oppugnarunt, praeiudicatis opinionibus adfectibusque defendendis, eorum exemplo, ex innoxia omnino sententia, circa quam sinistrae interpretationes iam abunde retusae er[illegible]; elicere instituit. Et nunc quaestio huc redit: *an proximum & immediatum fundamentum necessitatis hominibus indispensabiliter incumbentis, ea faciendi, quae Deus certe vult ab ipsis fieri, sit illa ipsa Dei voluntas, an aliud quidpiam?*

Non satis sibi in principiis suis constat Anonymus: nam aut nimium, aut parum dicit. Fundamentum quippe obligationis ad obseruandum Ius Naturae collocat (§. 13.) in *ipsa rerum natura, recteque secundum hanc rationis praeceptis*; consistentibus (§. 15) in *quibusdam aequalitatis proportionalitatisque legibus*; & pro certo ponit, *aliquam fore naturalem obligationem, etsi daretur Deum nullum esse*. Attamen *ius, quod hoc solo fluat, valde imperfectum* praedicat; & restrictum ad id, quod *propriae conseruationis* commo-

commoditatisque cura exegerit. Iam istae *aequalitatis ac proportionalitatis leges*, ista *rectae secundum naturam rationis praecepta*, nonne in singulis, qualiacunque sint, officiis locum habent? Nullum excipit, aut excipere Anonymus potest. Admittere ergo necessum habet, exceptis quidem illis, quae directè Deum respiciunt, reliqua omnia, sublata etiam Dei existentia, in toto suo vigore substitura esse. Enimuero eadem semper natura rerum remanet: & quamuis de *ideis intellectus diuini* loquatur Anonymus, non in his tamen ideis naturam rerum, & relationes inde resultantes contemplamur; quemadmodum non in subtiliori aliqua Metaphysica, idonea Naturalis Iuris ac doctrinae moralis principia quaerenda sunt. Ast heic iterum, (vt iam supra §. 6.) Anonymus *honestum* cum *vtili* manifeste confundit; quod etiam ex allato *societatis latronum* exemplo apparet. An enim honestatis quadam lege adducti scelesti illi, praedam e. g. aequaliter inter se diuidunt? Quis credat, illos ducturos sibi religioni, aliquam, si fieri possit, portionem interuertere, aut si scrupulum senserint, hoc pro officio ab ipsis praestito habendum esse?

Nullum itaque datur medium: *obligatio* enim regularum iusti inter homines aut prorsus non pendet à Deo, ac vnice in ipsa rerum natura fundata est, sicuti *principia Arithmeticae ac Geometriae*; aut in natura rerum plane non fundatur. Iam vero natura rerum per se obligationem, proprie sic dictam, imponere nobis non potest. Qualiscunque se aequalitatis ac proportionalitatis, conuenientiae aut disconuenientiae relatio in natura rerum prodat, hoc solo nonnisi ad agnoscendam istam relationem inuitamur. Aliquid amplius requiritur, vt constringatur libertas nostra, ac ad componendas certo quopiam modo nostras actiones compellamur. Neque magis ratio in se considerata, & a Creatore, qui ea nos dotauit, abstrahens, iniicere nobis potest necessitatem indispensabilem;

istius-

istiusmodi ideas sequendi, etsi easdem, tanquam in natura rerum fundatas adprobet. 1. Enim abstractis hisce ac speculatiuis ideis adfectus sensibiles quasdam ac mouere aptas ideas opponunt; iidemque in compluribus actionibus, quibus aliqua disconuenientiae relatio inest, longe viuidiorem nobis relationem, sensumque voluptatis ipsas comitantem repraesentant, vel ipso, quo ad eas ferimur, momento. Si ab eiusmodi actionibus intellectus lumen nos auertat, multo validiore motu inclinatio voluntatis nos ad eas propellit. Cur ergo illud magis, quam hanc sequamur, si nullum existit principium externum, ac nullum ens nobis superius quod nos eo adstringat? Nonne, secundum hanc hypothesin, inclinatio voluntatis aeque naturalis est, ac ideae intellectus? Ratio, inquies, liquido nobis commonstrabit, quod obseruatis conuenientiae legibus, in natura rerum fundatis, prospecturi melius simus commodis nostris, quam si dirigi nos adfectibus patiamur. Ast, vt taceam, quae ex aduerso adfectus contra hanc vtilitatem proferre poterunt; non hic de *vtilitate* quaeritur, sed de *officio* ac *obligatione*. Fateor quidem, & iam supra obseruaui, si res debito modo exploretur, nos conuinci posse, vt ob manifestum commodum dictamini rationis aurem praebeamus. Nonne vero propterea liberum cuiuis relinquitur, renunciare commodis suis, dum partim nihil praeterea est, quod prohibeat, partim nemo alius existit, cuius intersit, ne quid contra propriam vtilitatem committamus, & cui ius competat exigendi, vt eam procuremus? Adeoque neglectis conuenientiae ideis, in natura rerum fundatis, *imprudenter* tan- [illegible] actum erit, neque imprudentia heic [illegible] *[illegible]o*, proprie sic dicto, quandoquidem [illegible]it officium, adhuc inquirimus.

2. Ve-

2. Verum & illud inprimis sedulo adtendendum, ac euertendae contrariae opinioni sufficit, quod ratio nostra, extra omnem a Creatore, cui eam acceptam referimus, dependentiam considerata, reuera nihil aliud sit, quam nos ipsi. Iam vero nemo sibi ipsi necessitatem indispensabilem hoc vel illo modo agendi, aut non agendi, imponere potest. Vt enim vere locum habeat necessitas, requiritur procul dubio, ne arbitrio eius, qui eidem subiectus est, tolli queat; alioqui in nihilum ipsa abierit. Si ergo is, cui imposita est necessitas, ille ipse sit, qui eam imposuit, liberari eadem, quotiescunque libuerit, poterit; vel potius nulla aderit vera *obligatio:* pari ratione ac transeuntibus in *debitorem* bonis ac iuribus *creditoris*, nullum amplius adest *debitum*. Paucis olim SENECA hoc ita extulit: *Nemo sibi debet*, accurate scilicet loquendo, *hoc verbum*, debere, *non habet nisi inter duos locum*. *De Benefic. Lib. V Cap VIII*

Concludo exinde, rationis etiam dictamina, quantumuis naturae rerum conformia, nihil in se habere quod *obliget*, donec illa ipsa ratio nobis auctorem existentiae ac naturae rerum omnium detexerit. Sed quaerendum nunc est, vnde tum proueniat *obligatio*, an a voluntate Dei, an ab alia quapiam re in ipso existente?

Heic vero haud videtur mihi vade esse ambigendum. Statim enim ac rectam de Deo notionem quis habuerit, non poterit non ius, quod ipsi competat, facultatibus nobis concessis, quos libet, limites constituendi, agnoscere. Neque minus poterit non hanc amplecti sententiam, ipsum certo *velle* vt homines lumen suae rationis vtpote quod in ipsis sit praestantissimum, sequantur, & quod solum eos ad propositum naturae [illegible]nem perducere queat. In ipsius porro *voluntate*, [illegible] ad fundandam *obligationem* pertinet, depre[illegible] [illegible] ea voluntas sit supremi omni[illegible] [illegible]temque voluntas, cum vni[illegible] [illegible]ectionibus nunquam non

consentiens. Cur ergo aliud principium quaeramus, quam istud, quod omnium patet captui, ac tam naturaliter ex relatione inter *creatorem* & *creaturam* consequitur?

Qualecunque aliud Numinis diuini adtributum sume, idque ab eiusdem voluntate seiunge, non solidius in eo *obligationis* fundamentum, quam in ipsa natura rerum inuenies. Si, quod impossibile est, concipere, *Epicureorum* more, Numen liceret, nulla tactum cura, an homines modo naturae rerum aeque ac propriae conformi agerent, nec ne; talis Numinis consideratio vna cum omnibus alioquin in ipso elucentibus perfectionibus infinitis, ad summum nil, nisi exemplum nobis suppeditaret: at vero exemplum per se nihil habet, quod absolutam imitandi imponat necessitatem. Vel potius, nisi supposueris, Deum *velle*, vt homines, ac vniuersae creaturae intelligentes, leges iusti inter se obseruent, quo eius abierit iustitia? erga quem eam exercuerit? cui vsui inservierit? Sanctusne fuerit & iustus, si an tales homines sint nec ne, perinde ipsi fuerit, & nisi eos ad hoc ipsum strictissime *obliget*?

Si dicas, quod ipsos ad hoc *obliget*, etsi iam ante eius *voluntatem* obligati fuerint, hoc ipso diceres istam voluntatem heic nihil aliud esse, quam aliquid accessorium, quod ad summum *obligationem* saltem validiorem reddat. Hoc foret ambitum imminuere supremae eius auctoritatis, eamque ad imperium rerum in se indifferentium restringere. Hoc foret non maiorem voluntati Numinis quoad iusti regulas vim adscribere, quam principis, patris, heri, aut cuiuscunque alterius in his terris superioris, qui potestati suae obnoxios vult homines esse probos. Denique an in sacris litteris quicquam est vsitatius, quam vt obseruatio officii, & virtutis cura, per *impletionem voluntatis diuinae* exprimatur? Si vero exemplum suum (a) subinde Deus imitandum proponit, hoc testari voluit, se nihil ab hominibus exigere, quod non ipse faciat, quantum ad sup-

(a) Matt. V, 48. Luc. VI, 36.

supremae suae perfectiones postulent aut patiantur; (b) *Matt.* seque adeo (*b*) *asperum dominum* non esse. XXV. 24.

§. XVI. Atque hoc etiam non parum ad praxin verae pietatis facit. Neque enim sufficit, ita nos Deo submissos esse, vti etiam tyranno obediremus; nec tantum timendus est ille ob magnitudinem, sed etiam amandus ob bonitatem: quae non magis a scriptura sacra, quam á recta ratione praecipiuntur. Atque huc ducunt meliora vniuersalis iurisprudentiae principia, quae etiam cum sana Theologia conspirant, & ad veram virtutem excitant. Tantumque abest, vt qui non spe aut metu a superiore, sed propensione animi recte agit, iuste non agat, vt ipse potissimum iuste agat, quadam diuinae iustitiae humana imitatione. Nam qui amore Dei aut proximi benefacit, in ipso recte facto inuenit voluptatem, (ea enim amoris natura est) neque alio stimulo indiget, aut iussu superioris opus habet: ac de tali dictum est, (*a*) *legem iusto positam non esse.* Vsque adeo abhorret a ratione, solam legem aut coactionem iustum facere: tametsi fatendum sit, eos, quorum animus eo perfectionis non deuenit, non nisi spe metuque obligari; & in diuinae maxime vindictae exspectatione, quam nec morte effugere detur, necessitatem plenam & in omnes valituram seruandi iuris & aequi posse inueniri. (*a*) 1. *Tim*oth. I. 9.

Haec monita principiis Auctoris nostri neutiquam aduersantur; aliqua etiam a statu quaestionis abeunt. Quamuis enim *obligatio*, proprie sic dicta, ad regulas *iusti* obseruandas, fundetur in voluntate Dei, qui tanquam supremus dominus, necessitate indispensabili nos eo adstringat; haudquaquam tamen inde sequitur, Deo tanquam *tyranno*, nec nisi ob metum obediendum esse. Ac nimis profecto liberalis est Anonymus in eliciendis odiosis consequentiis ex principiis, quibus id contigit infortunii, vt ipsi displiceant. Quicunque veram de Deo notionem habet, intelligit, ipsum bonum aeque ac magnum, eiusque voluntatem perfectionibus ipsius necessario conformem esse; & con-

ſequenter ſapientem ac ſanctam, & quae nil velle queat, niſi quod non ſolum iuſtum, ſed & nobis proficuum eſt. Ita vt Deo, etiam cum nobis res in ſe indifferentes iniungit, veluti patri optimo, & nullatenus tanquam tyranno obtemperare debeamus. Conformare ſeſe ad ſanctiſſimam iſtam ac optimam voluntatem, cui nos ſubiectos eſſe agnoſcimus, hoc eſt *ex officio agere*; hoc vniuerſis hominibus neceſſitatem moralem, citra omnem alium reſpectum, imponit. Spes aut metus ſunt tantum rationes, quibus ad praxin *officii* exſtimulemur, & quibus inhaerentem nobis forte repugnantiam ſuperemus, ac in vehementioribus tentationibus ſuffulciamur.

Aliena itaque a propoſito quaeſtio eſt, vter agat iuſtius, iſtene qui ſpe aut metu ad faciendum officium impellitur, an qui ex propenſione animi recte agit? Felix autem haec propenſio, vt ſit laudabilis, procul dubio clara eſſe debet, & conſequenter producta a vera notione cum ipſius officii, tum Numinis, in quo ſeparari recte non poteſt relatio Creatoris ac Rectoris generis humani, ab eiusdem *voluntate*, eo pertinente, vt homines iuſtitiae leges, naturae ſuae conformes, ſequantur.

Vt adferretur aliquid, principiis Auctoris noſtri contrarium, quaerendum fuiſſet, vter ſit iuſtior, iſtene, qui virtuti dat operam, ideo quod ab ſanctiſſima Dei voluntate impoſitam ſibi eam obligationem credit; an vero qui inſcius aut immemor, ſe pendere a Deo, eumque velle, vt ad virtutis leges ſeſe adtemperet, ipſas tanquam meras conuenientiae regulas, in natura rerum, aut etiam *in ideis aeternarum veritatum, diuino intellectui obiectarum*, fundatas obſeruat? Quam quaeſtionem tamen Anonymo decidendam relinquo.

Obſeruabo tantum occaſione commemoratae ab eo propenſionis in bonum, inſignem quidem in Deo eſſe perfectionem, quod non niſi modo naturae ſuae conuenienti agere queat; verum quod ad homines attinet, eſſentialiter imperfectos ac legi alicui ſubiectos,

(1) res

(1) res est felicitatis potius, quam meriti, si qui naturae aut educationis beneficio talem consecuti sunt dispositionem, vt sine omni labore ad faciendum officium ferantur. Ita quidem vt, qui deprehensis vel in naturali sua constitutione, vel in praua ob educationem neglectam contracta ab infantia dispositione, ingentibus obstaculis, eadem vincere nititur, ac tandem reuera vincit, is profecto *iustior* sit, ac laudabilior altero, cui, vt in bonum virum euaderet, gratis prope modum constitit.

Ex his omnibus autem, quae attuli, prorsus euanescit commoditas, quam prae Auctoris nostri systemate, Anonymus *ex suo ratione praxeos verae pietatis* sibi pollicetur. Nam e contrario certissimum ipsi, quod a partibus nostris stat, commodum opponere possumus. Nempe quod vtrumque illud vitiosum extremum, in quod circa hanc materiam multi illapsi sunt, aeque euitemus; quorum alterum est falsa opinio illorum Philosophorum ac Theologorum, qui statuerunt, pendere iustum a voluntate Dei mere arbitraria, & posse ipsum, si velit, contrarium iustum efficere; alterum est eorum opinio, qui iustum concipientes, tanquam a voluntate Dei haud dependens, idque vnice in natura rerum fundantes, virtutem quoque tanquam a religione haud pendentem ac Atheismum, tanquam systema, quod alioqui morali doctrinae ac Iuri Naturali omnem suam vim relinquat, repraesentarunt. Constat, quanto nisu BAYLIUS, Atheorum causam agens, ostendere conatus sit, (a) *posse illos credere se obligatos ad sequendas rectae rationis ideas, tanquam regulam boni Moralis a bono vtili distincti.*

(a) *Contin. cogit. circa cometam,* §. XVII. art CLII.

§. XVI. (1) *Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii secum habuit: hunc quidem de se melius meruisse, qui malignitatem naturae suae vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit* SENEC. Epist. LII. Vide etiam quae ibi antecedunt.

§. XVII. Ex his intelligi datur, quantum iuuentutis, immo reipublicae intersit, meliora scientiae iuris principia constitui. Neque recte d. c. II. §. 4. dicitur, *Superiorem non agnoscenti neminem necessitatem iniicere posse*: quasi non quaedam ipsa exigat natura rerum, curaque propriae felicitatis & salutis; & multa nobis imperat ipsa ratio, vt naturae melioris ductum sequamur, ne nobis vel malum accersamus, vel bonum intercipiamus. Hoc rationis praeceptum omne, quum simul alios spectat, quorum id refert, ad iustitiam pertinet. Et vero licet quidam *officium* latius accipiant, de omni scilicet virtutis actu, etiam quum aliorum nihil interest, aut an eorum intersit, non consideratur; quo sensu dici potest, ad nostrum quoque *officium* pertinere *fortitudinem* & *temperantiam*, verbi gratia, vt valetudinem curemus, quum culpentur merito, qui non faciunt: non adspernor tamen vsum Auctoris nostri, qui officium ad ea restringit, quae a iure desiderantur.

Euersis iam falsis consequentiis, quae Auctoris nostri principiis adfingebantur, ostensaque ex aduerso firmissima eorundem soliditate, possum, vt opinor, hanc quoque conclusionem Anonymi nullam pronunciare, atque adserere e contrario, citra damnum vel iuuentutis, vel reipublicae, hocce compendium *de Officiis Hominis & Ciuis*, omnibus Iuris Naturae studiosis posse commendari. Si non ab omni prorsus naeuo est immune, saltem nihil continet periculosi. Optima in vniuersum eius sunt principia; nec difficile foret commonstrare, mutatis hinc inde paucis tantum lineis, corrigi id, quod non prorsus accuratum est, posse. Fas est omnino, vt aequiores simus, ac minus promti damnandis propter aliquos defectus aliorum operibus: spectat enim hoc ad omnium, qui publice scribere instituunt, vtilitatem.

Taedet me amplius repetere, confundere semper Anonymum *conuenientiam* cum *obligatione*, ac *vtilitatem* cum *officio*. Videamus interea, an obseruatio-

d:

de vario vocis, *officii*, vsu, insigni alicui inuento, quemadmodum in paragrapho sequenti promittitur, locum praebuerit.

§. XVIII. Sed eius rei rationem habeo parum Auctori agnitam. Quoniam nempe in generali societate, sub Rectore Deo, omnis virtus, vt iam plus semel diximus, iustitiae vniuersalis obligationibus continetur; neque actus tantum externi, sed etiam omnes adfectus nostri certissima iuris regula diriguntur; & digne de iure philosophanti non tantum humanae tranquillitatis, sed etiam diuinae amicitiae ratio habetur, cuius possessio nobis duraturam felicitatem spondet. Non nobis tantum nati sumus; sed partem nostri sibi alii vindicant, Deus totum.

Quod heic Anonymus pro peculiari quadam sua sententia, adeoque *nostro Auctori parum agnita*, venditat, hoc nihil aliud est, quam veterum (1) Philosophorum *Stoicorum* idea. Atque idem hoc Auctori nostro parum adeo ignotum fuit, vt potius expresse de eo loquatur, tanquam de idea, quam non reiicit quidem, sed pro *populari* tamen habet: (2) *si popularia*, ait, *ad rem quid facerent, dici quoque posset, hunc mundum magnam esse ciuitatem, cuius supremus Rector Deus est*. Adeoque idem Anonymi systemati, quod plurium aliorum recentiorum systematibus accidit, qui dum proferre aliquid noui voluerunt, nil fere, nisi loquendi rationem mutauere, ita vt re ipsa ad Auctoris nostri systema redeant. Enimuero *iustitia illa vniuersalis* in *generali societate* omnium hominum

 sub

§. XVIII. (1) *Duas respublicas animo complectamur alteram magnam & vere publicam, qua Dii atque homines continentur; in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostrae cum sole metimur: alteram, cui nos adscripsit conditio nascendi.* SENEC. *de otio Sapientis, Cap* XXXI.

(2) *Specim. controuers. Cap. IV* §. 7.

pendentiam nemini ius sit, vt hoc vel illo modò agat, exigendi; aut ad reddendam gestorum rationem eundem adstringendi. Agnouit quoque, nec respectu hominum, Creatoris licet imperio subiectorum; ius ac iustitiam ab arbitraria Dei voluntate constitui; nec potuisse Deum; saluis suis perfectionibus ac veritate, hominibus alias, quam iustitiae regulas, in natura ipsorum fundatas, praescribere. Verum statuit nihilominus, propriam ac directam rationem, quare ad sequendas iustitiae regulas homines *obligentur*; & quod ipsis *necessitatem* moralem iisdem sese conformandi imponat, esse voluntatem Dei, cui vt supremo Domino, naturalem eorum libertatem pro lubitu constringendi plenissimum ius competat.

Ita vero corruunt omnes illae *prauae consequentiae*; quas Anonymus, procliuior iusto scholasticorum quorundam *Theologorum*, qui superstitem adhuc Auctorem oppugnarunt, praeiudicatis opinionibus adfectibusque defendendis, eorum exemplo, ex innoxia omnino sententia, circa quam sinistrae interpretationes iam abunde teтusae er··t; elicere instituit. Et nunc quaestio huc redit: *an proximum & immediatum fundamentum necessitatis hominibus indispensabiliter incumbentis, ea faciendi, quae Deus certe vult ab ipsis fieri, sit illa ipsa Dei voluntas, an aliud quidpiam?*

Non satis sibi in principiis suis constat Anonymus: nam aut nimium, aut parum dicit. Fundamentum quippe obligationis ad obseruandum Ius Naturae collocat (§. 13.) in *ipsa rerum natura, rectaeque secundum hanc rationis praeceptis*; consistentibus (§. 15) in *quibusdam aequalitatis proportionalitatisque legibus*; & pro certo ponit, *aliquam fore naturalem obligationem; etsi daretur Deum nullum esse*. Attamen *ius; quod hoc solo fluat, valde imperfectum* praedicat; & restrictum ad id; quod *propriae conseruationis*

commo-

commoditatisque cura exegerit. Iam istae *aequalitatis ac proportionalitatis leges*, ista *rectae secundum naturam rationis praecepta*, nonne in singulis, qualiacunque sint, officiis locum haben? Nullum excipit, aut excipere Anonymus potest. Admittere ergo necessum habet, exceptis quidem illis, quae directè Deum respiciunt, reliqua omnia, sublata etiam Dei existentia, in toto suo vigore substitura esse. Enimuero eadem semper natura rerum remanet: & quamuis de *ideis intellectus diuini* loquatur Anonymus, non in his tamen ideis naturam rerum, & relationes indè resultantes contemplamur; quemadmodum non in subtiliori aliqua Metaphysica, idonea Naturalis Iuris ac doctrinae moralis principia quaerenda sunt. Ast heic iterum, (vt iam supra §. 6.) Anonymus *honestum* cum *vtili* manifeste confundit; quod etiam ex allato *societatis latronum* exemplo apparet. An enim honestatis quadam lege adducti scelesti illi, praedam e. g. aequaliter inter se diuidunt? Quis credat, illos ducturos sibi religioni, aliquam, si fieri possit, portionem interuertere, aut si scrupulum senserint, hoc pro officio ab ipsis praestito habendum esse?

Nullum itaque datur medium: *obligatio* enim regularum iusti inter homines aut prorsus non pendet a Deo, ac vnice in ipsa rerum natura fundata est, sicuti *principia Arithmeticae ac Geometriae*; aut in natura rerum plane non fundatur. Iam vero natura rerum per se obligationem, propriè sic dictam, imponere nobis non potest. Qualiscunque se aequalitatis ac proportionalitatis, conuenientiae aut disconuenientiae relatio in natura rerum prodat, hoc solo nonnisi ad agnoscendam istam relationem inuitamur. Aliquid amplius requiritur, vt constringatur libertas nostra, ac ad componendas certo quopiam modo nostras actiones compellamur. Neque magis ratio in se considerata, & a Creatore, qui ea nos dotauit, abstrahens, iniicere nobis potest necessitatem indispensabilem;

istius

istiusmodi ideas sequendi, etsi easdem, tanquam in natura rerum fundatas adprobet. 1. Enim abstractis hisce ac speculatiuis ideis adfectus sensibiles quasdam ac mouere aptas ideas opponunt; iidemque in compluribus actionibus, quibus aliqua dis. conuenientiae relatio inest, longe viuidiorem nobis relationem, sensumque voluptatis ipsas comitantem repraesentant, vel ipso, quo ad eas ferimur, momento. Si ab eiusmodi actionibus intellectus lumen nos auertat, multo validiore motu inclinatio voluntatis nos ad eas propellit. Cur ergo illud magis, quam hanc sequamur, si nullum existit principium externum, ac nullum ens nobis superius quod nos eo adstringat? Nonne, secundum hanc hypothesin, inclinatio voluntatis aeque naturalis est, ac ideae intellectus? Ratio, inquies, liquido nobis commonstrabit, quod obseruatis conuenientiae legibus, in natura rerum fundatis, prospecturi melius simus commodis nostris, quam si dirigi nos adfectibus patiamur. Ast, vt taceam, quae ex aduerso adfectus contra hanc vtilitatem proferre poterunt; non hic de *vtilitate* quaeritur, sed de *officio* ac *obligatione*. Fateor quidem, & iam supra obseruaui, si res debito modo exploretur, nos conuinci posse, vt ob manifestum commodum dictamini rationis aurem praebeamus. Nonne vero propterea liberum cuiuis relinquitur, renunciare commodis suis, dum partim nihil praeterea est, quod prohibeat, partim nemo alius existit, cuius intersit, ne quid contra propriam vtilitatem committamus, & cui ius competat exigendi, vt eam procuremus? Adeoque neglectis conuenientiae ideis, in natura rerum fundatis, *imprudenter* tantum a nobis actum erit, neque imprudentia heic opponitur *officio*, proprie sic dicto, quandoquidem an aliquod adsit officium, adhuc inquirimus.

2. Ve-

2. Verum & illud inprimis sedulo adtendendum, ac euertendae contrariae opinioni sufficit, quod ratio nostra, extra omnem a Creatore, cui eam acceptam referimus, dependentiam considerata, reuera nihil aliud sit, quam nos ipsi. Iam vero nemo sibi ipsi necessitatem indispensabilem hoc vel illo modo agendi, aut non agendi, imponere potest. Vt enim vere locum habeat necessitas, requiritur procul dubio, ne arbitrio eius, qui eidem subiectus est, tolli queat; alioqui in nihilum ipsa abierit. Si ergo is, cui imposita est necessitas, ille ipse sit, qui eam imposuit, liberari eadem, quotiescunque libuerit, poterit; vel potius nulla aderit vera *obligatio:* pari ratione ac transeuntibus in *debitorem* bonis ac iuribus *creditoris*, nullum amplius adest *debitum*. Paucis olim SENECA hoc ita extulit: *Nemo sibi debet*, accurate scilicet loquendo, *hoc verbum*, debere, *non habet nisi inter duos locum*. *De Benefic. Lib. V Cap VIII*

Concludo exinde, rationis etiam dictamina, quantumuis naturae rerum conformia, nihil in se habere quod *obliget*, donec illa ipsa ratio nobis auctorem existentiae ac naturae rerum omnium detexerit. Sed quaerendum nunc est, vnde tum proueniat *obligatio*, an a voluntate Dei, an ab alia quapiam re in ipso existente?

Heic vero haud videtur mihi valde esse ambigendum. Statim enim ac rectam de Deo notionem quis habuerit, non poterit non ius, quod ipsi competat, facultatibus nobis concessis, quos lubet, limites constituendi, agnoscere. Neque minus poterit non hanc amplecti sententiam, ipsum certo *velle* vt homines lumen suae rationis vtpote quod in ipsis sit praestantissimum, sequantur, & quod solum eos ad propositum naturae suae finem perducere queat. In ipsius porro *voluntate*, quicquid ad fundandam *obligationem* pertinet, deprehenditur; quippe cum ea voluntas sit supremi omnium hominum domini, itemque voluntas, cum vniversis diuinae naturae perfectionibus nunquam non

consentiens. Cur ergo aliud principium quaeramus, quam istud, quod omnium patet captui, ac tam naturaliter ex relatione inter *creatorem* & *creaturam* consequitur?

Qualecunque aliud Numinis diuini adtributum sume, idque ab eiusdem voluntate seiunge, non solidius in eo *obligationis* fundamentum, quam in ipsa natura rerum inuenies. Si, quod impossibile est, concipere, *Epicureorum* more, Numen liceret, nulla tactum cura, an homines modo naturae rerum aeque ac propriae conformi agerent, nec ne; talis Numinis consideratio vna cum omnibus alioquin in ipso elucentibus perfectionibus infinitis, ad summum nil, nisi exemplum nobis suppeditaret: at vero exemplum per se nihil habet, quod absolutam imitandi imponat necessitatem. Vel potius, nisi supposueris, Deum *velle*, vt homines, ac vniuersae creaturae intelligentes, leges iusti inter se obseruent, quo eius abierit iustitia? erga quem eam exercuerit? cui vsui inservierit? Sanctusne fuerit & iustus, si an tales homines sint nec ne, perinde ipsi fuerit, & nisi eos ad hoc ipsum strictissime *obliget*?

Si dicas, quod ipsos ad hoc *obliget*, etsi iam ante eius *voluntatem* obligati fuerint, hoc ipso diceres istam voluntatem heic nihil aliud esse, quam aliquid accessorium, quod ad summum *obligationem* saltem validiorem reddat. Hoc foret ambitum imminuere supremae eius auctoritatis, eamque ad imperium rerum in se indifferentium restringere. Hoc foret non maiorem voluntati Numinis quoad iusti regulas vim adscribere, quam principis, patris, heri, aut cuiuscunque alterius in his terris superioris, qui potestati suae obnoxios vult homines esse probos. Denique an in sacris litteris quicquam est vsitatius, quam vt obseruatio officii, & virtutis cura, per *impletionem voluntatis diuinae* exprimatur? Si vero exemplum suum (*a*) subinde Deus imitandum proponit, hoc testari voluit, se nihil ab hominibus exigere, quod non ipse faciat, quantum id supre-

(*a*) *Matt.* V. 48 *Luc.* VI, 36.

supremae suae perfectiones postulent aut patiantur; (b) *Matt.*
seque adeo (b) *asperum dominum* non esse. XXV.

§. XVI. Atque hoc etiam non parum ad praxin ve 24.
rae pietatis facit. Neque enim sufficit, ita nos Deo submissos esse, vti etiam tyranno obediremus; nec tantum timendus est ille ob magnitudinem, sed etiam amandus ob bonitatem: quae non magis a scriptura sacra, quam á recta ratione praecipiuntur. Atque huc ducunt meliora vniuersalis iurisprudentiae principia, quae etiam cum sana Theologia conspirant, & ad veram virtutem excitant. Tantumque abest, vt qui non spe aut metu a superiore, sed propensione animi recte agit, iuste non agat, vt ipse potissimum iuste agat, quadam diuinae iustitiae humana imitatione. Nam qui amore Dei aut proximi benefacit, in ipso recte facto inuenit voluptatem, (ea enim amoris natura est) neque alio stimulo indiget, aut iussu superioris opus habet: ac de tali dictum est, (a) *legem iusto posi-* (a) 1. *Ti-*
tam non esse. Vsque adeo abhorret a ratione, solam *moth.* I.
legem aut coactionem iustum facere: tametsi fatendum sit, eos, quorum animus eo perfectionis non 9.
deuenit, non nisi spe metuque obligari; & in diuinae maxime vindictae exspectatione, quam nec morte effugere detur, necessitatem plenam & in omnes valituram seruandi iuris & aequi posse inueniri.

Haec monita principiis Auctoris nostri neutiquam aduersantur; aliqua etiam a statu quaestionis abeunt. Quamuis enim *obligatio*, proprie sic dicta, ad regulas *iusti* obseruandas, fundetur in voluntate Dei, qui tanquam supremus dominus, necessitate indispensabili nos eo adstringat; haudquaquam tamen inde sequitur, Deo tanquam *tyranno*, nec nisi ob metum obediendum esse. Ac nimis profecto liberalis est Anonymus in eliciendis odiosis consequentiis ex principiis, quibus id contigit infortunii, vt ipsi displiceant. Quicunque veram de Deo notionem habet, intelligit, ipsum bonum aeque ac magnum, eiusque voluntatem perfectionibus ipsius necessario conformem esse; & con-

sequenter sapientem ac sanctam, & quae nil velle queat, nisi quod non solum iustum, sed & nobis proficuum est. Ita vt Deo, etiam cum nobis res in se indifferentes iniungit, veluti patri optimo, & nullatenus tanquam tyranno obtemperare debeamus. Conformare sese ad sanctissimam istam ac optimam voluntatem, cui nos subiectos esse agnoscimus, hoc est *ex officio agere*; hoc vniuersis hominibus necessitatem moralem, citra omnem alium respectum, imponit. Spes aut metus sunt tantum rationes, quibus ad praxin *officii* exstimulemur, & quibus inhaerentem nobis forte repugnantiam superemus, ac in vehementioribus tentationibus suffulciamur.

Aliena itaque a proposito quaestio est, vter agat iustius, istene qui spe aut metu ad faciendum officium impellitur, an qui ex propensione animi recte agit? Felix autem haec propensio, vt sit laudabilis, procul dubio clara esse debet, & consequenter producta a vera notione cum ipsius officii, tum Numinis, in quo separari recte non potest relatio Creatoris ac Rectoris generis humani, ab eiusdem *voluntate*, eo pertinente, vt homines iustitiae leges, naturae suae conformes, sequantur.

Vt adferretur aliquid, principiis Auctoris nostri contrarium, quaerendum fuisset, vter sit iustior, istene, qui virtuti dat operam, ideo quod ab sanctissima Dei voluntate impositam sibi eam obligationem credit; an vero qui inscius aut immemor, se pendere a Deo, eumque velle, vt ad virtutis leges sese adtemperet, ipsas tanquam meras conuenientiae regulas, in natura rerum, aut etiam *in ideis aeternarum veritatum, diuino intellectui obiectarum*, fundatas obseruat? Quam quaestionem tamen Anonymo decidendam relinquo.

Obseruabo tantum occasione commemoratae ab eo propensionis in bonum, insignem quidem in Deo esse perfectionem, quod non nisi modo naturae suae conuenienti agere queat; verum quod ad homines attinet, essentialiter imperfectos ac legi alicui subiectos,

(1) res

(1) res est felicitatis potius, quam meriti, si qui naturae aut educationis beneficio talem consecuti sunt dispositionem, vt sine omni labore ad faciendum officium ferantur. Ita quidem vt, qui deprehensis vel in naturali sua constitutione, vel in praua ob educationem neglectam contracta ab infantia dispositione, ingentibus obstaculis, eadem vincere nititur, ac tandem reuera vincit, is profecto *iustior* sit, ac laudabilior altero, cui, vt in bonum virum euaderet, gratis prope modum constitit.

Ex his omnibus autem, quae attuli, prorsus euanescit commoditas, quam prae Auctoris nostri systemate, Anonymus *ex suo ratione praxeos verae pietatis* sibi pollicetur. Nam e contrario certissimum ipsi, quod a partibus nostris stat, commodum opponere possumus. Nempe quod vtrumque illud vitiosum extremum, in quod circa hanc materiam multi illapsi sunt, aeque euitemus; quorum alterum est falsa opinio illorum Philosophorum ac Theologorum, qui statuerunt, pendere iustum a voluntate Dei mere arbitraria, & posse ipsum, si velit, contrarium iustum efficere; alterum est eorum opinio, qui iustum concipientes, tanquam a voluntate Dei haud dependens, idque vnice in natura rerum fundantes, virtutem quoque tanquam a religione haud pendentem ac Atheismum, tanquam systema, quod alioqui morali doctrinae ac Iuri Naturali omnem suam vim relinquat, repraesentarunt. Constat, quanto nisu BAYLIVS, Atheorum causam agens, ostendere conatus sit, (a) *Compossse illos credere se obligatos ad sequendas rectam rationem, tanquam regulam boni Moralis a bono vtili distincti.*

(a) *Contin. cogit. circa cometam,* §. XVII. art CLII.

§. XVI. (1) *Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii secum habuit: hunc quidem de se melius me ruisse, qui malignitatem naturae suae vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit* SENEC, Epist. LII. Vide etiam quae ibi antecedunt.

§. XVII. Ex his intelligi datur, quantum iuuentutis, immo reipublicae intersit, meliora scientiae iuris principia constitui. Neque recte d. c. II. §. 4. dicitur, *Superiorem non agnoscenti neminem necessitatem iniicere posse*: quasi non quaedam ipsa exigat natura rerum, curaque propriae felicitatis & salutis; & multa nobis imperat ipsa ratio, vt naturae melioris ductum sequamur, ne nobis vel malum accersamus, vel bonum intercipiamus. Hoc rationis praeceptum omne, quum simul alios spectat, quorum id refert, ad iustitiam pertinet. Et vero licet quidam *officium* latius accipiant, de omni scilicet virtutis actu, etiam quum aliorum nihil interest, aut an eorum intersit, non consideratur; quo sensu dici potest, ad nostrum quoque *officium* pertinere *fortitudinem* & *temperantiam*, verbi gratia, vt valetudinem curemus, quum culpentur merito, qui non faciunt: non adspernor tamen vsum Auctoris nostri, qui officium ad ea restringit, quae a iure desiderantur.

Euersis iam falsis consequentis, quae Auctoris nostri principiis adfingebantur, ostensaque ex aduerso firmissima eorundem soliditate, possum, vt opinor, hanc quoque conclusionem Anonymi nullam pronunciare, atque adserere e contrario, citra damnum vel iuuentutis, vel reipublicae, hocce compendium *de Officiis Hominis & Ciuis*, omnibus Iuris Naturae studiosis posse commendari. Si non ab omni prorsus naeuo est immune, saltem nihil continet periculosi. Optima in vniuersum eius sunt principia; nec difficile foret commonstrare, mutatis hinc inde paucis tantum lineis, corrigi id, quod non prorsus accuratum est, posse. Fas est omnino, vt aequiores simus, ac minus promti damnandis propter aliquos defectus aliorum operibus: spectat enim hoc ad omnium, qui publice scribere instituunt, vtilitatem.

Taedet me amplius repetere, confundere semper Anonymum *conuenientiam* cum *obligatione*, ac *vtilitatem* cum *officio*. Videamus interea, an obseruatio

de

de vario vocis, *officii*, vsu, insigni alicui inuento, quemadmodum in paragrapho sequenti promittitur, locum praebuerit.

§. XVIII. Sed eius rei rationem habeo parum Auctori agnitam. Quoniam nempe in generali societate, sub Rectore Deo, omnis virtus, vt iam plus semel diximus, iustitiae vniuersalis obligationibus continetur; neque actus tantum externi, sed etiam omnes adfectus nostri certissima iuris regula diriguntur; & digne de iure philosophanti non tantum humanae tranquillitatis, sed etiam diuinae amicitiae ratio habetur, cuius possessio nobis duraturam felicitatem spondet. Non nobis tantum nati sumus; sed partem nostri sibi alii vindicant, Deus totum.

Quod heic Anonymus pro peculiari quadam sua sententia, adeoque *nostro Auctori parum agnita*, venditat, hoc nihil aliud est, quam veterum (1) Philosophorum *Stoicorum* idea. Atque idem hoc Auctori nostro parum adeo ignotum fuit, vt potius expresse de eo loquatur, tanquam de idea, quam non reiicit quidem, sed pro *populari* tamen habet: (2) *si popularia*, ait, *ad rem quid facerent, dici quoque posset, hunc mundum magnam esse ciuitatem, cuius supremus Rector Deus est.* Adeoque idem Anonymi systemati, quod plurium aliorum recentiorum systematibus accidit, qui dum proferre aliquid noui voluerunt, nil fere, nisi loquendi rationem mutauere, ita vt re ipsa ad Auctoris nostri systema redeant. Enimuero *iustitia illa vniuersalis* in *generali societate* omnium hominum

 sub

§. XVIII. (1) *Duas respublicas animo complectamur alteram magnam & vere publicam, qua Dii atque homines continentur; in qua non ad hunc angulum respici mus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostrae cum sole metimur: alteram, cui nos adscripsit conditio nascendi.* SENEC. *de otio Sapientis, Cap XXXI.*

(2) *Specim. controuers. Cap. IV* §. 7.

sub Rectore Deo, quid aliud est, nisi leges, quas Deus hominibus, tanquam ipsorum dominus, praescribit? Ac proinde Ius Naturae omnem suam vim ab auctoritate & voluntate supremi illius legislatoris trahit. Quod vero ad internorum *adfectionum* directionem, & curam conciliandae sibi *diuinae amicitiae* adtinet, sufficit remittere ad dicta superius ad §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 16.

§. XIX. Nec video, quomodo Auctor, quamuis acutus, a contradictione facile excusari possit, quum omnem iuris obligationem a superiori decreto deriuat, quemadmodum locis eius citatis ostendimus; & tamen mox *Lib. I. Cap. II.* §. 5. ad *superiorem* constituendum requiri ait, non tantum, vt vires cogendi habeat, sed etiam vt *iustas* habeat *causas* vindicandi sibi in me potestatem. Ergo iustitia causae ipso superiore anterior est, contra quam adsueuerabatur. Nempe si ad iuris originem opus est *superiore*, & rursus ad superiorem constituendum causis opus est iure subnixis; circulus orietur, quo nullus vnquam manifestior fuit. Vnde enim constabit, iustas esse causas, si nullus adhuc superior exstat, a quo solo, scilicet, ius proficisci potest? Mirum esset, virum acutum secum adeo pugnare potuisse, nisi sciremus, facile euenire paradoxa tuentibus, vt praeualente sensu communi, sui dogmatis obliuiscantur. Ipsa Auctoris verba exhiberi interest, ne quid imponi videatur. *Introducitur obligatio in animum hominis proprie a superiore, id est, tali, cui non solum vires sunt malum aliquod repraesentandi contranitentibus; sed etiam iustae sunt causae, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi. Talia enim vbi in aliquo fuerint, postquam quid velit, significauit, necesse est, in animo hominis oriri metum reuerentia temperatum. . . . Qui vero nullam rationem adlegare nouit, quare mihi inuito obligationem velit impingere, praeter solas vires; is terrere quidem me potest, vt euitando maiori malo, ipsi tantisper parere satius ducam; sed eo metu remoto, nihil*

amplius

amplius obstat, quominus meo potius, quam illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur; eius iussa impune a me possunt negligi; ni potentior aliquis huius auctoritatem proculcatam adsertum eat. Rationes autem, quare quis postulare queat, vt ab altero sibi obtemperetur, sunt, *si ab isto in hunc insignia quaedam bona sint profecta, si constiterit, eum & bene huic velle, & rectius, quam ipse valet, eidem prospicere posse; simulque si actu iste huius directionem sibi vindicet, & denique si quis vltro alteri se subiecerit, & in ipsius directionem consenserit.* Hactenus Auctor. Sed qui bene haec examinauerit, satis animaduertet, nec sibi consta e Auctorem, nec diffi ultati satisfacere. Sane si neque coactio sine rationibus, neque rationes citra vim sufficiunt, cur, quaeso, cessante vi, superstitibusque solis rationibus, non redibo ad libertatem, quam dicor habuisse, quum nondum admota vi, solae rationes adessent? Quod enim Auctor ait, *metu remoto, nihil amplius obstare, quominus meo potius, quam alterius arbitrio agam*, valebit, etiamsi rationes adsint. Quod si vero rationes iam solae obstant, cur non solae obstitere etiam ante metum? & quam, quaeso, vim rationibus vltra seipsum metus dabit, quam sine rationibus non praestat sibi? An adfectus iste, parum durabilis, characterem quendam indelebilem inuitae imprimet menti? Finge hominem, qui alteri ex solis rationibus obedientiam debet, eiusdem mox viribus adigi; & tamen in eo animo perseuerare, vt non vltra obedire velit, quam cogatur; non adparet, cur ideo, quia semel coactus est, perpetuo subiiciatur. Velut si aeger Christianus a medico Turca capiatur, adeone iam praeceptis salutaribus, diu ante cognitis, sed nunc necessitate armatis, obstringetur, vt etiam data aufugiendi occasione, magis exinde ad temperantiam obligetur, quam ante captiuita-

priuitatem? Alterutrum ergo dicendum est, vel rationes ante vim obligare, vel nec obligare vi cessante.

Exprobratum Auctori nostro vitiosum circulum disparitarum ex illorum oculis confido, qui dicta superius ad §. 15. legerint. Omnis enim *superior*, infra Deum, auctoritatem habet innixam rationibus, quarum *iustitia* ab aliquo Iuris Naturalis praecepto pendet, & consequenter ad illius *iusti* regulas refertur, cuius *obligatio* vere a *superioris*, siue *Regis Regum*, ac *Domini Dominantium* voluntate emanat. Verum *ius* imperandi, supremo illi Enti competens, *rationibus* superstruitur, quae *iustitiam* suam secum vehunt, nec mutuari aliunde vim suam opus habent. Antequam vero Deum cognouimus, aut si ab eius existentia abstrahamus, nil satis magnum deprehendimus, quod voluntatum sibi nostrarum deposcat subiectionem; nil satis iustum, quod pro actionum nostrarum norma necessario habere debeamus. Neque etiam in natura rerum libertas nostra, eximia illa facultas ex intimo naturae nostrae oriunda, quicquam inuenit, quod ad ipsam constringendam satis habeat validitatis: respectus enim *conuenientiae*, *ordinis*, *decoris*, *honestatis*, ad quos tum *iustum* redigitur, totidem speculatiuae notiones manent, donec nobis constiterit, illum, qui naturam rerum, ac rationem, ipsas in ea detegentem atque adprobantem condidit, *velle*, vt iisdem externos & internos nostros motus conformemus. Hic vero demum incipit *officium*: Eiusque summe perfecti voluntas, nostrae est voluntaris norma, atque is, a quo quicquid sumus accepimus, exigere procul dubio potest, ne quicquid libuerit nobis, semper agamus. Deprehenso autem sic in eius voluntate obligationis fundamento, iam in eiusdem bonitate & potentia validissimas vtilitatis rationes, quibus ad faciendum officium efficacissime excitemur ac mouea-

moueamur, deprehendimus. Lectoris nunc erit decernere, an non solidissimum hoc sit, ac optime cohaerens systema.

Quod ad ea attinet, quae de *viribus*, coniunctis cum *rationibus* tradit Auctor noster, ad vocem, *impune*, quae in locis citatis exstat, ac sententiae ipsius clauis est, attendere Anonymus debuisset. *Qui*, ait, *rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, a viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur; eius iussa IMPVNE a me possunt negligi, ni &c.* Non dicit, *recte possunt*, nec statuit, cessare ideo officium, *iustasque rationes* ideo vim suam amittere; sed loquitur de efficacia, quam, pro ingenio ac conditione plerorumque hominum, exserere tunc istae rationes queant. Atque haec eleuandis omnibus, quae Anonymus desuper nectit, ratiociniis sufficiunt.

Fateor nihilominus, Auctoris nostri placita heic non satis esse expedita, magisque distinguendum fuisse id, quod superiori proprie *ius* imperandi adtribuit, ab eo, quod ipsi facultatem dat *efficaciter imperandi*; prout illud tetigi in breui nota, quae prima est ad §. de quo agitur. Equidem pro eo haberi nolo, qui aliena auctoritate sese occoecari patiatur, aut exculpare quenquam quacunque etiam ratione velit: quin obseruari poterit, me, sequente ibidem ampliori nota, alia minus accurate posita reprehendisse, quae aut non animaduertit Anonymus, aut condonare Auctori nostro dignatus est. Verum non obstant hi omnes leues naeui, quo minus rectam ingressus sit & ostenderit viam, ac eius systema in vniuersum optime fundatum sit. Et tametsi illud meliuscule, vt opinor, quam ipse, explicauerim, certoque modo correxerim, absit tamen, vt debitam ipsi laudem mihi vindicem, aut non eiusdem existimationi

pro-

proprias meas cogitationes, quibus occasionem suppeditauit concedam.

Vnicum adhuc obseruabo de exemplo ab Anonymo proposito, quoad *aegrum Christianum* a *medico Turca* captum. Vti hic captiuus, non qua aeger, captiuus est; ita nec medicus dominus est corporis istius, qua medicus. Diuersi hi omnino sunt respectus. Vnde non video, cui bono hic comparentur praecepta istius medici, qua medici, (vel potius materia praeceptorum eiusdem: nec enim supponitur, vt decuisset, ipsum haec praecepta, antequam caperetur aeger, dedisse, sed tantum aegrum iam ante res praeceptas pro salutaribus agnouisse) cui bono inquam, comparentur ista praecepta, quatenus ante vel post aegri captiuitatem mandata sunt? Siue ante siue post medicus praescripserit aegro vtilia sanitati medicamenta, semper tamen agit tanquam medicus, non tanquam dominus. Aut si necessitatem medicamento vtendi per vim iniicere aegro instituat, haud amplius tunc agit tanquam medicus. Verum siue medicus medicamentum praescribat tanquam medicus, siue tanquam dominus, obligatio eo vtendi aliunde prouenit, nempe ab illa lege naturali, quae vult, vt acceptam a Deo vitam quisque conseruare studeat, & consequenter in hunc finem omnia legitima media, a quocunque illa sibi offerantur, adhibeat: Sic etiam, quod de *data aufugiendi occasione* commemorat Anonymus, quin totum in vniuersum exemplum nihil ad rem facit. Accedamus postremo ad finem Epistolae.

§. XX. Haec satis ostendunt, deesse Auctori principia certa, quibus veras iuris rationes constituat; quoniam principia pro arbitrio ipse effinxit, quae sibi suffi ere non possunt. Ceterum fundamenta & communia omni iuri, (etiam quod ex aequo & bono autum descendit) & propria stricto, (quod etiam superio-

ſuperiorem conſtituit) alias indicata ſunt. Et vt dicta paucis recolligamus, in vniuerſum dicendum eſt, *finem* Iuris Naturalis eſſe bonum ſeruantium; *obiectum*, quicquid aliorum intereſt, & in noſtra eſt poteſtate; *cauſam* denique *efficientem* in nobis eſſe rationis aeternae lumen, diuinitus in mentibus accenſum. Haec tam plana & ſimplicia, credo viris quibusdam acutis nimis obuia viſa eſſe, atque inde paradoxotera quaedam excogitata, quae nouitatis ſpecie blandirentur; quod neque priorum foecunditas, neque horum imperfectio ſatis perſpiceretur. Haec ad Te, VIR SVMME, perſcribenda putaui, vt adpareat, opus *Pufendorfianum*, etſi minime adſpernandum, in ipſis tamen principiis multiplici emendatione indigere. Ceterum ad particularia nunc deſcendere non vacat. Vale.

Contrariam huic concluſionem, ex his quae hactenus dixi fluentem, Lector ſine me facile formare poterit. Sufficit mihi, pauca de principiis, his quibus Auctor noſter vtitur ab Anonymo ſubſtitutis, addere.

Fateor equidem, me in illis nihil niſi quod valde vagum ſit reperire. Id enim, quod pro *cauſa efficiente* Iuris Naturalis (hinc enim incipiendum) venditat, generale principium eſt omnium ſcientiarum naturalium: an enim vlla exiſtit, vere talis, quae non ab *aeternae rationis lumine, diuinitus in mentibus noſtris accenſo*, emanet? *Obiectum*, (aut, ſi accuratius loquaris, *materia* Iuris Naturalis: obiectum enim proprie ſunt illi, erga quos ius illud eſt obſeruandum) *obiectum*, inquam, prout hoc Anonymus conſtituit, exemtum generalitate ſua, ad principium *ſocialitatis* reducitur: nec enim crediderim, Anonymum his verbis, *quicquid aliorum intereſt*, velle ipſum Deum comprehendere, atque ita innuere, aut ſuſpicandi occaſionem praebere, quaſi Dei interſit, vt ipſi obſe-

obſequia noſtra exhibeamus, atque ille*, qui *ipſe ſibi ſufficit*, creaturis ſuis indigeat, vtilitatemue aliquam ex earum actionibus capere poſſit. *Finis* denique Iuris Naturalis, quem *bonum* eſſe *ſeruantium* docet Anonymus, nihil, quod non omnibus diſciplinis practicis commune ſit, exhibet, vtpote quarum ſingulae *bonum* aliquod aut commodum habent propoſitum; vt propterea quaerendum relinquatur, quodnam illud ſit, quod Iuri Naturali peculiariter conueniat. Erantne hae *lucidae* illae *foecundaeque* definitiones, quae nobis deerant?

Lauſannae d. 1. Octobr. 1716.

INDEX

INDEX RERVM.

Primus numerus notat *Librum*, alter *Caput*, tertius *Paragraphos*.

Animal:

Existima-

Inter,

Num-

Tem-

FINIS.

Index
Capitulorum libri primi